Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Zeisold

Theoria Principiorum Physicorum : Disputationibus VIII. Inclusa, Quibus doctrina Aristotelico-Peripatetica exponitur, & cum ea, quae Professor quidam in vicina Academia in Dissertatione sua de principiis Corporis Naturalis contra eadem opposuit, examinantur ...

Ienae: Sengenwald, 1647

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786449799

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786449799/phys_0001
DFG

– 656. p. Ind.

a–c.
a–d

2) A–Z. Aa–LMm.
A–Z. = 2. 3.
Aa.–Kk.
A.–J. Lry.
~~a–b.~~
~~A–Z. Aa–Zz.~~

3) 372. p. Ind.
4) 248. p.
5) A–F

Ea – 1009 1–5.

~~II.VI.6.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786449799/phys_0002
DFG

THEORIA
PRINCIPIORUM
PHYSICORUM
Disputationibus VIII.

Inclusa,

Quibus doctrina Aristotelico-Peripatetica exponitur, & cùm ea, quæ Professor quidam in vicina Academia in Dissertatione sua de principiis Corporis Naturalis contra eandem opposuit, examinantur, tùm sententia nostra ex ipsius asseclarumque principiis ac hypothesibus probatur & confirmatur,

AUCTORE

JOHANNE ZEISOLDO,

in Inclyta Salana Phys. Prof. Publ.

Dn. Sennertus p. m. in Epit. Nat. Scient. edit. ult. lib. 1. cap. 7. pag 57.

Principem Philosophorum non nisi gravissima de causa deserendum censemus.

JENÆ

Prelò GEORGI Sengenwaldi,

ANNO M. DC. XLVII.

Amplißimo, Excellentißimo, Experientißimo,
Præclariſſimoq; Viro,

DN. PHILIPPO MULLERO,

Med. Lic. In Inclyta & celeberrima Univerſitate Lipſ. Mathem. Prof. Publ. famigeratiſſimo, Facult. Philoſ. Seniori graviſſimo, Alumnorum Electoral. Ephoro ſpectatiſſimo, Academiæ itidem Decemviro, & Majoris Principum Collegii Collegiato, &c.

Domino & Fautori quovis ſtudiorum & officiorum cultu devenerando & obſervando,

Theoriam hanc Principiorum Phyſicorum.

in favoris ulterioris incitamentum,

dedicat & offert:

Joh. Zeiſold.

NOsti, Vir Amplisſime, Excellentisſime, Experientisſime, Clarisſime, Domine & Fautor obſervande, & tanquam tuos ungues nôſti, doctrinam principiorum phyſicorum in Scientia Naturali ut primariã, ita quoq; primò & principaliter inculcandam, explicandam, & ab interitu vindicandam eſſe. Stantibus enim illis, ſtat Phyſica, cadentibus verò, Diſciplinam & Scientiam ipſam cadere neceſſum eſt. Ut enim ſine principiis his nulla eſt res naturalis, ita ſine iſtis nulla hujus contemplatio dari poteſt, adeoq; nulla Scientia. Imò, qui principia tollere voluerit, ipſam Naturam è medio tollat oportet.

De principiis Phyſicis in Theoria Corporis Naturalis, ante annum edita, quædam in medium propoſui, &, perſpectâ eorum naturâ generali, quænam & quot ac quomodo compoſitionis Phyſicæ ſint principia, & tandem, quomodo illa Naturæ partes ſuſtineant, movendique & quieſcendi principia in rebus

naturalibus existant, ex Aristotelis fontibus expositi, atq; doctrinam Aristotelicam à Professoris cujusdam Academici censura modestè vendicavi. Quædam de doctrina principiorum me proposuisse dico. Ut enim multa, imò plurima de illis, juxta alios quidem & alios eorum respectus, proponi poterant, ita in unum ea omnia redigi fasciculum, ratio instituti mei non patiebatur. Alia alii tempori erant reservanda. De compositionis munere ibi dixi, de generationis alibi dicturus.

Factum autem est, ut ille, à cujus censura doctrinam Aristotelicam liberam & immunem præstare volui, novam oppositionem meditaretur, Dissertationemq; de principiis Corporis Naturalis contra me conscriberet, conscriptamq; in lucem publicam emitteret. Emissa illa ad manûs oculosq; meos pervenit. Legi Scriptũ, & intellexi, nulla ferè respõsione opus esse, cum syllogismos, ubertim confectos, in potissimis controversiis contra me minimè rectos esse, & præterea verbis magis pugnari aculeatis & maledicis, quàm firmis argumentis, perspicerem. Dare nihilominùs aliquid Autori volui, maximã au-

autem partem bono publico. Modestam responsionem adornavi, & octo Disputationibus inclusi, quam candido Eruditorum judicio submitto. Eorum in numero cum non ultimum Te, Vir Excellentissime, occupare locum scirem, Amplissimo Tuo Nomini hasce meas Disputationes inscribere, inscriptasque offerre volui. Non solùm propterea, quòd egregia scientia Philosophica, quâ polles, clues & splendes, & insignia in Philosophiam Peripateticam merita id requirerēt, sed & quòd Te mihi meisque studiis favere cognitum haberem. Accedit ad hæc, quòd si cubi fortean lapsus, (labi enim & errare humanum est) monitis tuis doctissimis & amicissimis validè me erigere, mihique subsidiô esse poteris. Suscipe igitur benevolente & mente & manu qualem qualem isthanc oblationem, bonique consule, & exinde animum tui observantem cognosce. Vale, & ut cæpisti, favere mihi perge. Dat. Jenæ è Musæo die 19. Novembr. Anno æræ Christianæ 1647.

Præfatio

Ad benevolum Lectorem.

Compositæ mentis signum est, consistere posse, & secum morari. Elegans hæc est sententia, quam non semel Albis Studiosorum à quodam Professore Academico inscriptam legi. Verùm, non ut calamo expressit, ita se gessit. Verba pulchra sunt, facta deformia & enormia. Incompositæ mētis signū in ipso ipsiusq; Scriptis videre licuit non unum. Nec consistere is potuit, secumque morari, etiam à nemine lacessitus, aut turbatus. Dissertationē de principiis Physicis is nuper edidit, mihique opposuit. Id autem agēs, non tàm accuratus fuit in re ipsa tractanda, quàm paratus ad varia convitiorum calumniarumque genera serenda. Et certè sine admiratione Scriptum non legissem, si ipsius ingenium & mores cognitos atque exploratos non habuissem. Quomodo enim D. Freytagium tractârit, Tractatus contra eum ab isto editi testantur. Excusare quidem is se voluit, quòd prior à Freytagio lacessitus fuerit; de quo illi iudicare poterunt, qui utriusque Scripta legerunt. Ut ut autem illud se habeat, (de quo ego hîc nihil dicam) asserere verè non potest, se à me tantillùm fuisse læsum. Monstret unicum verbum, unicūve apicem in Theoria Corporis Naturalis, à me publicam in lucem emissa, quô ipse offendi potuerit. Legant boni quicunque, & invenient, me Autorem non aliter, ac Viri Clarissimi nomine

mine allegâsse, & honorificè ipsum excepisse. Ita loquor in d. *Theor. Disp. 5. §. 53. Liceat nobis, pace Clarissimi Viri, ad objectiones respondere.* Et *Disp. 10 §. 51.* scribo: *laudat Vir ille Clarissimus; cũ quò amica nobis Disputatio &c.* Ita in reliquis. Et ipse de mea modestia in Dissertationis suæ Præfatione testimonium perhibet, *unum*, inquiens, *laude dignum est; abstinet enim se ab acerbitate.* Hoc encomium is à me auferre haut potest, qui inciviliter & inhumaniter me excepit, &, ac hominum essem abjectissimus & vilissimus, miris & diris modis exagitavit. Scilicet, verbis compensandum inanibus ac frivolis, quod opere & factô non licuit, & calumniæ assuendæ, ubi veritas repagulum posuit. Ast hoccine est veritatis studiosi? & virtutis amantis? & hominis Christiani?

Ne autem hæc temerè & sine fundamento dixisse videar, ecce, ut de hominis maledicentia & iniquitate planissimè constet, ex ipsius Dissertatione aliquot flosculos excerpam, eosque omnibus bonis contemplandos, ob oculos ponam. Introducam autem Autorem 1. ut calumnias spargentem; 2. ut scommata & convitia serentem, 3. ut militem supercilioso gloriantem, 4. ut dominandi & reformandi pruritu laborantem, 5. ut Disputatorem disputandi artem ignorantem. Quà primum, non solùm sparsim in Dissertatione, sed confertim in Præfatione plurimæ continentur calumniæ. Transeat, quòd in limine Libri aculeum in Peripateticos stringit, eosque tacitè insimulat, ac si nudè à nudis Autoritatibus pendeant, illisque pertinaciter adhærcãt; ut propterea multitudini & vulgo eos adjudicet. *Optima*, inquit *esse mortales rentur, quæ magnô assensu recepta sunt: Ac si optimus veritatis interpres vulgus sit.* Scilicet hoc illud est, quod in Instit. suis Physicis Philosophorum Peripateticorum sententias vulgares indigitat, & *vulgò ita statui* ab illis

illis, qui cum Aristotele faciunt, scriptitat. Ita scilicet ille, qui se præstantissimũ veritatis interpretem jactat, de eoque, tãquàm peculiari prærogativa, tacitè sibi gratulatur. Sed falsò, & animô minùs candidô id Scholis nostris affingit. Ubi, quæso, nudæ & crudæ adhæremus autoritati? Sine ratione Autoritatem nullam venamur ac veneramur; sine ratione Aristotelem non admittimus. Unde & in multis ab eo divortium facimus. Quinimò nec multitudini nec paucitati veritatem esse alligatam novimus. Quamvis enim nullus hominum veritatem assequatur atque enunciet, ipsa tamen consistit & persistit immota atq; immutabilis. Sic quamvis nemo hominum affirmet, Deum esse unum, id tamen verum est & permanet; etiamsi tota hominum universitas clamet, non unum, sed plures Deos esse, veritatem non tollit.

Sed communia isthæc sunt, totam Scholam Peripateticam concernentia. Ea spectemus, quæ ex meis torsit, & adversùm me direxit calumniarum plaustra. Calumnia est, quòd scribit in Præfatione, *cadere tertium rerum naturalium principium, quod tantum generationis principiũ est*, ex eo, *quod in parte generali Physicæ principia generationis non proponenda censeam*. Ast calumnia hæc se ipsam detegit. Quî cadet id, & nullum erit in Physica, quod non eodem cum aliis locô mihi considerandum esse statuitur? Cadẽt ergo elemẽta, quæ in parte generali Physicæ non considerantur. Nõne id rerũ naturalium, quod nõ proponitur in hoc Physicæ libro sive loco, in alio proponẽdũ relinquitur? Et annon de tribus primis generationis principiis, prout generationis principia sunt, eodẽ in Physicis locô, quô de genetatione agitur, agendum esse, statuo? Quibuscunque principiis certa tractationis sedes in Physica Disciplina decernitur, illorum nullum cadit, sed unumquodq; ut principiũ ibi cognoscendum proponi-

ponitur. Calumnia est, quòd in Præfatione scribit, me statuere, *materiam primam per subjectum generationis & corruptionis non esse definiendam*, adeoque *usitatam descriptionem cadere*. Apertissima hæc est calumnia. Scilicet, ubi ago de composito Physico, adeoque de materia ut principio compositionis, ibi materiam per subjectum primum generationis non esse definiendam, doceo. Er. statuo materiam primam non esse definiendam per primum generationis subjectum? Scilicet! Nonne ipse Autor distincta materiæ Physicæ agnoscit officia? Ita in *Dissert. cap. 3. pag. 60.* in Declaratione; & *p. 86. lin. 3.* Unde ipse in *antec. p. 74. lin. 4. aliter etiam ibi* (N.B. intelligit, in parte generali) *describendam esse materiam* ait. Hæcce Autoris meis quàm similima sunt, ut priora ex pravo fonte profluxisse conspicuum sit. Calumnia est, quòd in Præfat. scribit, *cadere potissimam probationem pro materia prima*, ex eo, quòd statuam, *elementorum materiam esse materiam secundam, & in creatione ita factam*. Ast, perspexit is ex Theoria C.N. quòd non solùm materiam secundam, sed & primam in elementis statuam. Vid. *d. Theor. C.N. Disp. 3. §. 22. 23. 39. seq.* & Confer. *Theor. Princ. Phys. Disp. 4. & 5. tot.* quî ergo, me Autore, cadet potissima materiæ primæ probatio? Vid. hujus *Theor. Disp. 4. §. 29. 31. 32.* Calumnia est, quòd in Præfat. scribit, me statuere, *definitionem Naturæ non esse formatâ Logicè, adeoq; ipsam cadere, nec nomine definitionis dignam esse*. Ast ubi de genuina definitione Naturæ id proposui? De textu & verbis Aristotelis ego locutus fui, quòd, uti ea jacent, non exhibeant formalem definitionem, sed eam in se cõtineant, quæ inde cõfici possit debeatve. Non ergo cadit Naturæ definitio, sed locô definitionis non stat textus Aristotelicus. Calumnia est, quòd in Præfatione scribit, me statuere, *in Sole & Stellis esse potentiam ad quietem, & exinde cadere Scripturam S. quæ miraculosam vocet solis*

ſtationem. Potentiam quieſcendi in Stellis eſſe dixi, non potentiam ad quietem; quæ duo mihi multùm differūt; multò minùs ſtationem Solis naturalem dixi. Quî ergo cadet Scripturæ S. autoritas & veritas? Quemlibet cœcum habere potentiam videndi, rectè ſtatuit Phyſicus. Cadit ergo Scriptura S. quæ miraculoſam viſus reſtitutionem in cœcis deſcribit. Calumniis his, quæ in Præfatione habentur, accedant illæ, quæ ſparſim in Diſſertatione inveniuntur, à me ſuis locis notatæ. Scilicèt hoc eſt illud *candidè & cordatè*, quod in Diſputatore Autor requirit in *h. Diſſert. cap. 1. pag. 19.*

Reliqua, quæ à Præfationis Autore prioribus ſubjuncta ſunt, fruſtrà appoſita ſunt. Nec enim aliud quid illis efficit, quàm quòd ſententiā meam illuſtriorē reddit. Statuo ego, Stellas non moveri ab Intelligentiis, ſed inſitâ virtute, nil morans Autoritatem Ariſtotelis. Scilicet putat Autor, me eſſe mancipium Ariſtotelis. Sed decipitur. Non movet me Autoritas Philoſophi, niſi quando rationem ſubeſſe video. Sed quî exinde labaſcet Philoſophi Autoritas? Certè ea nec à me, nec ullo alio homine, ſed à dogmatum gravitate & veritate dependet. Et fortè vilescet Autoritas Sennerti, quòd ne Autor quidem eum in omnibus ſequitur, ſed in aliquibus modeſtè ab eo diſſentit, ſicut ſcribit in *Diſſert. c. 5. p. 148.* Statuo, cœlum eſſe corruptibile, ſtatuo quoque, eſſe incorruptibile; ſed diverſimodè. Qua in re non cadit Ariſtotelis doctrina, ſed ea obſervatur & explicatur. Utrumque enim ex illo diſco, poſterius κ τὸ ῥητὸν, prius κ διάνοιαν in ipſo haberi perſpiciens; poſterius legitur *l. 1. de coel. cap. 3. t. 19. 20.* prius habetur ex illis locis, quibus Philoſophus docet, materiam eſſe δύναμιν τῆς ἀντιφάσεως, potentiam contradictionis, hoc eſt, ad eſſe & non eſſe. Hinc ſyllogismus; ubi eſt materia, ibi eſt potētia phyſica ad eſſe & nō eſſe, adeoque

que mutabilitas physica sive corruptibilitas. Atqui in Cœlo est materia. Er. &c. Hîc Major & Minor est Aristotelis. Taceo, quòd Aristoteles in *Cit. l. 1. Coel. t. 19.* non de potentia, sed de actu loquatur, id quod ratio in textu subiuncta monstrat, sicut in *Theor. C. N. Disp. 8. §. 19. 20.* exposui. Statuo, materiam in se spectatā esse ens singulare, non universale. Nec tamen exinde corporis naturalis scientia cadit. Multò minùs cadit Aristotelis autoritas, qui materiā primam, quæ sola materia physica est, ens singulare esse docet, sicut ex l. 1. Phys. t. 69. & 80. aliisque locis videre est. Statuo, locum non esse affectionem propriam corporis naturalis, propriè scil. loquendo, sed locabilitatem. Sed inquit Autor: *cadit iterum Aristoteles cum Interpretibus.* At, non cadit per id Autoritas Aristotelis, sicut in superioribus monstravi. Imò loci naturam is explicat; nullibi verò statuit, quòd locus sit propria rerum naturalium passio, cum ne is quidem omnibus corporibus locum tribuat, Interpretibus ego non adhæreo.

Obiter hæc dicta sunto, ut, quàm *ex ungue leonem æstimaverit* Autor, ipsus videat. Et quî hactenus recensa obstent, quò minùs ego, ut is conqueritur *juventutem Academicam in discendis præceptis, concipiendisque & statuendis sententiis certam reddam*, alii judicent. Cur non certa reddetur studiosa Juventus illis, quæ ipse hactenus falsitatis & absurditatis arguere, & convincere argumentis non potuit? De se id dictum à se putet. Quid porrò is chartas implet, & oculos Lectoris verbis molestat inanibus? Inania, ut alia, ita sequentia sunt verba, quibus scribit; *in rem suam esse Aristotelem & Interpretum verba cum videt, extollit eos, & ultrà, quàm ipsi si viverent, vellent, evehit, secus cum accidit, in inexplicabilē labyrinthum lapsos eos fatetur.* Ast ubi extollo ego Aristotelis Interpretes? nullibi. Ubi,

Aristotelem in inexplicabilẽ labyrinthum lapsum fuisse, scribo? nullibi. Quâ fronte hîc Aristotelem ipsiusque Interpretes conjungit? Nec Aristotelem ego plus justô extollo. Et abûit longùm à me, ipsum magis à me extolli, ac ab Autore Dissertationis Sennertus, Vir quidem νῦν ἐν τοῖς ἁγίοις, laude dignissimus, extollitur. Ubi Aristoteles Naturam ducem sequitur, ipsum sequor, non quod Aristoteles est, sed quòd Naturæ conformia & consentanea docet. Nec solus Autor, ut non sine jactantia de se scribit, abietes & quercus pro præceptoribus habet; habent & alij rerum naturalium indagatores, habuit ipse Aristoteles. Cujus sanè libri & dogmata, ob unum alterumve levem errorem, rejicienda non sunt, sicut nec sunt aliorum. Ad profectus juventutis Academicæ quantum fecerint libri Acroamatici, plurimorum gravissimorum doctissimorumque Virorum, qui fructum inde perceperunt uberrimum, testimonia loquuntur.

His visis, scommata videamus & convitia in Dissertatione contenta, quæ tot sunt, quot linea una alterave comprehendere non potest, tanta, quanta vix quispiã sibi imaginatus fuerit. Levioribus igitur posthabitis & missis, graviora tantùm annotabo. Cap. 1. pag. 13. sic: *ita nihil intentatum relinquendum est, ne quid pereat ineptiarum. Omnia sunt magnis experiunda Viris.* Et pag. 14. *præstat audire nihil quàm ea, quæ nihil prosunt. O acutissimè excogitatum!* pag. 18. *Ita nimirum ambiguè loquitur, & fugâ sibi consulit.* Et mox: *loligo se abscondit atrô humore, ne capiatur.* pag. 20. *tot distinctiones excogitavit, aut excogitatas ab aliis descripsit.* p. 25. *Ignorabam equidem recessus Philosophiæ vestræ, & dum ignoro subtilitatem, quânegatur terminos esse ex & sunt, &c.* p. 26. *nolo contendere verbis, cum iis, quorum tota Philosophia est verbalis;* Peripateticos notans. pag. 26. *finge aliquid, ne obmutescas.* pag. 27. *Verba audio, rem expectabam.* Ibid. *O miseros nos, qui nescimus, quid significet vox Ex.* pag. 30. *Digna Major,*

quæ

quæ audiatur in Scholâ Philosophorum. Ibid. ô miserrimam majorem. pag. 32. vanum hoc est diverticulum. pag. 33. habes insolentiâ vocis. pag. 34. torquere se, & significata sibi imaginari, quæ fingere causæ pravitas coegit, non est sapientis, sed pertinaciter prava vacuũ dogmata defendentis. p. 43. quibus cerebrum vacuum est, suâ faciant majorem illam, &c. p. 45. miserrima Autoris responsio ad syllogismum. pag. 50. ut aranea casses è proprio gignunt corpore, sic è cerebro suo format propositionem illam. pag. 53. cum solus ille Aristotelem, si placet, intelligat. Ex Interpretibus plurima describit, alienis opibus superbiens. pag. 77 parum admodum nectaris Physici nobis dat, sed inanibus & umbratilibus speculationibus se macerat. Ut prorsus horridam & monstrosam nobis faciat Physicam amœnissimam & jucundissimam. pag. 87. risum teneatis amici. Ibid. cogimur Autori monstrare errorem fœdum. pag. 91. bellissima Major hæc. pag. 92. Miserrimè Autor solvit objectiones. pag. 93. digna verba, quæ legantur. pag. 95. reliqua testantur, quòd Autor nõ intelligat naturam universalium. pag. 96. Audite novum hunc, antiquum volebam, Peripateticum. Gratulor Philosophiæ Aristotelicæ de tanto patrono. pag. 115. permissum sit Autori, præter Aristotelis Interpretes sapere. Novus cùm datur Aristotelicus, novam affert Philosophiam Aristotelicam. pag. 122. O puerilem errorem! E Grammaticis diluenda puerilis hæc objectio. Etmox: mitto puerilia. pag. 137. ad specialem hanc rationem intelligendam speciali opus habemus sapientiâ. Ibid. hæc illa æternùm duratura sapientia, quam admirantur, qui non intelligunt. pag. 139. hinc illæ lachrimæ? Ita ineptissima quæq; proferenda, ne tacuisse nos videat juventus. p. 139. disputent ita, quibus nugari est disputare. pag. 141. magnus est Autor rerum à se gestarũ jactator. Huc illucq; definitionẽ naturæ torsit, à qua pulcherrimè maceratus est, nunc gloriatur, & jactanter scribit, &c. pag. 142. verba sunt atq; ineptiæ. Formo argumentum è dictis, ut quàm nervosè & accuratè disserverit, videat Lector. Ibid. lin. ult. insolentiæ vocum sunt. pag. 143. Tot vitia & in verbis & in rebus sunt, ut definitionem hanc non eme-

rem vitiosâ nuce, pag. 159. *Hæc illa explicatio recentior, cum applicatione inepta.*

Hi sunt illi flosculi, hæ istæ elegantiæ, hic candor ille ab ipso in disputando requisitus & commẽdatus! Tot scommata, tot aculeata & maledica verba in tantillo libri! Non a. immeritô quæsiverim, quâ causâ ductus & permotus Autor in me adeò invehatur, tantâque verborum acerbitate me petat & deformet? Egone id meritus fui? an jure talionis ille utitur? Minimè gentium. Sed hoc artificium Autoris esse sciamus, quo intendit ille & attẽtat eos, à quibus novis suis sententiis abit, cõtra quos arma sumit, aliis tùm ludibrio exponere, tùm exosos reddere, simplicioribus verò doctrinam Peripateticam suspectã facere, illosq; ad nova & absurda sua dogmata capessenda quasi trahere & incitare. Ast hoc mihi est solatio, quòd certò scio, Autorem illis me non tetigisse, sed seipsum egregiè notâsse, quippe quibus nihil aliud, quàm hominis scribacis & mordacis ingenium depictum videre liceat, in quẽ optimè quadret, & cadat tritus ille versiculus: *ex cantu & plumis volucris cognoscitur omnis.* Quin qui ejus Scripta, præcipuè hanc Dissertationem legit, affirmabit, omnia illa, quæ hactenus effutivit, non in me dicta esse, sed in seipsum, ut jure meritô ea audire cogatur. Quid audet scribere ille, & quidem repetitis vicibus, *me ex Interpretibus plurima descripsisse?* Si ea apud alios legit, cur nõ dudum, antequam mea videret, refutavit? Ecce! p. 73. *me cõtra communem sententiã statuere* scribit. Quî ego mea ex Interpretibus descripserim, qui contra communem Interpretum sententiam statuo? Unde descripsi illa, quæ in hac Theoria contra ipsum disputo? Et, si hoc est describere, quando communes doctrinæ proponuntur, quando communia principia inculcantur, non me solum modò Autor, sed omnes penè dixerim Autores, qui in talibus

libus pertractandis occupantur, tangit. Si hoc est describere, Autorem plurima, imò ferè omnia in potissimis controversiis ex Sennerto aliisq; descripsisse, monstrabo. Si placet illi, unum & alterum nobiscum intueatur. Argumentum, pro materia generica & universali in medium allatum, non est Autoris, sed Keckermanni, ex quo & Wendlinus transcripsit. Argumentum, quô probat is, semen animatum esse, non ab ipso fabricatum, sed ex Sennerto descriptum, qui & ipse ab aliis mutuatus fuit. Non est Autoris argumentum, quod pro elementorum in mistis inexistentia in Institutionibus suis affert, cùm eô etiam Sennertus, & alij ante ipsum usi fuerint. Non est Autoris argumentũ, quô formas in generatione naturali traduci statuit, ex Sennerto id transcripsit. Alia sexcenta ipsi monstrabo, si volupe est ipsi, talibus inaniter & tempus & chartam perdi. Quid audet is vociferari, & nunc argumentationes, nunc responsiones meas miseras, imò miserrimas proclamare? Suas recognoscat, & miseriam suam agnoscat Autor. Nonne miserrimũ est argumentum, quod legitur in *Dissertat. c. 3. pag. 78. Quicunq; et factis & verbis sibi contrariatur, ille malè agit. Autor & verbis & factis sibi contrariatur. Er. Autor malè agit.* Nonne & hoc *cap. 4. p. 142. Quæcunq; definitio & verbis & rebus peccat, ea vitiosa est. Vulgata naturæ definitio & verbis & rebus peccat. Er. vulgata naturæ definitio vitiosa est.* Nonne tritum hoc &, ad nauseam usq; docti Lectoris, ab Autore in *cap. 1. pag. 21.* repetitum est argumentum; *quæcunque definitio vocabulis constat ambiguis, illa vitiosa est. Atq; hæc &c. Er. &c.* Dudũ expedita hæc res, ut quod alii ad alias definitiones salvandas responderunt, huc applicare queas. Ubi celare Autorem non possũm, quòd doctissimi & gravissimi Viri, conspectis istis argumentationculis, cum visu risum junxerint, easque mirum in modum admirati fuc-

fuerint. Videat Autor, quàm incõveniẽs adeoq; miserà sit argumẽtatio, quæ legitur *in Diss. c. 3. p. 92. Quæcũq; materia est in multis cõpositis singularibus, ea quoq; est in multis materiis singularib9. Atqui materia prima est in multis cõpositis singularib9. Er. materia prima est quoq; in multis materiis singularibus.* Alias argumentationes mitto. Responsionum ab Autore datarum lustrationẽ quando facimus, nil nisi miseriã videre contingit. Videas illas, quas in *Diss. c. 3. p. 61. ex Instit. suis phys. l. 1. c. 2. q. 2. p. 58.* repetivit; jungas hac vice eã, quã in *Inst. Phys. l. 3 c. 3. p. 472.* repoluit ad objectionem de materia cœli, quæ ita habet: *Quicquid incorruptibile est, illi neganda materia est. Atqui cœlũ incorruptibile est. Er. &c.* respondet is, *Majorem nullam esse, ob rationem, quia corruptionem infert non materia quævis, sed composita*, &c. Er. elementa non sunt corruptibilia, quia non habent materiam compositã, sed simplicem? Er. homo ante lapsum, & in altera vita erit obnoxius corruptioni, quia habet materiam compositã, quæ corruptionem infert? Quàm benè responsum sit, omnibus patet. Et hoc unicum sit instar omnium. Quid audet ille puerilem mihi objicere ignorantiam, quam ipse in se deprehendit crassissimam? Recognoscat sua, quæ in *Diss. c. 4. p. 121.* scripsit, ac Grammaticos consulat, & agnoscet, pueriliter se errâsse. Sed quid in his recensendis & diducendis laboro? Relinquamus pueris puerilia, memores illius triti: pueri puerilia tractant. Et pueris omnia esse puerilia, miseris omnia miserabilia, quis nescit, vel negat?

Videt Autor, quid futilibus & inutilibus suis verbis effecerit. Non solùm enim jam animus ejus patescit, & quid in more positum habeat, omnibus innotescit, sed quoque cogitur is omnia ista audire, tanquam in se ipsum dicta, ut quæ & meritus erat præ me, illisque potiùs dignus. Hoc si non est propriam turpitudinem manifestare

stare, hoc si non est se prostituere, nescio quid tandem sit aliud.

Qua in re nihil est, quòd malè se habere Autor simulet, ob id, quòd *novi Philosophi* nomine ipsum dignari voluerim. Ab aliis, etiam Collegis suis, dudum is id nominis obtinuit, ut non primus ego ipsum ita salutem. Et quis non perspicit, rem ipsam ita postulare, & hujus rei argumenta ab homine suppeditari? Non solùm enim antiquitatem contemnit, condemnat, abiicit; sed & nova dogmata proponit, commendat, defendit. Et novimus, ipsum in novis suis dogmatibus, novisque sententiis procudendis singularem gloriam nominisque immortalitatem venari, ut jure auferat audiatque, quod ipsus vult. Non ergo deprimo eum, qui se ipsum deprimit, dum alios deprimere satagit. Præterea quòd scripsi in Præfatione Theorias C. N. *esse hodiè, qui limpidos Philosophiæ rivos turbent*; in genere, ut loquimur, à me scriptum esse putet. Annumeret illis se Autor, per me licet. Sufficitque, quòd inter eos, qui sanioris & purioris Philosophiæ fontes turbant, nomen suum profitetur. Loquiturque res ipsa, & in promtu sunt plurimorum acutissimorum & gravissimorum, deque Philosophicis Scholis meritissimorum Doctorũ testimonia, quæ id cõprobatum reddunt. Sciatque, (ut tandem aperte dicam, & non tàm meum, quam aliorum doctiorum & graviorum Virorum judicium exponam) censeri à limatioris hujus Seculi Doctoribus, quòd is fontes Philosophiæ fecerit turbidos, sordidos, horridos. Turbati illi, variisque permixti fœtidis erroribus, doctis sordent; horrent novã Philosophiam, quicunque ejus absurda audiunt. Et nescit is, se, dum in quam plurimis, iisq; potissimis doctrinis physicis, & suam & nostram tenet sententiam, (suam quidem

ex-

expressè profitendo, nostram verò tacitè fovendo, mirè implicitum teneri. Ast hæc, quæ dico, cum Deo & die evadent manifesta.

Sed age, benevole Lector, contemplemur nunc Autorem ut glorioſum militem. *Deforme est*, inquit ille *in Præfat. pag. 6. cum irrisione audientium imitari glorioſum militem.* De me id dictum voluit, ſicut ſequentia atteſtantur verba. Simile quid videre licet in *Diſſert. c. 4. p. 141. 142.* ubi me *magnum rerum à me geſtarum jactatorem* renunciat. Ast ſine cauſa, ſine fundamento. Sicut aliis verbis ludicris neminem, quàm ſeipſum notat, ita iſthæc verba non niſi de ipſo dicta & accipienda eſſe, benevolus Lector perſpiciet. Poterat id ex Autoris Scriptis abundè demonſtrari, præcipuè illis, quæ contra Dn. D. Freytagium in publicam emiſit lucem, ubi ſexcenta invenire licet loca, ex quibus Thraſonem cognoſcere queamus. Unum atque alterum è Diſſertatione monſtrabo. In Præfat *pag.* 3. ſic gloriatur: *Apellis more poſt meam tabulam latitavi hactenus, & veritatem parere odium expertus ſum. Multitudini dum me agglutinare nolui, multorum telis ac linguis biſulcis me oppoſui. Quamquàm terrere minis maluerint, quàm ſuperare virtute.* Nimirum ſibi adſcribit veritatis patrocinium, qui à veritate abeſt longiſſimè. Scilicet ille multitudini ſeſe agglutinare noluit, ut ſelectum veritatis organum ſolus in Orbe ſplendeſceret. Nec is terretur minis, qui virtute omnia ſuperare novit. In *Diſſert. c. 1. p. 26.* ſic de ſe: *hæc* (de termino Categorematico & ſyncategorematico) *didici quondam & docui Studioſos ante viginti ferè annos, cum traderem Logicam privatim.* Quanta hæc eſt Autoris rerum à ſe geſtarum jactatio! quanta nominis ſui elatio! Quid ea facit ad rem? quid inde probat in negotio ſibi propoſito? Quid roboris meis acceſſiſſet, quid ad ſententiæ meæ vel declarationem, vel confirmationem

nem valuisset, si scripsissem, uti scribere potuissem, me ante annos ferè 24. contrarium Wittebergæ docuisse? (ita ego doctus fui à meis Præceptoribus, ita alios docui) me ibi tàm privatim quàm publicè de natura universalis (quam me non intelligere scribit) disputâsse? me per biennium ibi, prælucentibus Viri plur. Rever. Amplissi. Excellentiss. Dn. D. Jac. Martini Exercitationibus & Partionibus Metaphysicis, Enchiridio item Logico, Collegia Metaphysica & Logica instituisse, & cum Studiosis me exercuisse? Nihil hæc talia ad rhombum. Mirum autem est, quòd ille gloriatur de eo, quod falsum est. In accuratoribus Scholis dudum explosa, & tanquam falsa rejecta sententia statuens, terminos syncategorematicos terminis propriè dictis accensendos esse. In d. *Dissert. cap. 2. p. 52. promissis dives*, inquit, *quilibet esse potest. Servet promissa, inveniet nos paratos.* Et *cap. 5. p. 141. Si contra meas definitiones tot & tanta habet dubia, promat ea, habebit respondentem.* Scilicet is neminem formidat, verbis paratus futilibus & inutilibus, quicquid sit de rebus. Nec novitis, aliud esse, qualitercunq; respondere, aliud verò, refutare. In *c. 3. p 96.* syllogismis à se miserè confectis subjungit hæc verba: *nolo plura addere in rem hanc, cum lux non addenda luci.* O verba vanæ gloriæ plenissima!

Progrediamur, in Autore dominandi, exprobrandi & reformandi pruritum spectantes. Elucescit is ex pauculis sequentibus. In *Disser. c. 2. p. 51.* jubet me *digito labellum compescere.* Satis certe pro imperio. Et p. 53. *temperare sibi Autor poterat, & debebat*, inquit. Scilicet debeo mihi, ad illius mandatum, temperare, ubi temperatissimè & modestissimè me gero. Sibi imperet Autor, se cöerceat, & intra modestiæ limites linguā & calamum contineat. In *c. 1. p. 7. hæc est seculi hujus labes*, inquit, *ut physica vocemus dubia, quæ talia nō sunt.* Scilicet ille novit discernere tracta-

tionem Physicam à Metaphysica, ut tractatio causarum ab ipso in Instit. Phys. instituta pulchrè ostendit. In Præfat. p. 4. de meis scribit: *Legi hanc* (Theoriam Corp. Nat. intelligit) *& pro succo ac sanguine nuces cassas, prænotationes, præcognitiones, præmonitiones, distinctiones, & observationes & ostentationes varias inveni. Pro rebus verba, pro physico latice Metaphysicum, pro veritate Autoritates offendi.* Scilicet censor & reformator ille novit, quomodo doctrinæ probè & solidè sint proponendæ. An non consulit rebus tractandis, prænoscere prænoscenda, monere monenda, distingvere distinguenda? nonne ad benè docendum requiritur, ut doctor benè distingvat? Ostendat ostentationes illas Autor, quas mihi hîc adscribit. Sed sicuti in alijs, ita quoque in hoc se ipsum notare, suamque personam commendare voluit. Pro rebus me verba venditare, & hîc & alibi scriptitat. In *Dissert.. c. 1. p. 27. verba audio, rem expectabam.* Et *c. 4. p. 142. verba sunt*, inquit, *atq; ineptiæ.* Ast se ipsum, suosque mores depingit Autor. Plus verborum profundit ille in sua Dissertatiuncula, ac res exigunt, & plus rhetoricatur, quàm disputat. Testantur id inanes & tædiosæ repetitiones; testantur id superfluæ & impertinentes argumentationes; testantur id diræ exagitationes, & miræ cavillationes. Loquantur superiùs annotata. Legat quis Autoris Dissertationem, & rem ita se habere, sponte fatebitur. Quod de Metaphysico latice in Scientia Physica deprehenso scribit, nescio, quid tandem prolat. Quid solidi & accurati unquam in studio theorico præstitum sine dextrâ terminorum Metaphysicorum applicatione? Nonne prima principiorum notio Metaphysica est? Nonne physica, ut particularia, fundantur in Metaphysicis, ut universalibus? Sed ad se redeat Autor. Nonne Metaphysica, quantum ad terminos, est definitio, quâ is *causam corporis naturalis* definit *principium*,

pium, quod *in esse illius influit?* Omninò. Nonne divisiones causæ efficientis, omnesque specialium modorum definitiones ex Metaphysicis ab ipso in *Inst Phys. l. 1. cap. 5. pag. 167. seqq.* sunt desumtæ? Id non negaverit. Ecce! quàm multa is in Tr. de Ort. for. & in Defens. pro Dn. Sennerto disputat de formarum substantialium actu entitativo & formali, de actu formali simpliciter & secundum quid, de existentia, & de aliis multis, quamvis ea à veritate multùm absint. Nōne isthæc sunt Metaphysica? Omninò sunt. Vide sis jam, mi Domine, in Scripris tuis Physicis laticem Metaphysicum pro physico. Quid ergo audes reformare & deformare alios? Nonne satiùs fuisset, si tuô te metitus modulô fuisses?

Deniqúe in Autore spectemus, quàm egregiùs ille sit Disputator, quàm is leges disputandi teneat, observet, calleat. Pauculis id evadet manifestum. Primò, ignoratis officia Opponentis & Respondentis. Formale Respondentis officium est, objectionem solvere, unde etiam vocamus solutionem argumenti vel syllogismi oppositi; Opponentis verò est, argumenta objicere, & contra datam à Respondente solutionem excipere. Non excipit ad argumentum respondens, propriè loquēdo, & accuratè hanc rem, ex sua natura, pensitando, nec solvit argumentum opponens. Quomodo Autor hanc rem expediverit, videamus. Ille, quando ad meas rereponsiones, quas in Theor. Corp. Natur. ad ipsius contra doctrinam Aristotelicam prolata argumenta dederam, excipere, eôque ipso opponentis partes intimare debet, se sistit ut Respondentem, non, ut opponentem; pro solutione enim, quæ mihi incūbebat, ponit exceptionem, quæ ipsius munus concernebat. Ita videre est in *cap. 1. p. 2. in cap. 2. pag. 37. 42. in cap. 3. pag. 63. 73. in cap. 4. p. 103. 111. in cap. 4. pag. 144. 147.* Aut ignorat is, se esse op-

ponentem, me verò respondentem? Deinde nescit is observare statum controversiæ, nec contra thesin illius, cum quo ipsi disputatio est, opponere. Hoc vitium toties in Disputationibus seqq. notatum fuit, quoties hîc repetere non datur. Idem sæpè in Tract. de Trad. notatum; idem quàm sæpissimè in Autoris Instit. Physicis observare licet. Sed tantùm, quomodo in primo & ultimo Dissert. capite rem gesserit, paucissimis hîc inculcabo. In primo concludit, *non tria, sed duo Corporis naturalis esse principia*; id quod Aristoteles omnesque ejus Discipuli statuunt. Concludere debebat, non esse tria generationis naturalis principia. Hæc enim conclusio tangit quæstionẽ controversam, non illa. In ultimo cap. concludit, *naturam*, prout idem dicit vel notat, quod essentia, *non dividendam esse* (vel dividi non posse) *in materiam & formam;* cum tamen hoc non sit controversum, nec id doceat Aristoteles, nec velint id Aristotelici. Debuisset concludere, *naturam, prout lib. 2. Phys. c. 1. sumitur & definitur, non esse dividendam in materiam & formam.* Hîc enim affirmativa nostra est, non ibi. Nostræ affirmativæ suam negativam is debuisset opponere. Reliqua ex Disputationum inspectione benevolo Lectori innotescent. Deniq;, quomodo consequentias nectat, (quamvis id ex Theoriæ hujus Disputationibus luculenter constare poterat) in uno alterove spectandum breviter propono. Nec longùm abeam. Præfatio Dissertationis nobis satisfacit. Ita ibi colligit: quidquid in parte generali Physices non proponitur, id cadit, adeoq; nullum est. Privatio in parte generali Physices non proponitur. Er. privatio cadit, adeoque nulla est. Concludat quis similiter de Elementis, & de aliis. Licet enim subsumere sub Majore propositione: Atqui elementa, sive elementorum doctrina in generali Physices parte non proponitur.

tur. Er. elementa cadunt; Er. eorum doctrina cadit in Physica. Porro, Autor sic colligit: Si materia in doctrina de Corporis naturalis essentiali constitutione non definitur per generationis subjectum, sequitur, quòd usitata materiæ primæ descriptio cadat. Prius est verum. Er. etiam posterius. Quæ ista consequentia? Nonne novit, Aristotelem definiisse materiam primam, uti formaliter est generationis principium? Hoc noviſſe debet, qui contra Aristotelem vult pugnare. Nonne agnoscit is in Dissertatione, generationem & constitutionem esse distincta materiæ officia? Sic formam, sic animam consideremus; distincta sunt ejus officia; unum, quô cum materia constituit compositum; alterum, quô existit in composito principium operādi. Unde ratione prioris & ipse Autor cum Aristotele animam definit, quòd sit actus primus corporis organici, &c. ratione posterioris, quòd anima sit principium, quo operamur; quo vivimus, sentimus & intelligimus. Quid si jam quis sic: Si anima in doctrina de essentiali corporis viventis constitutione nō definitur per principium operandi, sequitur, quòd illa definitio, aut, ipsa anima cadat. Sic: Si anima in doctrina de potentiis & operationibus animæ definitur per principium operandi, (vivendi, sentiēdi, intelligendi) sequitur, quòd anima sive forma corporis viventis cadat. Quæ hæ sunt consequentiæ? Porrò, quæ vis consecutionis in illo, quod in Dissertatatione habetur: quicunq; statuit, materiam elementorum esse materiam secundam, illo tollit potissimam probationē pro materia prima datam? Nulla; præcipuè, quòd ego id, quod est in antecedente, statuo de materia compositionis elementorum, Aristotelis autem doctrina, contra quam is telum dirigit, loquitur de materia generationis. Taceo, quòd materia secunda mihi à prima non sit substantialiter diversa, id

quod

quod fortean Autor nescit, vel nescire se simulat. Porrò, quæ sequela in hoc: quicunque statuit, definitionem materiæ in textu Aristotelico non esse formatam Logicè, illi (vel, illo concedente) cadit definitio naturæ. Atqui ego id statuo, Er. &c. Nulla sequela. Unicum ex *Dissert. cap 3. pag. 92.* repeto. Ita ibi pro universali materiæ Physicæ entitate Autor argumentatus fuit: *Quæcunq; materia est in multis singularibus compositis, ea quoq; est in multis singularibus materiis. Atqui materia prima est in multis singularibus compositis. Er. materia prima est in multis singularibus materiis*, adeoque, quod ille intendit, materia prima est ens universale. Sed quæ, qualisve illa Major propositio? Subsumamus ex Autore: Atqui materia singularis est in compositis singularibus; & concludamus: Er. materia singularis est in materiis singularibus. Conclusionem absurdam ex Autoris præmissis fluentem audimus; Major *cit. loc.* Minor *ibid. p. 98.* invenitur, ubi *singularia corpora singulares habere materias* scribit. Et in his acquiesco. Talia & alia plura benevolo Lectori hæc principiorum Physicorum Theoria suppeditabit.

Hæc dicenda & recensenda duxi, tùm ut benevolus Lector, tùm ut Disputationis Autor de certis quibusdam moneretur; ille quidem, ut hujus ingenium & mores nosceret, hic, ut fragilitatis & imbecillitatis suæ memoresse disceret. Videt hinc benevolus Lector, Autorem me, præter meum meritum, multis injuriis affecisse, me verbis aculeatis & maledicis petisse, mea dicta pervertisse, & nescio quid mihi affinxisse. Videt benevolus Lector, Autorem aut insigniter ignorantem esse oportere, aut gnaviter malitiosum. Videt benevolus Lector, quâ arte Autor simpliciores irretire studeat, & quô stratagemate utatur, ut illos, à quibus dissentit, & con-

contra quos scribit, tùm ludificet & contemtim habeat, tùm aliis ludibrio & contemtui exponat. Videt benevolus Lector, Autorem illis, in quibus me carpere gestit, insigniter correptum esse, & illa, quæ mihi imponit, quibusque me molestat & dehonestat, ipsi deberi. Videt deîn Dissertationis Autor, & agnoscit, se humanitatis, modestiæ & æquitatis limites transiliisse. Videt, se non esse eum, quem se esse, sibi imaginatur, & gloriatur. Videt, dicta sua non esse oracula, sed Eruditi Orbis spectacula. Videt, multa foris nitere, ut in Præfatione sua habet, & intùs putrida esse.

Hactenus de Dissertatione, ejusque Autore; nunc de illius refutatione paucula subjungenda & monenda sunt. Rudi minervâ eam contextam esse fateor. Quin autem Autori, ad cujus objecta respondere volui, sufficiat, donec is meam sententiam firmioribus & urgentioribus persequatur argumentis, ferè non dubitaverim. Ne autem hîc mihi præter rem quid tribuam, docti & candidi Lectoris judicio hasce meas Disputationes subjectas volo. Ab eruditis moneri & informari me facilimè patior. A doctis discere pudor haut est; ab indoctis sine ratione reprehendi & perstringi, dedecus. Modestè refutionem hanc conceptam & conscriptam esse, videbunt, & fatebuntur boni omnes. Nec enim par pari retuli, aut ingenium illius, qui in me multa acerba & aculeata dixit, imitatus fui. Ubi non obstare puto, quòd Autori tùm in Præfatione hac, tùm in sequentibus Disputationibus, quanquàm rarissimè, verba sua reddo, ut auferat is, quod suum est, & recipiat, quæ in alium temerè effudit & effutivit dicteria. Nec feciſſem id, nisi me & vehementer nimis & frequenter acerbis dictis petiisset. Molliora retribui, graviora sustinui. In Disputationibus verò non invenies verbum, quod in eum con-

):(d tume-

tumeliosè à me fictum & dictum, quô is jure offendi possit. Modestè, si quid contrà moliri vult Dissertationis Autor, faciat, &, missô verborum aculeatorum atq; maledicorum apparatu, rem ipsam evolvat, occasionemq́ue veritatem indagandi præbeat. Et quid, quæso, opus est, argumentorum ponderа si adsunt, alias structe machinas; quibus adversarium, quem nobis fingimus, impetamus? Quid conducit acriùs & acerbiùs dicere, quæ amicè, quæ modestè, quæ svaviter dici & poterant & debebant? Non solùm id nihil conducit, sed quoq́ue à veritatis tramite abducit. Ecce enim! non hostiliter pugnamus, non hostiles sunt ventilationes nostræ, veritatis causâ susceptæ, nec, qui hîc modestè vincit, lædit, nec, qui vincitur, læditur. Quod si verò Autor, præter omnem cùm meam, tùm aliorum bonotum expectationē, calumiari & maledicere perrexerit, quid inde in ipsum redundaturum sit, experietur. Non solùm tua, verùm etiam alia, quæ non vult, audiet. Tandem & de hoc monendus benevolus Lector, nec tàm monendus, quàm rogandus, ut erratorum, quæ hinc inde irrepsêre, rationē habere haut gravatè velit. Delenda deleantur, inserenda inserantur, mutanda mutentur, prout sequens pagina monstrat. Et si quæ alia occurrunt, à nobis non notata, eô candore, quô suâ ab aliis excipi velit, excipiat, & corrigat, humaniter peto. Valeat benevolus Lector, & faveat.

Erra-

Errata sic corrigantur.

Prius L. lineam, posterius lectionem designat.

In proœm. *fermè circ. fin. leg.* considerarem. In Disput. 1. §. 5. *l.* 2. *l.* in fieri & facto esse. §. 15. *l.* 4 *l.* detur. §. 17. *l.* 4. *l.* quotuplicis. §. 22. *l.* 2. *l.* concernit. §. 23. *l.* 11. *l.* demonstrari. §. 32. *l.* 5. *l.* definitiones. §. 37. *l.* 9. *l.* respectus. §. 41. *l.* 4. *l.* fit. *l.* 8. *l.* principium. §. 45. *l.* 9. *l.* dirigi. *l.* 17. *l.* notavi. §. 47. *l.* 17. *l.* Philosophiam. §. 48. *l.* 3. *l.* tactam. §. 49. *l.* 5. *leg.* 47. *l.* 16 argumẽtari. §. 51. *l.* 3. *l.* gignitur. §. 53. *l.* 9. *l.* definitione. §. 59. *l.* 12. *l.* fit. §. 60. *l.* 6. *del.* esse. §. 65. *l.* 7. *l.* semine. *l.* 10. *l.* imanente. §. 67. *l.* 12. *l.* possit. §. 71. *l.* 14. *del.* esse. §. 97. *l.* 11. *pro* is *l.* nos. §. 84. *l.* 2. *pro D. pon. N.* §. 87 *l.* 11. *l.* datam. §. 95. *l.* 2. *l.* infractam. In Disput. 2. §. 1. *l.* 11. *pro* 17. *l.* 21. §. 2. *l.* 6. *l.* ambiguum. §. 13. *l.* 15. *l.* inhærere. *l.* 16. *l.* qui hanc rem plenè explicet. §. 14. *l.* 13. *l.* præpositionis. §. 18. *l.* 1. *l.* asserui §. 24. *l. ult. l.* conferret. §. 28. *l.* 14. *l.* inspexerunt. §. 30. *l.* 11. *post parenthesin insere* participant; §. 38. *l.* 10. *del.* post. §. 62. *l.* 9. *l.* causa. In Disput. 3. §. 6. *l.* 8. *l.* constitisset. §. 8. *l.* 8. *l.* divisioni. §. 15. *l.* 23. *l.* negatio. § 24. *l.* 1. *l.* Clarisse ille Vir. §. 31. *l. ult. l.* ille. §. 32. *l.* 9. & 11. *l.* σιδηρόξηλον. §. 36. *l.* 16. *l.* consentientia. § 39. *l.* 9. *l.* controversia. §. 53. *l.* 9. *l.* sed traductio. In Disput. 4. §. 4. *l.* 6. *l.* thesin probat sic. §. 17. *l.* 7. *l.* Metaphysicam. §. 34. *l. penult. l.* datricem. In Disput. 5. §. 8. *l.* 5. *l.* eadem. §. 13. *l.* 10. *l.* alia. §. 27. *l.* 15. *l.* imperfectum. §. 31. *l.* 38. *l.* materia. §. 33. *l.* 5. *l.* corruptionis. §. 43. *l.* 12. *l.* tractavit. §. 46. *l.* 5. *l.* corporibus. §. 47. *l.* 2. *l.* syllogismos. *ibid. l.* 8. *l.* conditionem. §. 51. *l.* 2. *l.* omninò. § 52 *l.* 4. *l.* risibiliratis. *ibid. l.* 6. *del.* est. *ib. l.* 15. *l.* affirmari. §. 55. *l. ult. l.* quà §. 58. *l.* 17. *l.* diversificat. §. 59. *l.* 21. *leg.* differt. *th.* 62. *l.* 17. *l.* priori. *th.* 63. *l.* 24. *l.* subjecti. *th.* 66. *l.* 4. *l.* esse tantùm corpus. *ibid. l.* 7. *l.* discriminatur. *th.* 67. *l.* 4. *l.* diviso. *th.* 72. *l.* 1. *l.* elementorum. *th.* 76. *l.* 6. *l.* præteream. & *l. penul. l.* Disputatione. In Disput. 6. *th.* 9. *l.* 4. *del.* vox sibi *bis occurrens. th.* 23. *l.* 2. *l.* Disp. 1. *th.* 24. *l.* 18. *l.* Philosophus. *th.* 31. *l.* 12. *l.* genus ut & differentia. *th.* 38. *l.* 14. *l.* sit *pro sint. th.* 44. *l.* 11. *l.* illæ. *th.* 60. *l.* 4. *l.* suæ essentiæ. *th.* 62. *l.* 21. *l.* unitati universali. *th.* 67. *l.* 4. *l.* materia prima, quæ &c. *ibid. l. ult. del.* vox non *bis posita.* In Disput. 7. *th.* 9. *l.* 3. *l.* diviso. *th.* 16. *l.* 4. *l.* si *pro sit. th.* 18. *l.* 16. *l.* potissimùm. *th.* 20. *l. ult. leg.* 10. *pro* 8. *th.* 21. *l. penul. l.* actu secundo. *th.* 20. 22. *l.* Disp. 10. *th.* 27. *l.* 8. *l.* strictius. *th.* 31. *l.* 11. *l.* potentiam quiescendi. *th.* 32. *l.* 9. *l.* potentiam quiescendi. *ibid. l.* 15. *del.* & *th.* 39. *l.* 30. *l.* quietem. *th.* 86. *l.* 22. *l.* συμβεβηκὸς. *th.* 89. *l.* 6. *l.* sed modum. *th.* 107. *l.* 8. *l.* definitione. *th.* 108. *l.* 18. *l.* speciale. In Disp. 8. *th.* 3. *l.* 7. *l.* perspicacior. *th.* 5. *l.* 16. *l.* differt. *th.* 6. *l.* 3. *l.* instantiam. *ibid. l.* 21 *l.* φυσικῶς. *th.* 11. *l.* 20. *l.* expers. *ib. l.* 21. *l.* pneumaticis. *th.* 15. *l.* 37. *l.* forma. *th.* 17. *l.* 10. *l.* mutato *th.* 20. *l.* 3. *l.* naturalium. *th.* 23. *l.* 10. *del.* notare. *th.* 24. *l.* 2. *l.* definitã. *th.* 27. *l.* 8. *l.* humana. *th.* 28. *l.* 3. *l.* sequentibus. *ibid. l.* 19. *l.* passivi. *th.* 33 *l.* 4. *l.* ipsa. *th.* 35. *l.* 11. *l.* habentes. *th.* 36. *l.* 10. *l.* sunt unum. *th.* 39. *l.* 4. *l.* naturam. *th.* 40. *l.* 3. *l.* entitatibus. *th.* 41. *l.* 2. *l.* entitates.

F § 34. l. i. l. instruisse.

F § 34. l. ult. l. non tollunt.

BONO CUM DEO!

DISPUTATIO I.

DE ARISTOTELICA PRINCIPIORUM DEFINITIONE,

ex lib. 1. Phys. c. 5. t. 42.

Proœmium.

Si ulla est doctrinæ Physicæ pars, quæ difficultate cognitionis laborat, si ulla est, quæ gravissimas unquàm in Scholis progenuit controversias, si ulla est, quæ præclara exercuit ingenia, ea est, quæ de primis rerum naturalium principiis pertractat. Sive enim prisca recolamus tempora, sive nostra contemplemur, rem ita habere comperiemus. Etenim quàm multæ & variæ longè ante Platonis & Aristotelis tempora de primis rerum principiis extiterint opiniones & sententiæ, vel solùm & unicè ex Aristotelis libb. 1. Physicor. & Metaphysicor. in quibus veterum sententias enarrat, confert & refutat, cernere licet. Quæ superioribus nostri seculi annis hac de re motæ & agitatæ fuerint disputationes, quàm vehementer quidam Aristotelis de primis rerum naturalium principiis doctrinam impugnare laborârint, quem latere potest? Notæ sunt, acres satisq; litigiosæ disquisitiones & concertationes de principiis Chimicis, ante plures annos exortæ, & ad nostra usq; tempora continuatæ, ubi dicam inpingere principiis Aristotelicis multi studuerunt, imò istorum assertione hæc deturbare & è medio tollere conati fuerũt. Alii verò istis & perspicaciores & æquiores, principia Aristotelica nõ solùm asseruerunt, verùm quoq; illis primitatem & principatum præ Chimicis adscripserunt, sicut de Beguino, Sennerto, Pelshofero, aliisq; ex publicis ipsorum

rum scriptis, constat. Est & hodiè quidam, in vicina Academia Physicen profitens, qui Aristoteli & Aristoteleis dicam scribens, inter alia, principiorum primorum tùm definitionem tùm numerum impugnat. Is ferre haut potuit, ut ipsius contra doctrinam Aristotelicam objecta in Disputationibus meis Physicis modestè considerem, & ad ea amicè respondendo, doctrinam Aristotelicam defendendam sumerem. Conspectis enim illis meis, Dissertationem contra me adornavit & publicavit, in qua, sicut titulus monstrat, de principiis corporis naturalis pertractat. Pertractat autem modô haut conveniente, & Philosophum decente. Verbis siquidem asperis & aculeatis me petit, ut eam laudem, quam in Præfatione sua mihi tribuit, ipse à me, imô ab ullo candido & cordato Viro, aufferre haut possit. Sed esto! Ego par pari non referam, sed, spretô omni affectuum stimulô, omnique verborum acrimoniâ sepositâ, rem ipsam tractabo, & Autoris argumenta modestè discutiam, discussaque aliis Viris doctis altiùs repetenda & dijudicanda relinquam & subjiciam. Sit igitur

§. 1. *Aristoteles, quem pro Philosophorum principe Scholæ per tot secula habuerunt & agnoverunt, in* lib. 1. Phys. ca. 5. t. 42. *naturam principiorum physicorum hoc modô explicuit, quòd sint,* quæ nec ex se se invicem, nec ex aliis, sed ex ipsis omnia sint. *Quæ verba locô definitionis, cum alia commodior definiendi formula hactenus se se non obtulerit, in Scholis Peripateticis recepta & habita fuêre; quæ ipsa Philosophi verba in* Theor. Corpor. Natur. Disp. 5. *pluribus perspicuè exposui, &, quô sensu locô definitionis esse possint, monstravi, insimul & duos syllogismos à quodam Professore Philosopho in vicina Academia definitioni Aristotelicæ oppositos, breviter examinavi, &, quid ad illos respondendum sit, aperui.*

§. 2. *Quam rem cum repetendam & latiùs diducendam, clariùsque exponendam Idem in Dissertatione* de principiis *mihi imponat, pro hujus rei intellectu probè prænotandum esse autumo, quodnam in definitione Aristotelica sit definitum. Non certè* principia cor-

corporis naturalis, *ut Autoris titulus & inscriptio habet*, *sed* principia rerum naturalium *ab Aristotele* lib. 1. Physicor. *fuère definita. Definitio est Aristotelica, & cum Aristotele nobis est negotium; igitur sicut definitio, ita & definitum Aristotelicè, h. e. juxta Aristotelicam intentionem accipiendum est.*

§. 3. *Hæc autem res ut planior evadat, duo annotanda veniunt; Primò quod* res naturales *possint dupliciter considerari, sicut etiam in* Theor. Corp. Nat. Disp. 1. th. 20. *pluribus exposui*, vel *in particulari*, vel *in universali*; *unde etiam geminus tractandi modus profluit. Hinc dico, quòd Aristoteles* in 1. lib. Physic. *de rebus naturalibus exercitè & in particulari loquatur, non verò in universali, sive sub universali essendi ratione; non siquidem inibi de corpore naturali tractationem instituit, adeoq; neq; ibi principia corporis naturalis definivit, verùm ibi principia rerum naturalium, prout hæ ex illis generantur componunturvè, explicuit.*

§. 4. *Hinc fluit secunda notatio, quòd res naturales iterum possint dupliciter spectari;* vel *in fieri*, vel *in facto esse. Utroq; modô Philosophus principia rerum naturalium in* lib. 1. Physic. *consideravit, eorumq; naturam indagavit. Pro gemina hac notatione duo clarissimi textus in* d. lib. 1. *inveniuntur*; (I.) tex. 65. *sic habet:* si eorum, quæ naturâ constant, causæ, atq; principia sunt, ex quibus primis constant, ac facta sunt, non per accidens, sed unumquodq;, quod per substantiam dicitur, patet, omnia fieri ex subjecto (*materiam intelligit*) & forma. (2.) tex. 67. *hæc habentur:* quapropter ipsa principia tùm duo, tùm tria dicenda sunt, (*duo, intellige, ratione compositionis, tria respectu generationis*) & tùm contraria, tùm non contraria, *&c.* (*contraria, uti in substantiali generatione sunt forma & privatio, non contraria, uti sunt principia compositionis, materia scil. & forma.*)

§. 5. *Hinc Aristoteles, unâ fidelià duos parietes quasi dealbaturus, principia rerum naturalium in fieri & esse, h. e. principia generationis & compositionis, una communi definitione complecti voluit, quidquid sit, quòd ipsa in specie habeant proprias & peculiares suas rationes formales, nimir. principia constitutionis sive compositionis, prout talia, quæ ex aliis non componuntur, sed ex ipsis omnia composita physica constant; principia verò generationis, prout talia, quæ ex aliis principiis non generantur, sed ex quibus omnia corpora, quæ in natura generantur, oriuntur & fiunt.*

§. 6. *Summa igitur huc redit; 1. definiuntur principia rerum naturalium in communi; principia, inquam, rerum naturalium, non res ipsæ naturales in communi considerantur; ut proinde* lib. 1. physic. *non sit de corpore naturali & ejus principiis, scil. directè & perse. 2. cum principia illa, in specie, sint duplicis generis, quædam nimirum compositionis, quædam verò generationis, (sive constitutionis & tranmutationis) nec hæc, nec illa in specie definire Philosophus instituit, sed talem definitionem, quæ utrisq; esset communis, tradere voluit, non aliter, ac sicut alia, ut e. g. causæ internæ & externæ, una communi definitione comprehunduntur, quando causa definitur principium influens esse causati, quidquid sit, quòd causæ externæ specialem rationem & definitionem habeant, habeant quoq; causæ internæ.*

§. 7. *Cum igitur Philosophus* d. lib. 1. Physic. *definierit principia rerum naturalium prout à principiis constitutionis & generationis præscindunt, h.e. in præcisa & generali sua natura, ipsiem non de principiis corporis naturalis primò intendisse, consequitur; sed hoc tantùm relinquitur, principia corporis naturalis sub principiis in genere ab Aristotele definitis comprehendi, ut speciem sub genere, & minùs commune sub magis communi contineri, docent Scholæ Logicæ. Sed hæc in* Theoriæ Disp. 5. §. 23. & 57. *explicata fuêre uberiùs, ubi videantur; nunc ea, quæ Autor dissertationis contrà opposuit, consideranda sunt & refutanda.*

§. 8. *Objectio prima ita habet:* Quæcunq; Definitio non tàm fundamentum dubia solvendi, quàm ea movendi præbet, ea vitiosa est. Principiorum *(scilic. Aristotelicorum)* definitio non tàm fundamentum dubia solvendi, quàm ea movendi præbet. Er. principiorum *(Aristotelicorum)* definitio vitiosa est. Major est canon; Minor constat ex Interpretibus. *Ita ille in* Instit. physic. l. 1. c. 1. q. 2. p. 32. *& in* Dissert. de principiis corpor. natural. c. 1. p. 1.

§. 9. *Ad hoc argumentum dupliciter respondi in* d. Theor. Disp. 5. th. 53. *Primò ad Majorem propositionem sic:* Potest quis similiter sub Majori propositione subsumere: atqui quædam ab ipso *(Autore, qui mihi opposuerat)* prolatæ & datæ definitiones non tàm fundamentum dubia solvendi, quàm ea movendi præbent. Er. quædam illius definitiones non sunt bonæ. &c. *Deinde ad Min. propositionem sic:* respondeti poterat, quòd aliud sit præbere fundamentum dubia movendi, aliud sumere occasionem dubia movendi, quorum id ex parte objecti est, hoc ex parte subjecti, legentis

tis nimirum. Ut sic neganda veniat Minor propositio. &c. *Reliqua vid. l. d.*

§. 10. *Ad hanc meam responsionem excipit Autor in* Dissert. c. 1. p. 3. Frustrà Majorem limitat, quæ simpliciter vera est. *Et mox:* non Major est: Ex quacunq; definitione sumitur occasio dubia movendi, ea vitiosa est; Neq; etiam ita formata Major, quæcunq; definitio occasionē præbet dubia movēdi, ea vitiosa est. Vis Major subest, quàm sibi persvasit Autor. De fundamentis loquor, non de occasionibus, sive datis, sive acceptis. Immota Major hæc: quæcunq; definitio non tàm fundamentum dubia solvendi, quàm ea movendi præbet, vitiosa est. &c.

§. 11. *Ast contrà; ego Majorem, ut Autor mihi imputat, non limitavi. Si enim ea, quam mihi affingit, esset Majoris limitatio, certè aliter respondendo progredi debuissem. Tunc enim mihi non directè neganda Minor fuisset, sed prior propositio (*Ex quacunq; definitione sumitur occasio dubia movendi, ea vitiosa est*) neganda, & sic Minor concedenda; posterior verò ulteriùs limitanda fuisset, h. scilic. modò:* quæcunq; definitio ex se præbet occasionem, ita ut ex ipsius recessibus occasio dubia movendi desumatur, illa vitiosa est; *& sic, Majore h. m. explicatâ, Minor neganda fuisset. Sed Minor à me negata fuit directè de fundamento, de quo Autor Dissertationis eam attulit. Distinctionem autem adhibitam quantum concernit, non ad Majorem ea spectat, sed ad Minorem, continetq; rei ipsius declarationem, ut mox pluribus dicetur.*

§. 12. *Hoc ad Majorem responsum volui & tacitè monitum, (sicut datæ meæ Instantiæ docent) ne temerè eam adhibeamus, cum facilè quis possit de nostris subsumere, & sic argumentum in nos retorquere. Sic ego subsumsi de duabus Autoris definitionibus, de eâ, quâ causas corporis naturalis, & eâ, quâ causas externas definivit. Addo jā definitiones Traducis, tùm ab ipso, tùm ab aliis traditas, de quibus eōdē modō dici potest, quòd præbeant fundamenta dubia movendi, non autem ea solvendi & tollendi, adeoq; vitiosæ sint. Illas autem definitiones h. l. examinare ratio instituti non patitur. Ad sua quæq; loca pertinent. Hic non sunt cumulandæ disputationes, sed in præsente materia manendū.*

§. 13. *Est igitur summa responsionis meæ ad Min. hæc: non verè præbet fundamentum dubia movendi definitio principiorum Aristotelica, quidquid sit, quòd Interpretes inde sumant occasionem dubia movendi. Sæpè enim apparent esse dubiorum fundamenta, quæ tamen non sunt,*

sed leves opponendi occasiones. Latiùs ergo extendi oculos, ac sibi persuasit Autor; ista siquidem distinctione ad Minoris probationem respicere, & illam præcludere, vel dimovere volui. Ita nimirum cogitat Autor: Circa hanc definitionem multa mota sunt, & etiamnum moventur dubia; Er. fundamentum dubia illa movendi ipsa præbet definitio. Hoc jam nego ego, & dico, non ibi fundamentum sumi ex definitione, sed Interpretes ex definitione (definitionis verbis) sumere occasionem dubia circa illam movendi.

§. 14. Quæ ipsa res liquida est ex Autore. Ita enim is probat Minorem syllogismi sui §. 8. in medium propositi: Minor constat ex Interpretibus. Jam habemus, quod volumus. Sequiturne; Interpretes variè explicant definitionem principiorum, & varia circa illam movent dubia; Er. definitio ipsa præbet fundamentum variorum dubiorum. &c. Minimè hoc sequitur. Vel, conficiamus syllogismum integrum h.m. Circa quod variæ & dissidentes Interpretum sunt explicationes & sententiæ, id non tàm præbet fundamentum dubia solvendi & tollendi, quàm ea movendi. Atqui circa definitionem principiorum Aristotelicam variæ & dissidentes Interpretum occurrunt explicationes & sententiæ. Er. definitio principiorum Aristotelica non tàm præbet fundamentum dubia solvendi & tollendi, quàm ea movendi. Si major vera est, si probatio à Philosopho isto adhibita locum invenit, quomodo salvabitur infallibilis Scripturæ S. autoritas & veritas? Eôdem enim modô quis argumentabitur; Interpretes Scripturæ S. variè hoc dictum explicant, ut multa inde enascantur dubia; Er. ipsa Scriptura S. præbet fundamentum variorum dubiorum.

§. 15. Videt ergo Vir Clarissimus, quòd, ipso etiam fatente, non definitioni Aristotelicæ, sed diversis Interpretum ingeniis sit adscribendum, quòd tàm varias & dissidentes verborum Aristotelicorum videre datur interpretationes, & quòd varia illi hîc moveant dubia; Videt insimul, Minorem hoc pacto non esse probatam, verùm robustiori ad eam probandam opus esse argumento; videt denig, me optimô talionis jure eâ contra ipsum uti potuisse exclamatione, quâ ipse in sua Dissertatione contra me, quamvis immeritum, usus fuit, ô miserrimam, inquiens, Minorem! Sed ego, ut in proœmio professus fui, talibus non delector, ut non sit, quò par pari referam, & probationem miserabilem nuncupem; solummodò amicè peto, ut Minor firmiùs, ac factum, probetur. Videtur autem ea firmiter probari haut posse.

§. 16. Sed ad rem. Dispiciendum nobis de dubiis, quæ Autor circa

circa definitionem Aristotelicam in medium affert. Ita inquit in Dissert.c.1.p.7. Autor dubia auget potiùs, quàm tollit. *hic paulisper subsistendū. Rectissimè dictū! Hoc addit robur meæ responsioni. Autori alicui quod adscribitur, Interpretibus quod adscribitur, quomodo adscribetur dicto, in quo explicando illi occupantur? Sic Interpretes Aristotelis dubia movent, augent, cumulant circa definitiones Aristotelicas, non verò ipsa definitio de se ejusmodi dubia progignit, vel, ut Autor loquitur, fundamentum dubia movendi præbet.*

§. 17. *Quomodo autem à me dubia augeantur potiùs, quàm tollantur, ostendit, ita scribens* p.7. Tria agenda esse ait: 1. ostendendum, quòd sint talia principia physica prima, 2. quid sint, 3. quot sint & quotiplicis generis. Probat principia his verbis: quantum primò ad quæstionem an sint, docuit Aristoteles principia investigare ex rerum naturalium generationibus & corruptionibus. Hæ enim cum principiis naturâ sint posteriores, nobis autem longè notiores, quippe sensibus obviæ, rectè ex his ut nobis notioribus principia ipsa venamur. Cogitet nunc quispiam, & nobis edisserat, unde quotidianus rerum naturalium interitus, & succedanea earundem generatio, nisi daretur subjectum, ex quo fierent, & quod per vices illud transmutaret, cum per generationem h.e. productionem physicam ex nihilo nihil fiat? *Hæc in* Theor. Corp. Nat. Disp. 5. th. 7.

§. 18. *Nunc judicium de his meis subjungit Dissertationis Autor,* profectò, *inquiens,* nondum dubium sublatum. Erat quæstio de principiis primis; est responsio de principiis indifferenter, dari nempe materiam, & dari formam. *Resp. Ast quomodo hoc quadrat ad argumentum principale, & ad scopum Disputatoris? De dubiis, quæ sunt circa quid est principiorum, sive circa definitionem eorundem, contra me argumentari instituit, & jam affert dubium circa τὸ ὅτι sive circa quòd est. Ita enim habet argumentum supr. §. 8. contra nostram definitionem prolatum:* Quæcunque definitio præbet fundamentum dubia movendi potiùs quàm ea tollendi, ea definitio uitiosa est. Atqui definitio principiorum ex Aristotele desumta id facit; Er. *&c. Contra definitionem principiorum disputat Autor, non autem contra ipsa principia, sive esse eorundem, sed illud, contra ipsorum definitionem argumentans, præsupponit.*

§. 19. *Sed acceptemus dubium, & consideremus. Nego, responsionem meam esse de principiis indifferenter; reverà est de principiis*

cipiis primis physicis internis rerum naturalium, quia non sunt alia priora rerum naturalium interna principia, quàm illa, materia prima, forma & privatio. Dentur & nominentur alia istis priora. Ut proinde omninò probationi meæ robur suum constet, cujus summa est hæc: Datur in natura generatio. Er. dantur in natura principia generationis. Vel, sit hæc argumentatio: Ex quibus principiis res naturales primò fiunt & generantur, illa sunt prima generationis, & rerum naturalium, prout generantur principia. Atqui ex materia forma & privatione res naturales primò fiunt & generantur. Er. materia forma & privatio sunt prima generationis & rerum naturalium, prout generantur, principia. Quod argumentum sicut fundamentum habet in lib. 1. Physicor. Aristot. ita quoq; habet in Dn. Sennerti p. m. Tr. de C.D. Chimicor. cum Arist. & Galen. ca. 7. p. 72. quem locum ego Physicæ Studiosis commendatum volo.

§. 20. Not. quòd addita vox primò. Hocce quippe est, quòd Philosophus intimam primorum principiorum conditionem in negatione ponit, ajens, principia non esse ex aliis principiis, scilic. ejusdem generis. Hinc fluit sylogismus: Quæcunq; principia non sunt ex aliis principiis prioribus, sed ex ipsis sunt omnia, quæ fiunt & generantur, illa sunt prima principia physica interna. Atqui principia hæc physica non sunt ex aliis principiis prioribus, sed ex ipsis sunt omnia, quæ fiunt & generantur. Er. principia hæc physica sunt prima principia physica interna.

§. 21. Pergit Autor Dissertationis in p. 8. Hoc est, quòd dictum fuit in Institutionibus, è generationibus & corruptionibus non posse probari materiam primam, cum omnes generationes & corruptiones secundam materiam habeant loco subjecti. Hoc est, quod dictum ibidem, eodem pactô primam quoq; formam probatam esse. Quin & prima privatio concedenda foret per probationem hanc, qua prima confirmantur principia.

§. 22. Tria, de tribus distinctis principiis, Autor in medium protulit. Primum de materia prima quod concernit, dico, nos non curare, quid Autor in suis Institutionibus habeat; potiùs curamus, quid res ipsa dicat, quid natura nos doceat. Negandum igitur, è generationibus & corruptionibus non posse probari materiam primam. Contrarium tàm liquidum est, quàm quod liquidissimum. Videat Vir Clarissimus hoc modo probatam à Svarez Disp. Metaph. 13. s. 1. §. 4. seqq. p. 250. plur. Rever. Dn. D. Jac. Martin. in Partit. Metaphys. l. 1. s. 8.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786449799/phys_0040
DFG

p.343.seqq. per tot.Dn.Senner.p.m.in Epit.Nat.Scient. l. 1. c. 3. p. 37. sq. & in Tract.de C.D.l.d.p.72. *Ad has horum Doctorum probationes Autor respondeat; refutet illa, quæ in citatis Dn. D. Sennerti locis habentur.*

§. 23. *Sed rationem Autoris videamus*; quia omnes generationes & corruptiones materiam secundam habent locô subjecti. *Resp. hoc quamvis concedam, tamen quando medius terminus conjungitur cum majori termino, nulla erit consecutio. Nec enim valet: generationes & corruptiones habent subjectum materiam secundam; Er. non habent subjectum materiam primam. Non, inquam, procedit. Cum contrariô modô se res habeat, nimirum eô ipsô, quô generatio & corruptio pro subjecto habent materiam secundam, habent quoq; primam; siquidem omnia unam & eandem habent materiam sub diversis formis & dispositionibus, quæ materiæ substantiam non mutant, id quod ex artefactis demonstrare poterat. Imò propriè loquendo, non est alia materia physica, quàm prima, uti probè observat* pl. Rever. Dn. D. Martin. l. d. p. 454. *quem Author consulat. Hinc etiam doctiores Philosophi in definitione animæ, per corpus organicum non aliam, quàm primam materiam intelligi volunt; vid.* P. Hurt. de Mendoz. disp. 1. de Anim. s. 1. §. 1. & 2. p. 6. *Conf.* ejusd. Disput. Phys. sect. 2. §. 23. p. 222.

§. 24. *Alterum de* forma *illatum quod attinet, negatur, eôdem pactô primam quoq; formam probatam esse. Nec enim valet: Datur materia prima; Er. datur quoq; forma prima. De principiis enim in specie judicandum juxta naturas suas & proprias rationes. Materia physica specialiratione dicitur prima materia. Hujus enim est, primò subjici omnibus formis, omnibusq; mutationibus & vicissitudinibus, unde subjecti primi nomẽ sibi vendicat; id autẽ, quod istis omnibus primò subjicitur, una est substantia, una, in quâ, specie & natura potentia receptiva, plures verò secundùm speciẽ actus. Ideoq; cũ nõ sit aliud, quod primò subjiciatur mutationibus physicis, quàm una hæc materia, ipsa primum mutationum physicarum subjectum nuncupari meruit. Conf.* Sennert. Tr. de C.D. c. 7. p. 72. *Nec etiam valet; Dantur prima principia rerum naturalium in esse & fieri; Er. datur forma prima. Sunt enim distinctissima: Dari formam primam, & dari principium primum, quod sit forma, vel, dari formam, quæ sit principium primum. Forma est principium primum rerum naturalium; non vero propterea, quia forma est primum rerum naturalium principium, forma prima*

statu-

statuenda est. Nec enim quòd materia prima est talis, primum, puta, subjectum, id habet ex communi principiorum ratione, sed id habet ipsa ex propriâ suâ naturâ & specialiori ratione, ut dictum. In eosiquidem differentia est posita, quâ à materia secunda discriminatur.

§. 25. *Quà tertium de* privatione, *similis est responsio. Non prima privatio statuenda est, ob id, quòd privatio primum generationis principium asseritur. Quomodo enim sequitur: privatio est in numero primorum principiorum physicorum; Er. datur prima privatio? Quomodo sequitur: ex privatione ut principio primo physico existit generatio. Er. datur prima privatio? Minimè id sequitur. Non igitur propterea, quod privatio numeratur in principiis primis generationis, privatio prima statuenda est. Quòd materia dicitur prima, non est ex communi principiorum ratione, sed ex speciali materiæ conditione, ut §. ant. dictum. Non autem ex speciali conditione unius principii physici de natura alterius judicari potest. Sed sicut ea in communi ratione conveniunt, ita in speciali atq; propriâ differunt. Hæc autem, quantum ad hoc, est specialis ratio horum principiorum, quòd materia est primum formarum receptaculum & habitaculum, quòd est primum generationis susceptivum, adeoq; tàm formæ, quàm privationis subjectum; privationis ante formæ receptionem, formæ, dum ea per generationem introducta & recepta est.*

§. 26. *Pergit Autor Dissertationis in* p. 9. Hoc est, quod dictum fuit, generationem & corruptionem quibusdam saltem corporibus naturalibus competere, non omnibus. Non ergo probant prima generalissima & communissima principia. Argumentamur: Quicunq; pro principiis primis & universalissimis probat secunda & particularia, rem malè gerit. Autor pro principiis primis & universalissimis probat secunda & particularia. Ergo Autor rem malè gerit.

§. 27. *Ad hanc objectionem à me responsum in* Theor. C. N. Disp. 6. th. 41. *Addo, rectè se habere priùs posita, scilic. generationem & corruptionem non omnibus corporibus naturalibus competere, sed tantùm aliquibus; ast sequela nulla est; Er. non probant prima & communissima principia. Siquidem eò ipso, quò probantur prima generationis principia, probantur quoq; prima compositionis principia; materia siquidem & forma non sunt alia principia in generatione, & alia in compositione, quamvis aliam χέσιν habentia, sicut in* disp. 6. §. 29. *ex* B. Meisner. Philos. Sobr. par. 1. Sect. 3. c. 2. q. 2. B. Sennert. Epit. Nat. Sc. l. 1. c. 3. p. 35. & Cl. Dn. Scharffii Phys. Rec. par. gen. l. 1. c. 1.

l. 1. c.1. p. 47. *ostendi.* *Et annon ipse Vir Clariss. qui nobis ita opposuit, distinguit inter substantiam rei, ejusq; χέσιν atq; officium, in* Defens. l. 2. c. 11. p. 362. & ca. 12. p. 391. lin. ult. *una res, una substantia plures potest habere χέσεις; sic materia & forma habent χέσιν ad generationem, & ad compositionem.*

§. 28. *Nunc patet, quid ad subsequens Authoris argumentum,* §. 26. *in medium allatum, respondendum sit, nimir: neg. propos. min. quæ non fuit probata per antecedentia, neq; in æternum efficaciter probari potest.* Inquis; *probantur tantùm principia generationis, quæ sunt principia particularia, rerum scil. generabilium.* Resp. *nego, illa tantùm principia probata esse.* Inquis *iterum: me probationis medium â generatione desumsisse.* Resp. *Ita est. At sequiturne; Er. tantùm generationis principia probata? Minimè id sequitur. Putârim, me eô ipso, quô generationis principia probavi, probâsse quoq; compositionis principia, quia hæc in substantia non sunt alia, quàm ipsa illa, quæ generationis quoq; sunt principia, ut* §. antec. *constitit.*

§. 29. *Neminem autem offendat, quòd lubuerit mihi cum Aristotele medium probationis sumere â generatione naturali, tanquàm effectu naturæ manifestissimo, & nobis notissimo, cum rei ipsi nihil decedere isto probandi modô viderim. Patet id ex hac argumentatione: quôcunq; mediô probantur materia & forma, illo mediô probantur principia physica prima generalissima & communissima, ut cum Authore loquar. Atqui mediô â generatione naturali desumtô probantur materia & forma. Er. mediô à generatione naturali desumto probantur principia Physica prima generalissima & cõmunissima. Neutra præmissarum negari potest. Nec quid aliud præstat aut efficit, qui ita probationem instituit: Dantur in natura res corporeæ, sive composita physica. Er. dantur principia, ex quibus illa primò & per se constant, quæ non sunt, imò ne quidem possunt esse alia, quàm materia & forma. Nec aliud efficeret, qui h. m. probare instituret ex* l. 2. Physicorum; *Datur motus in natura, dantur operationes rerum naturalium. Er. illa ab aliquo principio interno primo effectivè procedunt, & in aliquo subjecto primo recipiuntur. Principium illud internum activum est forma, receptivum & passivum est prima cuiq; subjecta materia,* Aristot. l. 2. Phys. c. 1. t. 10. *Conf.* Dn. Sennert. Epit. N. S. l. 1. c. 4. p. 65. Cl. Dn. Scharff. P. R. part. gen. l. 1. c. 1. p. 46. & c. 5. p. 170. *Ubi eadem principia probantur, quamvis probationis fundamentum ab alia & alia eorundem χέσι desumatur. Atq; hoc*

pactô habemus probata principia prima, sive illa, ratione officii & specialis habitud.n's, sint compositionis, sive generationis, aut etiam aliarum mutationum principia. Hac re quæ, quæso, ulla alia clarior esse potest?

§. 30. *Hoc, antequàm ad alia abeam, notandum, quod dictũ in objectione de* principiis secundis, universalibus & particularib9. 1. *Propriè & accuratè loquendo nulla sunt principia secunda, sicut in* Theor. C.N. Disp.5. th.6. *dictum fuit. Huc pertinet quoq;, quod* Pl. Rev. Dn. D. J. Martin. Partit. Metaph. l. d. p. 344. *materiam secundam propriè non esse materiam, rectè tradit. 2. Principia universalia & generalia quando nominantur, rectè id intelligendum est. Non enim de universalitate logica id intelligendum, siquidem hic de principiis essendi & fiendi Physicis est sermo, quæ communia sunt physicè & à parte rei, non verò sunt communia per intellectus attributionem; dicunturq; universalia & communia, quod de se ad omnes res naturales spectant; nullo siquidem intellectu humanô operante, & cuiquam quidquam attribuente, res naturales constant ex materia & forma; nulla quoq; intellectus operatione conferente hæc principia ad rerum naturalium generationes spectant, ita ut quidquid generatur, ex principiis illis generetur.*

§. 31. *Nunc ad definitionem Aristotelicam perstringendam, Autor Dissertationis sese accingit, & dubia circa illam movere incipit. Primo totam definitionem adoritur, & duo contra illam opponit. 1. Ait, isto pactô non definiri principia prima.* Qui dicit, *inquit,* quid non sint principia, essentiam principiorum non explicat. Cùm removemus aliquid, essentiam non ponimus, nec positam explicamus. Cadunt ergo duæ priores principiorum conditiones.

§. 32. *At contrà: non cadunt duæ principiorum nostrorum conditiones. Etenim prout res sunt, ita concipiuntur, ita definiuntur. Hic 1.* quædam *res sunt prædicamentales, ut homo, magnitudo, habitus, &c.* quædam *non sunt prædicamentales, ut ens, non ens, unum, infinitum, principium, causa, &c. Hic certè definitiones non eôdem sese habere modô, & posteriorum non admittere rigorem illum, quem aliàs canones Logici requirunt, quilibet mecum fatebitur. 2.* quædam *definibilia includunt negationem,* quædam *non. Quæ negationem includunt, illa per negationem optimè definiuntur, imò aliter nec possunt, nec debent definiri, cùm negatio sit de formalitate eorum. Conf.* Cl. Dn. Sthalii Reg. Phil. ed. Rintel. tit. 12. Reg. 10. p. 298. 299. *De-*

nigs

nig. 3. notat. vocem essentiæ h. l. quodammodò latiùs accipi pro eo; quod in re sive objecto concipitur primò; dicitur aliis quidditas, alis ratio formalis, &c. Id autem, quod primò in objectis concipitur, non semper est positivum, sed quandoq; negativum & privativum. Sic quis cæcitatem positivè explicabit, vel cæcum, positivè definiet? quis unum, quis infinitum sine negatione definiet? Nonne hæc est essentia unius, quòd in se indivisum est? indivisio autem negationem dicit. Nonne infinitum Metaphysicè acceptum definitur, quod non habet terminos essentiæ; physicè v. sumtùm, quod non habet terminos quantitatis suæ? Nonne cæcum id est, quod non habet visum? 4. Quid? quod & positivorum entium definitiones non semper carent negationibus; si non explicitis, tamen implicitis, & talibus vocibus exponantur, quæ formaliter negationem involuunt, quæque aliquid de definito removent. Sic quando DEUS definitur Spiritus independens, vel ab alio non dependens; brutum animal irrationale; quâ definitione à bruto removetur aliquid, nimirum ratio.

§. 33. Similiter se habet res in definitione principiorum. Ibi enim cum definitum formaliter involvat negationem, negationem, puta prioris, ut & propterea principia hæc physica dici consueverint prima, quòd priora in hoc genere non habeant, ideò in eorundem definitione ratio debet exponi, quæ primitatem illam tangat, & exponat. Non autem potest aliter exponi, quàm per remotionem aliorum, ex quibus hæc principia esse cogitari possint. Everteretur enim principiorum istorum natura, & non essent principia prima physica, si ex aliis constarent principiis, aut ex aliis genita essent. Igitur hoc in definitione erat exprimendum.

§. 34. Et quid opus est operosâ hac declaratione, cum ipse ille Autor definitiones tradat per negationes. Sic definit causas externas in Instit. Phys. l. 1. c. 1. p. 23. quod sint, quæ corporis naturalis essentiam non ingrediuntur, sed extrinsecus illud constituunt; & cap. 5. p. 167. efficiens universale definit, quod ad unum certum corpus naturale producendum determinatum non est; & pag. sec. 169. efficiens instrumentale finit esse, quod corporis naturalis productionem per se non intendit, & ad producendum illud principali inservit. Nonne eôdem modô sonant hæ definitiones, quô nostra? Eôdem sanè modo. Principia rerum naturalium sunt, quæ non sunt ex aliis, sed ex ipsis sunt omnia; causa externa est, quæ non ingreditur essentiam corporis naturalis, sed extrinsecùs illud constitu-

it; & c. Est hîc notatu dignum, quòd nostra principiorum definitio non solùm aliquid de definito removeat, verùm quoq; aliquid in ipso ponat, ut sic, quod unius negatione removetur, alterius positione compleatur, adeoq; definitio nostra non sit omninò sive omni ex parte negativa. At verò definitio causæ universalis ab Autore tradita tantùm removet, nihilq; ponit in definito.

§. 35. *Sed ad rationem quoq; ab Autore additam respondendum.* Cum removemus aliquid, *inquit*, essentiam non ponimus, nec positam explicamus. *Resp. Scilicet illud esse non ponimus & ponendo explicamus, quod removemus; rectissimè. Cùm removemus aliquid de definito, essentiam definiti non removemus, sed aliud removemus, quod essentiæ definiti repugnat, & quod, nisi removeatur, essentiam evertit. Sic quando brutum definimus, quòd sit animal irrationale, sive ratione carens, quæ carentia negationem dicit; tunc removemus aliquid, nimirum rationem, utpote quæ bruto non debetur, non autem removemus essentiam bruti.*

§. 36. II. *Pergit Autor, & opponit verba quædam ex* Disput. meæ 5. th. 13. *transsumta, ita scribens* p. 9. Dicis: principia prima habere triplicem respectum; ad priora, ad se invicem, & ad posteriora. Quid, quæso, positivi in duobus prioribus respectibus? Non dantur priora illa; Er nec respectum ad ea habent principia prima, neq; ad essentiam horum respectus is facit. Neq; etiam hoc quid essentiale sapit, cum non sunt ex se invicem. Principium respicit suum principiatum, quod hîc solum corpus naturale est. Ultima ergo conditio satis erat. Quatenus principia sunt, corpora ex iis sunt; quatenus prima, omnia corpora ex iis sunt. Hîc acquiescendum. Omittendæ ergo duæ priores conditiones & exterminandæ.

§. 37. *Tria, ut video, Autor excipit ad tres illos, quos in principiis istis notavi, respectûs. Ad 1. patet responsio ex modò dictis. Ad discursum respondeo, neg. consequentiam. Omninò potest* χέσις *aliqua dari ad ea, quæ non sunt. Dantur siquidem respectus rationis, quando scilic. intellectus unũ ad aliud refert, vel habitudinem aliquam inter aliqua instituit, quamvis vel utrumq;, vel alterum non sit. Consulantur Scholæ Metaphysicæ. Nec respectus ille ad essentiam principiorum facit, ut Autor putat, sed negatio illius respectus; tollitur siquidem ille respectus, dum dicitur, principia nõ esse ex aliis. Et nisi hic respectus de principiis removeretur, sed poneretur, ipsorum natura everteretur. Ad*

2. *Neg.*

2. *Neg.* tò non esse ex se invicem *in principiis hisce physicis non sapere quid essentiale; siquidem eô non admisso in principiis, evertitur natura eorum, nec erunt ea prima generationis & compositionis principia, cum sic ipsa ex se invicem sint composita, aut ex se invicem genita, quod certè utrumq; principiis primis repugnat. Et sicut quid essentiale sapit in causa externa, eam nullius effectus essentiam ingredi, ita quid essentiale sapit in principiis hisce physicis, ipsa nec ex aliis, nec ex se invicem esse. Ad* 3. *dico*, principium respicere suum principiatum, *verum est*; principiatum autem principiorum horum physicorum esse solum corpus naturale, *falsum est. Aristoteles siquidem, ut toties dictum, isto in libro, in quô, consilio suo ductus, principia rerum naturalium definivit, de corpore naturali non pertractat, adeòq; nec de principiis corporis naturalis, sed de principiis rerum naturalium, quibus generatio competit agit, illisq; generalem principiorum definitionem accõmodat. At in* lib. 2. Physicor. *Aristoteles de corpore naturali tractare instituit. Hæc novit Autor Dissertationis ex* Theor. C. N. Disp. 4. 6. & 10. *Ut propterea frustrà sit in talibus afferendis, & toties, ceu sequentes paginæ monstrabunt, repetendis.*

§. 38. *Quod porrò ait*, quatenus principia sunt, corpora ex iis sunt, *admitto, quantum ad rem, & quantum ad genus; quantum enim ad specialem modum, dupliciter id intelligendũ esse, ex seq. Disputatione patebit. Nõ v. admittẽdũ videtur, quòd ait porrò*; quatenus prima sunt principia, omnia corpora ex iis sunt. *Id enim nõ est de ratione principiorum, ut* prima *sunt, sed ut* communia *sunt; ut enim prima sunt, ex aliis non sunt, simplicia sunt, incomposita sunt, & c. vid.* Theor. C. N. Disp. 5. th. 44. 45. *quatenus verò communia sunt principia, ex illis omnia corpora esse, statuendum est.* Commune *enim est, quod ad multa pertinet*; primum, *quat. primum est, quod non habet prius in eo genere, in quo est primum.*

§. 39. *Ut sic ex dictis constare arbitrer, ultimam principiorũ conditionem non sufficere ad naturam eorundem perfectè explicandam, ut propterea duæ priores omittendæ sint & exterminandæ. Definienda enim hic principia prima & universalia sive communia; ergo talis definitio afferenda, quæ omnes formalitates, sive omnia illa, quæ primò in principiis hisce concipimus, exprimant. Illa igitur non poterat dari, nisi removeretur aliquid, & poneretur aliquid, sicut & Autor in definitione causæ externæ fecit. Nimirum in talibus definitionibus primò removemus ea, quæ essentiam rei non ingrediuntur, nec ingredi possunt, deinde ponimus ea, quæ essentiam ejus ingrediuntur.*

§. 39. *Ha-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786449799/phys_0047
DFG

§. 40. *Hactenus Autor in genere quasi contra definitionem principiorum opposuit; nunc in specie se confert ad partes definitionis, & primò ad primam eorundem conditionem examinandam, in* Dissert. p. 10. sq. *intenditq; adhuc obtinere, definitionem Aristotelicam non tàm fundamentum dubia solvendi, quàm ea movendi præbere. Prima autem principiorum conditio in textu Aristotelis ponitur hæc; quod* principia non sint ex sese invicem; ἐξ ἀλλήλων *est in textu Græco; Cujus explicatio videatur in* Theor. C. N. Disp. 5. th. 27.

§. 41. *Contra hanc conditionem nihil novi opponit Autor, sed eas assumit objectiones, quas ego in* d. Disp. 5. th. 33. *in medium proposui, quæq; longis abhinc temporibus ab Interpretibus motæ fuêre. Illæ ita habent.* Forma fit ex materia; Er. aliquod principium fit ex materia. Materia autem est principium. Er. unum principium fit ex altero principio. Major probatur, quia forma educitur ex potentia materiæ, adeoq; ex illa fit. *Item*: forma fit ex privatione. Forma est principium; Er. aliquod principiam fit ex privatione. Privatio autem, Aristotele aliisq; Philosophis asserentibus, est principium. Er. unum principium fit ex altero, *&c. His subjungit Autor in* Dissert. p. 11. Hactenus dubium, quod fundamenti locô ipsam habet definitionem. Scilicet principiorum definitio in principiis fundata est. His ergo applicanda.

§. 42. *At minimè dubia hæc, à priscis Philosophis excogitata, fundamenti locô habent ipsam definitionem, cum ne quidem ex ipsa definitione desumta sint. Ex nulla principiorum conditione objectiones istæ profectæ, neq; contra ullam directæ sunt. Non ex primâ, nec contra primam. Hæc ita habet:* principia non sunt ex se invicem, (μὴ ἐξ ἀλλήλων) *Quid jam concluditur? hoc concluditur: unum principium fit ex altero, quia forma fit ex materia, & eadem fit ex privatione. Ast! estne illa conclusio contra conditionem Aristotelicam? Minimè est contra eam. Ita enim debuisset inferri: Er. principia hæc sunt ex se invicem. Jam autem hæc non fuit illata, nec potest inferri. Quamvis enim hoc principium sit ex illo, non tamen illud vicissim est ex hoc, adeoq; sic principia non sunt ἐξ ἀλλήλων, ut sic inviolata maneat prima principiorum conditio. Non ex secunda, nec contra secundâ, quæ est hæc:* principia non sunt ex aliis: *Et fortean Autor hoc concedit, cum ad eam dubia non accommodet, sed contra primam conditionem ea mota esse, cum aliis sentiat. Patet q; id facilè; siquidem aliud est,* unum prin-

principiorum horum esse ex altero ut conprincipio, *ut formam ex materia, quod vult objectio* §. antec. *repetita, & aliud*, aliquod principium esse ex alio principio in eodem genere, *quod vult secunda conditio, sicut in* Disp. 5. th. 39. *explicatum est. Neq; etiam ex tertia principiorum conditione, neq; etiam contra eam, quæ est*; ex principiis esse omnia. *hic cum res ipsa nobis loquatur, non est, ut aliquid probationis locô addatur. Sed hæc ex superabundanti. Autori, qui affirmat, conditiones istas præbere fundamentum dubiorum movendorum, quia, hic opponens est, incumbit Minorem suam probare. Sed, ut suprà dixi, videtur ea firmâ destitui probatione. Quà primam conditionem omnis opponendi occasio jam præclusa est. Ita Autor, si opponentis officiô legitimè vult fungi, debet concludere: Er. principia prima rerum naturalium, ab Aristotele lib. 1. Physicor. considerata, sunt ex se invicem; ut contradicatur primæ conditioni eô modô, quô* Disp. 5. th. 27. *expositum fuit.*

§. 43. *His sic monstratis, responsiones meæ, quas ad objectiones, §. 40. repetitas, dedi, spectandæ veniunt. Hic primò aliorum responsiones recensui in* d. Disp. 5. th. 34. *posteà* th. *35.* & *36. propriam attuli. Sciendum autem, me dupliciter respondisse,* (1.) *pro liberandâ prima principiorum conditione, quod feci primâ responsione in* th. *35.* (2.) *pro re ipsa explicanda, occasione argumentorum objectorum, quod feci* th. 36. *Prima mea responsio probat primam aliorum responsionem, utpote ex visceribus textus Aristotelici desumtam, ejusq; intentionem magis assequentem, ac assequuntur aliæ aliorum responsiones.* Autumamus igitur, *dixi*, vulgatam istam objectionem non esse, contra isthanc Aristotelis conditionem. Ea enim est; principia non sint ex se mutuò; concluditur in objectione; aliquod principium est ex altero principio. Quô modô non contradicitur isti conditioni. Principia enim non esse ex se mutuò hoc importat, quòd principia in sese mutuò non abeant, nec sibi mutuò principia existant. Quamvis ergo formæ, ob generationem, competat, ut suo modô ex materia sit, non tamen id vicissim est materiæ, ut ex forma sit; adeoq; sic non violatur prima illa conditio.

§. 44. *Sed quid ad hæc Autor Dissertationis. Scommata & cavillationes. Ita ille.* Præstat audire nihil, quàm ea, quæ nihil prosunt. ô acutissimè excogitatum! Forma est principium, licèt sit ex materia, licèt ex privatione, modò ex ipsa non sit materia, non sit privatio. At essetne tunc minùs principium? Minùsne prin-

cipium foret, si ex ea esset vel privatio, vel materia? sanè juxta accuratam hanc definitionem principiorum: principia non sunt ἐξ ἀλλήλων. Si vera reor, aut conditio nulla est, aut explicatio inepta.

§. 45. *Ast videtur, ac si Autor responsionem meam non fuerit assecutus. Hæc est mea responsio, quæ in ipsa definitione fundatur, & ex illa depromitur in* d. Disp. 5. th. 27. & hujus Disp. th. antec. 40. *Non obstat primæ principiorum conditioni, & Aristotelis intentioni, quòd forma est ex materia, cum non vicissim materia sit ex forma. Formam enim esse ex materia, non infert principia esse ex se invicem: sed formam esse ex materia, & materiam vicissim esse ex forma, importat, vel infert principia esse ex se invicem. Cum autem hoc posterius non sit, constat, non posse argumentum digiri contra primam illam conditionem. Nec enim valet: Forma est ex materia per generationem; Er. principia prima sunt ex sese invicem. Cum ergo hæc collectio non procedat, manet, contra conditionem Aristotelicam isto modò nihil concludi, sed illam manere inviolatam, donec aliis, iisq; firmioribus argumentis petatur. Estq; notandum, quòd Aristoteles hanc conditionem hisce principiis tribuerit propter elementa, quæ ἐξ ἀλλήλων esse, & in se invicem transmutari statuit* l. 2. de ort. int. c. 4. t. 34. *sicut & Disp. 5. §. 27. notavi.*

§. 46. *Ad hanc responsionem nihil molitur Autor, sed impertinentia affert, & hypothesin de ortu formæ ex materia & privatione perstringit. Neq; enim ego hic dico & intendo, formam esse principium, licèt sit ex materia & privatione, modò ex ipsa non sit materia, nec etiam sit privatio; Non sic, non sic, Clarissime Vir (Non enim de eo hîc est disquisitio, an forma sit principium, si sit ex materia, non verò sit principium, si vicissim ex ea sit materia; sed de eo, an, si forma sit ex materia & privatione, per id prima hæc conditio stragem patiatur) sed sic, quamvis forma sit ex materia & privatione, sive ex materia privata, tamen conditio prima Aristotelis salva est, h. e. tamen manet, principia non esse ex se invicem, cum non sicut forma est ex materia, ita materia est ex forma. Vult siquidem Aristoteles dicere, non esse contra naturam horum principiorum, ut unum (illud nimirum, cujus natura fert) sit ex altero, modò illud vicissim non sit ex isto, materiam intelligens, quæ nullum sui ortum agnoscit. Summa rei sit inclusa syllogismo: Quorumcunq; principiorum unum est ex altero, id autem non*

est

est vicissim ex illo, illa principia non sunt ex se invicem. Atqui unum aliorum principiorum est ex altero, alterum autem non est vicissim ex illo. Er. dicta principia non sunt ex se invicem. Atq; sic per hoc, quod forma est ex materia, non violatur prima principiorum conditio, cum materia non sit vicissim ex forma. Judicet nunc benevolus lector, uter inepte hac de re senserit & scripserit, an ego, an Dissertationis Autor? an ille, qui rem ex suis recessibus eruit & explicat, an ille, qui explicationem non assequitur?

§. 47. *Nectit Autor & subjungit argumentum* d. p. 14. Quæcunq; sententia non saltem ex quodam principio primo facit principiatum, sed & seipsam evertit, ea ferenda non est. Hæc sententia non saltem ex quodam principio primo facit principiatum, sed & seipsam everrit. Er. sententia hæc ferenda non est. *Subjungit*: atq; hæc illa Ethnica Philosophia est, quâ unum aliquod principium fingitur, materia scilic. prima, è qua prodeant formæ. *Hic quantum primò ad Syllogismum, ejus conclusio non est contra primam principiorum conditionem, nec est contra primam meam responsionem, quâ dixi & ostendi, primam Aristotelicam conditionem non turbari per hoc, quòd forma sit ex materia. Quamvis enim forma sit ex materia, exinde tamen non sequitur, principia esse ex se invicem, cum vice versa materia non sit (nec esse possit) ex forma, cum neutrius naturæ congruum id sit. Ad alteram meam, quæ sequitur jam, responsionem, objectio illa spectat, & contra eam est directa; ibiq; (§. 49.) ad eam respondebitur. Quòd deinde exagitat Aristotelicam Philosophicam, propterea quod formas ex materia fieri statuit, esto indicium penes Eruditum Lectorem, utra sanior sit & vero similior sententia, an illa, quæ formas Physicas, illas puta, quas & Autor necessariò in materia esse & fieri finit, ex materia & subjecto aliquo physico produci asserit, ut antiqua Philosophia per tot secula docuit; an verò illa, quæ eas produci vult ex nihilo, ut Philosophia nova statuit? Sed de hac re suo locô.*

§. 48. *Atq; hoc pacto primam meam responsionem dilucidatam & salvatam esse arbitror, eâq; ostensum, primam definitionis Aristotelicæ partem per vulgatas illas objectiones non fuisse factam, multò minùs incommodatam, aut eidem quid inflictum. Nuncalteram responsionem breviter & summariè repeto. I. Inculco, objectiones illas, si accuratiùs rem pensitemus, planè non esse contra ullam principiorum conditionem, sicut §. 41. ostendi, ut de jure non teneamnr, ad illas*

b.l. respondere. Nihil aliud illæ volunt, quàm unum principium esse ex altero, ut formam ex materia, ipsius privationem in se habente, non vero reciprocè. II. Ut autem hæc res constet, & obsoletis objectionibus satisfiat, in d. Disp. 5. th. 36. *distinctiones & observationes quasdam adhibui, & §. seq. 37. quatuor Conclusiones in medium proposui, quæ sunt istæ:* 1. Unum principium non potest esse ex altero principio per substantialem transmutationem; *nec enim materiam in formam, nec formam in materiam transmutari natura comprobat.* 2. Principium unum non potest esse ex altero per intrinsecam constitutionem, *nec enim alterum alterius substantiam ingreditur.* 3. Aliquod principium potest esse ex altero per simplicem eductionem, *quomodo formæ materiales sunt ex materia.* 4. Aliquod principium potest esse ex altero principio tanquam termino à quo per naturalem consecutionem, *quomodo forma à privatione, ut termino à quo, pendere dicitur.*

§. 49. *Ad harum Conclusionum tres priores nihil excepit Dissertationis Autor; ad quartam & ultimam duo regessit* p. 15. & 16. *primò, discursum P. Hurt. de Mendoza, deinde argumentum, quo productionem formarum ex nihilo probare intendit, de quo utroq; in sequentibus, si prius syllogismus §. 46. propositus, quippe qui tertiæ meæ adversatur Conclusioni; adeoq; huc spectat, considoratus fuerit. Illius propositio Major duo habet membra. Quà primum, eam sic limito: quæcunq; sententia ex principio facit principiatum, in illo scilicèt genere vel ordine, in quo ipsum est (esse debet) principium, illa ferenda non est. Jam neg. Minor. Quamvis enim forma sit ex materia, adsoq; principiatum illius, tamen non evadet principiatum, in genere principii formalis, nec desinet esse forma vel principium rei naturalis. Neq; enim valet collectio: quidquid est ex alio principio, id non est principium. Imò si argumentum procedit, etiam in Clarissimi Viri sententia forma erit principiatum. Statuit enim eam in generatione produci à generante. Hinc eod. modò argumentari licet: Quæcunq; sententia ex principio facit principiatum, illa sententia ferenda non est. Sententia statuens, formam in naturali generatione produci à generante, ex principio facit principiatum; Er. sententia statuens, formam in naturali generatione produci à generante, ferenda non est. Simile est argumentum illi, quod mihi oppositum fuit. Nec concedet Vir Clarissimus, si ita quis colligat: forma in generatione producitur. Er. forma principiatum est, non principium; sed ita respondebit:*

debit: forma quamvis principiatum sit respectu generantis, ut principii effectivi & productivi, est tamen & manet, illo non obstante, principium rei genitæ.

§. 49. Rectissimè. Similiter nos respondemus: forma quamvis principiatum sit respectu materiæ ut principii subjectivi, est tamen & manet principium rei genitæ. Ideoq; sicut nullum præjudicium metuit forma, quòd à principio effectivo fit, nullum quoq; metuet, si ex principio subjectivo & materiali fieri statuatur. Æquè enim ibi, ac hîc est pricipiatum. Manet igitur forma principium physicum rei naturalis, siquidem non evadit principiatum eô modô & respectu, quô est principium, quidquid sit, quòd in generatione ortum habeat ex materia per actionem productivam generantis. Statq; vigor & robur argumento huic: Ex quibus primò res naturales sunt, sivè præcisè compositionem spectes, sive generationem, illa sunt principia prima physica. Atqui ex materia & forma res naturales primò sunt, sive præcisè compositionem spectes, sive generationem. Er. materia & forma sunt prima principia physica. Ut hoc pactô in meridie positum arbitrer, formam substantialem non solùm in compositis physicis, in quantum composita sunt, verùm in generatione quoq; naturali principium esse, & utriq; primò requisitum, non obstante, quòd ex materia producatur à naturali generante, & respectu utriusq; hujus principiatum sit.

§. 50. Quà alterum syllogismi membrum, neg. Minor propositio, quam Autor non probavit. Vidit procul dubiô, eam probari non posse. Non potest autem aliter probari, quàm ex principio contradictionis, quòd nimirum contradictionem implicet; formam, utpote principium physicum primum, in generatione fieri ex materia. Desmeret enim sic esse principium. Ast Resp. 1. Nulla hîc contradictio. Aliàs eadem metuenda in sententia Clarissimi Viri foret. Si enim forma fit in generatione, est principiatum, sive ex nihilo eam fieri statuas, sive ex aliqua materia. Et quî, quæso, contradictorium erit, formam in generatione fieri ex materia, non autem erit, ipsam in generatione fieri & produci à generante, cum generans æquè sit principium & causa generationis, ac est materia, & utriq; respectus principii & principiati intercedat? 2. Distinctione opus est: Forma non fit in generatione ut principium physicum, sed forma, quæ principium physicum est, in generatione fieri statuitur. 3. Res sic expedienda est. Sicut forma eô modô, quô est principium, non est principiatum, & vice versâ, ita quoq; eô modô, quô est principium, non fit in generatione, sed eo, quô

est principiatum. Est autem principiatum respectu generantis & materiæ, siquidem generans ex materia ipsam produci, (de forma materiali loquor) à quo utroq; dependet; ab uno effectivè, ab altero subjectivè; est verò principium respectu compositi Physici, imò & respectu generationis & rei genitæ in quantum genita est; est siquidem principium completivum generationis, & constitutivum rei, quæ gigitur. Manet igitur forma principium Physicum, quia in isto genere non est prius principium, sed ipsa primò compositum constituit, eiq; esse suum largitur, & primò generationem intrinsecè complet atq; absolvit. Sit ex superabundanti syllogismus: Quidquid per hoc, quod suo certo modo ab aliquo principio dependet, non amittit suam rationem principiandi id, cujus principiandi causa institutum est, id eo ipso non desinit esse principium. Atqui forma substantialis physica per hoc, quod suo certo modo ab aliquo principio dependet, non amittit rationem suam principiandi id, cujus principiandi causa datum & institutum est. Er. Forma substantialis physica eo ipso non desinit esse principium.

§. 52. *Nunc discursum P. Hurt. de Mendoza videamus, quem habet* Disput. phys. 1. s. 2. §. 12. p. 219. *& proponitur ab Autore in* Dissertationis ca. 1. p. 15. *sic:* Verum 1. regero discursum Mendozæ. Per vos in definitione principiorum comprehenditur terminus à quo; per vos etiam unum principium fit ex termino à quo; Er. unum principium fit ex alio principio. Erit ergo mala definitio. *Quem Jesuitæ discursum perficere nititur, ita scribens.* Aut, ut in forma concludatur rectiùs. Quo modo ex principiis sunt omnia, eo modo principia non sunt ex se invicem. Sed ex principiis sunt omnia partim constitutivè, partim terminativè. Er. eo modo principia non sunt ex se invicem. Er. ex privatione non est forma.

§. 53. *Resp. 1. Non nihil responderem, si, morem Autoris sequens, dicerem, quid mihi cum Mendoza? Possem similiter afferre alium discursum Mendozæ, Suarezii, aut alterius cujusdam; sic ipsi discursum Dn. Sennerti, Bassonis, aliorumvè opponere possem. 2. Sed discursus Mendozæ non est contra definitionem Aristotelicam, verùm contra illos, qui eam non rectè intellexerunt & exposuerunt. Idque non solùm res ipsa monstrat, verùm expressa ejus verba testantur. Ita enim Jesuita d. l.* Quidam autem Neoterici sibi contradicunt apertè. Admittunt enim in definione intelligi principia intrinseca, & terminum à quo; quibus si objicias, unum principium fieri ex alio, tan-

tanquam ex termino à quo; respondent, fieri ex illo, sed non tanquàm ex parte intrinseca, sed termino à quo; contra quos (*N. B.* contra quos) sic argue; per vos in definitione principiorum comprehenditur terminus à quo; per vos etiam unum principium fit ex termino à quo; Er. unum principium fit ex alio principio, Erit ergo mala definitio. Igitur recurrant, *pergit Jesuita*, ad nostram solutionem (*quam scilicèt dederat* ibid. §. 5. p. 217. & §. 7. p. 218.) fit enim unum principium ex alio in diverso genere principii. *Hæc ille.*

§. 54. *Resp.* 3. *Eandem, quam Jesuita commendat, explicationem ego adhibui in* Theor. C. N. Disp. 5. §. 39. *& ad secundam conditionem, ad quam propriè spectat, accommodavi. Ad primam siquidem conditionem Aristolicam explicatio illa non quadrat. Ea enim est, principia prima interna physica non debere esse ἐξ ἀλλήλων, sicut ἐξ ἀλλήλων videmus esse elementa; secunda verò est, principia hæc non esse ex aliis principiis. At hic non in secunda, sed in prima conditione explicanda versamur. Resp.* 4. *recolendum, quòd ego suprà notavi, & ostendi, objectiones istas vulgatas nec contra primam, nec contra secundam conditionem verè esse directas, si strictè & accuratè rem pensitare velimus, (quamvis hactenus alij putaverint, istas conditioni primæ adversari, vel ei oppositas esse) sed ibi modum quendam medium inter istas duas conditiones Aristotelicas exhiberi. Quando enim concluditur, unum istorum principiorum esse ex altero, non concluditur, principia ista prima esse ex se invicem; nec etiam conclusio est, unum principium esse ex alio principio, ut sic, quando in objectionibus concluditur, unũ principium esse ex altero, neq; prima neq; secunda principiorum petatur conditio, sicut superiùs etiam ostendi.*

§. 55. *Nihil est, si dicas: si forma est ex materia, si ex privatione, est ex aliis principiis. Et confirmatur, quia alterum est ex altero. Alterum autem principium est aliud ab altero principio. Atq; sic objectio est contra secundam principiorum conditionem; & forte an ita etiam Mendozæ visum fuit. Resp.* 1. *Cur Autor Dissertationis, qui secundã conditionem planè reliquit intactam, cum aliis opponit primæ conditioni? Vidit is, me eas ab hac removisse in* Disp. meæ 5. §. 35. *ubi dixi, per illas objectiones non violari primam conditionem; & §.* 36. *monui, illas objectiones & datas responsiones in eo solùm esse, ut explicent, an & quatenus unum principiorum primorum possit esse ex altero;*

us

id quod jam, ut toties dixi, non attinet primam principiorum conditionem. 2. Est quidem, quando forma fit ex materia & privatione, unum principium ex alio principio, quia materia & forma, forma item & privatio sunt alia & alia principia; sed sic non est contra secundam conditionẽ, quæ vult, principia hîc definita nõ esse ex aliis principiis ejusdem generis, ut formam non debere esse ex alia forma, materiam non ex alia materia, etc. Materia autem & forma, quarum hæc ex illa ut ex subjecto generationis, privatio item & forma, quarum hæc ex illa ut termino generationis à quo esse dicitur, non sunt principia ejusdem, sed diversi generis. 3. Atq; sic tandem manet, quòd conclusio illa: unum istorum principiorum est ex altero: non sit contra secundam principiorum conditionem; quæ, quamvis velit, unum principium non esse ex alio, eô modò, quô dictum, non tamen vult, unum istorum, principiorũ non esse ex altero. Ut sic optimè concordent hæc duo enunciata principia hæc non esse ex aliis principiis ejusdem generis, & unum eorum esse ex altero, cujus nimirum naturæ congruum id est.

§. 57. His sic evolutis, ad collectionem, quæ §. 52. ex Autore Dissertationis in medium producta fuit, Resp. I. non concludit is cum Mendoza, sed ab eo planè abludit, tum si ipsam conclusionem, tùm si medium probandi spectemus. 1. Jesuita non intendit concludere, formam non esse ex privatione, ut concludit Autor Dissertationis; sed responsionem eorum, qui, explicantes definitionem, ajunt, unum principium fieri ex alio ut ex termino à quo, cum tamen terminum à quo sub definitione principiorum comprehendi admittant, elidere satagit, quòd sic unum principium esse ex alio admittere cogantur; 2. Jesuita sua probatione non in puncto, sed in secundâ principiorum conditionem digitum intendit. Nõ enim argumentatus fuit Mendoza, formam non esse ex privatione ideò, quia principia non sint ex se invicem eô modô, quô ex ipsis sunt alia; sed ita is collegit: unum principium fit ex alio principio, quia unum principium fit ex termino à quo, qui etiam est principium, & sub definitione principiorum comprehenditur, ut explicantes volunt. II. Collectio illa, quod addendum quoq;, nulla est. Non enim si principia non sunt ex se invicem eo modô, quô ex principiis sunt omnia alia, (cum tamen principia nullo modô sint ex se invicem) forma non est ex privatione; verùm contrà, formam esse ex privatione, quidquid sit, quòd principia planè non sunt ex se invicem, sufficienter ab aliis probatum est.

§. 58. Ad præmissam argumentationem resp. I. quòd illa non adeò quadret ad secundam meam responsionẽ, in quaexaminanda Autor

tor jam haret, ut ad primam potiùs (quam & superiùs alio argumento quamvis contra eam non directo, convellere conatus fuit.) spectare videantur. Scilicèt confunduntur principiorum conditiones, ipsaq; quæ exinde petuntur, objectiones & argumentationes, ut sic quàm egregium Autori fundamentum dubia movendi definitio nostra præbeat, in die sit. 2. Ad Majorem autem syllogismi propositionem respondeo, eam negando; cum principia planè non sint ex se invicem. Quamvis enim unum, certò suo modò, sit ex altero, non tamen alterum vicissim est ex illo, veluti toties dictum fuit.

§. 58. Fortean ita syllogismum, ut & Mendozæ & alteri meæ responsioni responderet, informare voluit. Quò modò ex principiis sunt omnia, eo modò unum principium non est ex alio principio. Sed ex principiis sunt omnia partim constitutivè, partim terminativè. Er. eò modò unũ principium non est ex alio principio, & ex consequente forma non est ex privatione. Ast resp. Sic iterũ non assequitur Mendozam; sic approbat illam responsionem, quam ille rejecit, & contra quam opposuit, eam scilicet, quâ alii responderunt, unum principium fieri ex alio ut ex termino à quo, quod est terminativè ex aliquo fieri. Contra hoc argumentatur Jesuita, quod unum principium ex alio esse terminativè cum definitione stare non possit, quia sic manet, unum principium esse ex alio principio, quod est contra definitionem, & illos, qui eam adprobant & sequuntur. Locum ergo hîc suum retinet explicatio P. H. de Mendoza, qua ait, principia non esse ex aliis ejusdem generis, & sub ea ratione, quâ unumquodq; est principium. In qua acquiesco.

§. 59. Regerit 2. Dissertationis Autor argumentum sequens in pag. 16. Quæcunq; sententia ex nihilo fieri formas statuit, ea non est Aristotelica. Hæc sententia ex nihilo fieri formas statuit. Er. non est Aristotelica. Minor probatur. Quæcunq; sententia formam nec ex materia immanente, nec ex materia transeunte, sed in materia saltem post privationem fieri dicit, ea ex nihilo formas fieri statuit. Hæc sententia formam nec ex materia immanente, nec ex materia transeunte, sed in materia saltem post privationem fieri dicit. Er. hæc sententia ex nihilo fieri formas statuit. Major constat, quia aliud esse in subjecto fieri, & aliud ex subjecto fieri fatentur ipsi. Hoc excludit nihilum, sed non illud. Ex subjecto si non sit forma, ex nihilo fit, sive in subjecto, sive extra subjectum id contingat. Ex termino à quo etiam si fit forma, verè fit ex nihilo. Hic enim non retinetur, ut ex eo aliquid fieri queat, sed abjicitur.

§. 60. *Resp. ad principalem syllogismum limitando; quæcunquè sententia ex nihilo negativo h. e. ex purè nihilo seu non ente hodiè formas fieri statuit, ea non est Aristotelica. Sic concessâ Majore propositione, neg. Minor. Probationem ejus quod attinet, videtur ea desumta ex* Disp. meæ 5. §. 38. *ubi asserui, formam in generatione non strictim esse esse ex materia in quantum vel transiens vel immanens est, sed præcisè ut subjectum generationis est, cum nullam aliam in generatione materiam, natura noscat, quàm eam, quæ est subjectum, ex quo producitur forma (intellige, quæ exinde produci potest) ipsumq; compositũ cõstituitur. Verùm ex meis argumentum deductũ non est. Hæc fuêre mea verba*: aliud est, formam à materia, ut à subjecto physico, in esse & fieri dependere, aliud, formam esse ex materia, in quantum materia est vel permanens, vel transiens. Neutrô posteriorum modorum forma est ex materia; quamvis sit priori. *In syllogismo autem probationis locô afferuntur tria hoc modo & ordine:* Quæcunq; sententia formam 1. nec ex materia immanente, nec ex transeunte, sed 2. in materia saltem 3. post privationem fieri dicit, ea ex nihilo formas fieri statuit. *Vox* saltem *adhibita mihi saltum imperat, ut non Majorem, quam Autor probat, sed Minorem propositionem negem.*

§. 61. *Sed probationem Majoris ab Autore allatam consideremus, cum in ea totius argumenti fundamentũ positum videamq. Ita eam proposuit:* quia aliud esse in subjecto fieri, & aliud ex subjecto fieri fatentur ipsi. Hoc excludit nihilum, non illud. Ex subjecto si non fit forma, ex nihilo fit, sive in subjecto sive extra subjectum id contingat. *Ast non memini ego, in nostris Scholis, ubi de productione formarum agitur, statui, aliud esse formam in subjecto physico fieri, & aliud eam ex subjecto physico fieri,* à parte rei sumendo, *cum contrarium statuamus, nimirum: forma à materia in esse & fieri dependens, dum fit in subjecto generationis, quat. subjectum generationis est, sit quoq; ex subjecto generationis, uti exponit* Svarez Disp. Metaph. 15. s. 2. per tot. p. 318. sqq. *qui videatur.*

§. 62. *Notetur, quod dixi:* à parte rei loquendo. *Quamvis formaliter non conveniant ista duo, & alia formalitatis ratio appareat in ⌈ω̃* fieri in subjecto, *& alia in ⌈ω̃* fieri ex subjecto; *tamẽ per id res ipsa non variatur, nec unum removet alterum, ut propterea ab unius positione & affirmatione ad alterius remotionem argumentari liceat; cum potiùs unà stent, & unam eandemq; rem describant. Patet id ex*

aliis,

aliis, illis velmaximè formulis, quibus Aristotelicorum hostes suas exponere solent doctrinas. Sic formam in & cum semine transvehi *in sobolem, item* in & cum semine produci *statuunt; sic formas statuunt* fieri à formis, *eas dēq;* fieri per formas. *Qua in re similiter dici potest, quod aliud sit transvehi in semine, aliud trāsvehi cũ semine, quia alium cõceptũ prior, aliũ posterior propositio (propter præpositiones* in & cum) *progignit, aliumq; & alium modum indigitat; non vero ibi unus modus alterum tollit, nimirum non propterea quòd anima in sobolem transvehi ipsis statuitur, negare patiuntur, animam cum semine in sobolem transvehi & propagari; aut quia affirmatur forma fieri in materia, negandum, ipsam fieri cum materia, cum utrumq; in traduce requiri putetur, ut etiam in eo essentiam traducis aliqui ponant. Similiter quando alius statuit, formas fieri à formis, non intendit excludere, nec patitur excludere formas fieri per formas, & vice versâ, quamvis alius conceptus sit de ⸋ fieri (produci) ab aliquo, & alius de ⸋ per aliud fieri sive produci. Similiter se res habet in præsente negotio, quô in Scholis nostris forma substantialis physica dicitur fieri in materia & ex materia. Res per* τὸ *fieri in &* τὸ *fieri ex subjecto physico non designatur alia, alia tantùm habitudo, aliusq; modus indigitatur, qui rem ipsam non variat. Ut sic totius argumentationis fundamentum labare videamus, cum non solùm formas fieri in subjecto, verùm fieri ex subjecto, ibiq; unam & eandem rem, unum & eundem actum physicum denotari statuamus. In reliquis Conf.* Svar. l. d.

§. 63. *Nunc patet negatio Minoris, quæ minimè ex mea assertione formata fuit. Ubinam statui, formam non fieri ex materia immanente, nec ex transeunte, sed (N. B.) saltem in materia? Nullibi. Putat forsan Autor, ex illis verbis id colligi, quando posui,* aliud esse, formam à materia ut subjecto generationis in esse & fieri dependere, & aliud *&c. At illis verbis non solùm subjectum in quo, sed quoq; ex quo generationis designatur. Formam siquidem in generatione à subjecto physico in esse & fieri dependere, non est eam saltem in materia fieri, sed quoq; fieri ex materia, sicut verba immediatè in d. §. 38. sequentia testantur, quibus dixi:* neutrô posteriorum modorum forma est ex materia, benè tamen priori. *Ubi* τὸ *dependere à materia in esse & fieri per* τὸ *esse ex materia expositum est, patetq; id uberrimè ex illis, quæ §.* antecend. *dicta sunt. Et quid, quæso, aliud est, formam ex potentia materiæ educi, quàm eam ex subjecto generationis fieri?*

§. 64. *Quà primum igitur Min. propoſit. membrum, quod fateor ex Diſp. mea deſumtum eſſe, noto, me materiam immanentem & tranſeuntem hoc in negotio removiſſe, quòd hic talis materia, vel materia taliter ſe habens ſtatuenda & conſtituenda ſit, quæ paritæ generationis & compoſitionis materia ſit, h.e. quæ ſit ſubjectum eductionis formæ, & principium conſtitutivum geniti. Conf.* Trad. non Trad. Sect. 2. §. 6. p. 177. *Tales verò non ſunt materia immanens & tranſiens; neq; enim ex materia immanente, quat. immanens, aliquid generatur, ſicut ex corpore organico, quod materia immanens reſpectu viventis eſt, nihil generatur, neq; ex materia tranſeunte quat. tranſiens eſt, aliquod corpus componitur, cum non ingrediatur eſſentialem compoſiti conſtitutionem, ſed in generatione pereat, ſuamq; naturam deponat.*

§. 65. *Not. quòd dictum:* quat. immanens, quat. tranſiens; *quæ particula quoq; à me adhibita in verbis Diſputationis §. 60. citatis. Poteſt enim* materia tranſiens, *uti &* immanens, *dupliciter ſpectari: vel* materialiter, *uti eſt materia aliqua, vel* formaliter, *in quantum tranſiens. Formam eſſe ex materia tranſeunte, materialiter loquendo & quantum ad rem, h. e. ex illa materia, quæ eſt materia tranſiens, non negavi, ſicut formam canis e.g. ex ſemine canino produci ſtatuimus; negavi autem eſſe ex illa, in quantum talis eſt. Ex illa ſiquidem materia, ex qua forma educitur, genitum, junctione formæ, conſtituitur, quod nec de materia tranſeunte, nec de immante dici poteſt. Materiam enim generationis, adeoq; & ſubjectum eductionis formæ Doctores Phyſici ſalutant illam materiam, quæ non ſolùm ſubjectum productionis, verùm etiam compoſitionis ſive conſtitutionis materia eſt, hujus, inquam, naturæ, ut ex ea inexiſtente aliquid generetur & fiat, quæque adeò ſit materia generationis & compoſitionis, ſiquidem generatio ſine compoſitione non datur; id quod de materia immanente & tranſeunte, in quantum tales, dici nequit. Materia ſiquidem tranſiens in quantum talis, eſt tantùm materia productionis, non verò compoſitionis, non ſiquidem ut pars eſſentialis phyſica compoſiti conſtitutionem ingreditur, ſed in generatione perit; materia verò immanens eſt tantùm materia compoſitionis, non unà productionis; & in eo utramq; materiam diſtinguit Autor Diſſertationis in* Tract. de Morb. Tot. Subſt. p. 132. & Tr. de Or. for. p. 312. *Ut propterea pateat, à materia immanente & tranſeunte hoc negotium petendum non eſſe, ſed talem, vel taliter comparatam materiam generationi*

ni præstituendam, ex quâ res generetur ita, ut ex ea, accessu formæ, constituatur.

§. 66. Quâ alterum propositionis Min. membrum, res expedita est §. 62. & 63. quâ tertium dicta quoq; propositio neganda venit. Nec enim ea Scholis nostris, è quibus trãssumta putatur & simulatur, est conformis. Ea enim non docent, formam fieri in materia post privationem, quasi aliquod temporis intervallum inter cessationem privationis & introductionem formæ intercedat, sed in eodem νῦν, quo fit formæ productio & introductio, privatio formæ cessat.

§. 67. Ultima quod concernit verba, (ex termino à quo etiam si fit forma, verè fit ex nihilo. Hic enim non retinetur, ut ex eo aliquid fieri queat, sed abjicitur) ad illa patet responsio ex §. 61. 62. (1.) Ex privatione ut termino à quo si fit forma, ferè fit ex nihilo; scilicet privativo, non negativo. Rectè. In eo enim discriminantur creatio & generatio, quòd illa fit ex nihilo negativo, hæc ex nihilo privativo. Ità docent Scholæ Metaphysicæ; & procul omni dubio Dissertationis Autor in Lectionibus suis Metaphysicis, quarum sæpius in Scriptis suis injicit mentionem, id observavit & proposuit. (2.) ratio addita nulla est. Sit syllogismus: Quidquid non retinetur, ut ex eo aliquid fieri possit, sed abjicitur, illud non est principiũ physicũ internũ. Atqui privatio nõ retinetur, ut ex ea aliquid fieri possit, sed abjicitur. Er. privatio nõ est principium physicum internum. Argumentum hoc fluit ex ignoratione ipsius rei. Præsupponit illa ratio, quasi omne principium, ex quo aliquid fit sive oritur, debeat retineri in re, quæ ex eo oritur; minimè gentium. Id non est omnium principiorum, sed est specialis conditio principiorum constitutivorum. Quin imò si retineretur privatio, non esset generatio. Sicut enim forma non retinetur in corruptione, ita privatio non retinetur in generatione. Sed de hac re plura in sequentibus.

§. 68. Et hactenus in prima principiorum conditione explicanda Autor fuit occupatus, tertiam (mediam intactam reliquit) nunc adoritur, contra quam nihil novi opponit, sed duas illas oppositiones, à me in Disp. meæ 5. §. 45. motas repetit, quæ fuêre hæ: 1. ex parte principiorum; non ex omnibus principiis, quæ vulgò nominari solent, est aliquid; quia nihil est aut fit ex privatione. 2. ex parte principiatorum; non omnia composita physica sunt ex illis principiis. Cœlum enim cum sit ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον, privationem principium non agnoscit. Ad quas leves objectiunculas respondi ibid. §. 50. 51.

§. 69. *Hæc dubia, certè omnium lepissima, magni facit Autor, sic de illis scribens in Dissert. p. 17.* Non sunt prætermittenda hæc dubia, cum ruinam minentur aut ipsi definitioni, aut uni principiorum. Tale est argumentum: Cuicunquè non competit definitio principiorum, id non est principium. Atqui privationi non competit definitio principiorum. Er. privatio non est principium. Minor probatur, quia ex privatione nihil est; &, si vel maximè quid esset, cœlum tamē ex ea non esset. *Ast contrà 1. nec dubia à me mota ruinam minantur doctrinæ Aristotelicæ, nec argumentum ab Autore factum privationem è numero principiorum excludit. Ad illud resp. neg. minorem propositionem, cujus etiam probatio eâdem facilitate rejicitur, quâ fuit allata. Probare debuisset, ex privatione nihil esse. Hoc quidem verum est, ex privatione nihil est constitutivè. At sequiturne inde: Er. ex privatione nihil est? Minimè. Sic finis non influit motione physica & propriè dictâ. Er. finis non influit esse sui causati. At videtur quodammodò concedere, dum inquit:* & si vel maximè quid esset, cœlum tamē ex eâ non esset. *Rectissimè! aliquid est ex privatione, quamvis Cœlum non sit ex ea. Et quis, quæso, nostratium unquàm dixit, quòd cœlum sit ex privatione? Cui ergo id opponitur? Aut sequiturne inde: Er. nihil sive nulla res naturalis est ex privatione? Minimè; scilicet quædam res naturales sunt ex privatione, eæ nimirum, quæ generationi sunt subjectæ; quædam non sunt ex privatione, eæ, puta, quæ naturaliter non generantur. Paucis verbis: generationis & transmutationis principium nobis esse privationem, non constitutionis, benè novit Autor, (sicut & inferiùs cap. 2. cum contra id argumentantem videbimus) ut istis verbis supersedere potuisset, imò debuisset.*

§. 70. *Nunc responsionem meam ad primam objectionem,* Disput. 5. §. 50. *in medium allatam producit, & contra eam excipit. Verba responsionis meæ sunt hæc:* Resp. ad 1. negando nihil esse vel fieri ex privatione omni modô; quamvis enim non eô modô aliquid sit ex privatione, quô est ex materia & forma, est tamen suo peculiari modô, sicut ex materia & forma peculiari suo modô sunt res naturales. *Excipit ille.* Sed nulla responsio hæc est. Dubium non est, an eo modô, quô ex materia & forma est corpus naturale, sit etiam ex privatione. De re ipsa dubium est, non de modô. Simpliciter dubitatur, an ex privatione

tione sint corpora naturalia? Ad hoc ergo respondendum, non quærendum diverticulum.

§. 70. *Verùm non esse nullam meam responsionem, nullam verò esse Autoris exceptionem, palam fiet.* 1. *Hîc loci non in* τῶ ὅτι *principiorum probando, sed in eorum definitione explicanda & salvanda sum occupatus. Nec hîc in specie de privatione est tractatio, ut* τὸ ὅτι *ipsius, aut, an ea sit princip ium rerum naturalium, de professo hoc locô probandum sit, sed objectio, contra definitionem principiorum mota, diluenda est. Respondens hic sum, non opponens. Non est meum probare, sed ad probationem respondere.* 2. *Quà privationis principium, res ipsa dudum probata ab aliis Philosophis, quos procul dubiô Autor Dissertationis legit; ad illos ipsum amando. Quin idem illud suo loco ex ipsius quoq; doctrina physica probabitur.* 3. *Ego in responsione mea utrumq; (h.e. & rem & modum) conjunxi. Sic sonat responsio mea:* nego, ex privatione nihil esse vel fieri omni modô. *Nonne hoc pactô nego Minorem propositionem, quæ est,* ex privatione nihil esse esse aut fieri? *Omninò sic minor negatur. Duo igitur egi: primò Minorem Autoris propositionem negavi; deinde rem ipsam explicavi, dicendo, sicut suo certô modô aliquid est ex materia, & aliquid suo certô modô ex forma, ita etiam aliquid suo certô modô est ex privatione. Nec est necessum, ut eo modo, quô aliquid est ex materia, aut ex forma, etiam sit ex privatione, cum unumquodlibet istorũ principiorum habeat suam peculiarem rationem principiandi, ut sic à specialibus modis præscindat definitio generalis, ceu in responsione ad secundam objectionem in seq. Disp. pluribus dicetur. Id quod etiam in causis videmus. In fine est alia ratio influxus, ac est in efficiente &c. Cum igitur Autor Dissertationis opponens sit, destruere debuisset illam responsionem, quâ ego negavi, nihil esse vel fieri ex privatione omni modô, fuissetq; ipsi evincendum, nullo modô ex privatione quippiam esse vel fieri.*

§. 71. *Nec dubium à Disputatore rectè formatur. Non siquidem est quæstio, an privatio sit principium corporis naturalis, aut an eô modô, quô ex materia & forma est corpus naturale, sit etiam ex privatione? Sed, an privatio sit principium naturalis generationis, sive rerum, prout naturaliter generantur. Hîc affirmativa est Aristotelis, non ibi. Hoc monui quoq; suprà* §. 2. *sqq. In thesi Respondentis manere Disputator probè doctus & candidus, nec quæstionem mutare debet, aut aliam substituere, aliàs cum larvis pugnat.*

§. 75. *Nunc*

§. 72. *Nunc producit sequentia mea verba, quibus ulteriùs rem præsentem explicatâ reddere volui, quæ fuêre ista:* Diximus suô modô. Etenim 1. nihil vel nulla res naturalis est & constituitur ex privatione, ut ex parte componente, benè tamen ex ea, ut ex termino à quo, procedit generatio; & hic est nativus ejus ad generationem concurrendi modus. 2. nihil sive nulla res naturalis est vel fit ex privatione, scilic. solitariè, sicut etiam nihil solitariè fit aut est ex materia, nihil solitariè ex forma, sed ex concursu istorum trium principiorum res naturales fiunt sive generantur, ut unũquodq; eorum, quod sui est muneris, conferat. Fiunt ergò æquè res naturales ex privatione, ac ex cœteris duobus principiis, quantum ad rem, licèt non quoad modum, qui in singulis variat. Imò magis ex privationeres fieri, quàm ex aliis principiis, autor est Aristoteles.

§. 73. *Sèd quid ad hæc mea excipitur?* Ita nimirum ambiguè loquitur, & fugâ sibi consulit. Estne corpus naturale ex privatione? Respondet nullam rem naturalem fieri constitutivè & solitariè ex privatione, sed generationem ex eâ ut ex termino à quo procedere. Loligo se abscondit atro humore ne capiatur. Pro esse non substituendum est fieri. Pro corpore non substituenda generatio. Pro re non substituenda cassa & inania verba. Candidè agendum & cordatè. Agendum de principiis, quæ in hoc ipsum corpus influunt, non quæ ad augmentationem concurrunt aut generationem. Et purum putum figmentum privatio in ordine ad generationem est. Quod prolatum à me, atq; probatum his verbis *in Instit. l. 1. c. 1. p. 2. &c.*

§. 74. *Sed ubi, quæso, ambiguè loquor? quæ ambiguitas in jam prolatis meis verbis? Æquo docti pariter & candidi lectoris judicio ea subjicio. Nec is me, quod per DEI gratiam spero, fugientem experietur, modò non fastidientem ipsius scommata. Ubi ego cassa & inania profundo verba, sicut profundere disputatorem istum benevolus lector videt? Quæsiverim hic ex candido & cordato Viro, an candidè & cordatè Disputator ille rem gesserit? Verba ipsius longè aliud testantur. Scilicet ex cantu & plumis volucris cognoscitur omnis. Sed missâ Autoris spermologiâ rem ipsam considerabimus, & an rectè, an solidi quid in medium attulerit, spectabimus.*

§. 75. *Hic* (1.) *videmus, quòd iterum mutet quæstionem. Et continuè in eo peccat, ut mirer, & dubitem, an ex ignorantia id faciat,*

an

an ex affectata malitia? quorum quidem neutrum mihi de Clarissimo Viro facilè imaginari possum. Si à nobis vult dissidere, si Aristoteli & Aristotelicis vult opponere, ipsorum thesi debet contradicere, adeoq; ut ei rectè contradicat, eam planè cognitam & perspectam habere. Non est thesis nostra, corpus naturale esse ex privatione; neq; Aristoteles, neq; ullus Aristotelicorum unquam ita somniavit; sed hæc est thesis Aristotelica, quàm sæpissimè in Theor. Corp. Natur. à me repetita, & Autori probè inculcata, hæc, inquam: res naturales, quæ naturali generatione producuntur, sunt ex privatione; Et hæc: privatio est principium rerum naturalium prout generantur. Ita expressè Aristoteles l. 1. Phys. c. 7. t. 68. Quot igitur principia sunt naturalium rerum, quibus generatio competit, (N. B.) & quônam (N. B.) modô sunt tot, satis jam explicuimus. Ut proinde ille, qui concludit, privationem non esse principium corporis naturalis, aut, corpus naturale non esse ex privatione, nullam aliam mereatur responsionẽ, quàm hanc, quòd conclusio non sit contra Aristotelem, & quòd committatur ignoratio elenchi.

§. 77. Resp. (2.) pro esse non substituitur fieri, sed contrahitur ad τὸ fieri, & per τὸ fieri explicatur, tanquàm per specialem modum. Cum enim de privatione sit objectio, & quomodo ex eâ aliquid sit, dicẽdum & exponendũ, id aliter fieri nequit, quàm ut dicatur, illud fieri per γένεσιν. In genere enim definitio principiorum ita, quà ultimam particulam, sonat: ex principiis sunt omnia. Id autem in specie dupliciter intelligitur; vel per compositionem, unde principia compositionis; vel per generationem (sive transmutationem) unde principia generationis (sive transmutationis) dicta. Ut proinde rectè dicam, ex privatione (ex principiis generationis) esse corpora naturalia, & ex illa fieri corpora naturalia, quæ generantur. Patetq; illud ex superabundanti ex hac argumentatione; quidquid fit sive generatur ex aliquo, illud est ex eo, ex quo fit; fieri enim est quoddã esse, & sub eo cõprehenditur. Atqui id, quod fit ex privatione, fit ex aliquo; fit enim ex termino à quo. Er. id quod fit ex privatione, est ex privatione.

§. 78. Resp. 3. Pro corpore nos non substituimus generationem, sed Autor pro generatione & rebus generationi subjectis substituit corpo. Nec enim Aristoteles l. 1. Physicor. de corpore naturali pertractat, quod novit Autor ex Disp. mea 4. & 5. novit igitur, Philosophum nostrum nõ de principiis corporis naturalis, sed de principiis rerum naturaliũ, quibus

bus generatio competit, d. lib. *egisse*. *Hæc est sententia Aristotelica, quam adhuc semel Autori inculco:* Tria sunt principia rerum in fieri & generari, *materia, forma & privatio*; duo sunt principia rerum in facto esse, *sive* prout cõposita sunt, *materia & forma*, *ex* lib. 1. Phys. c. 7. t. 65. 66. 67. *ubi ait*, quapropter ipsa principia tùm duo (*scilic. respectu compositi physici*) tum tria (*scil. respectu generationis & rerum, quæ generantur*) dicenda sunt, *&c. quæ in* Theor. C. N. Disp. 6. *clarissimè exposita fuêre. Hæc est sententia Aristotelica; contra hanc oppositiones erant dirigendæ. Candidus & cordatus Disputator non mutat statum controversiæ, sed contra thesin respondentis, ipsi si vult contradicere, (id quod disputatio requirit) opponere tenetur. Non ergo ego fugâ mihi consulere cupio, sed in thesi Aristotelica persisto; Disputator verò ille effugia & diverticula quærit; non ego cassa & inania verba pro rebus substitui, sed Autor Dissertationis pro accurata Disputatione inanes repetitiones & cassa verba substituit.*

§. 79. *Ex his constat, quid* 4. *ad sequentia Autoris verba dicendum sit, quibus ait:* agendum nunc de corpore, non de corporis generatione aut nutritione, *&c. vid. §. 74. At nec Aristoteli hæc opponuntur, nec mihi* 1. *Consilium & intentio Aristotelis Autori ex Disp. mea* 4. *cognita erat & perspecta. Is siquidem* in. 2. l. physic. *corporis naturalis tractationẽ susceperit.* 2. *Actumne & tractatũ à me in Theor. Corp. Nat. de corporis generatione, nutritione, aut de principiis augmentationis? non memini. Quin nec Aristoteles de nutritionis & augmentationis principiis in* lib. 1. Phys. *pertractavit, utpote quæ tractatio ibi fuisset impertinentissima; ut sic nobis temerè affingantur ea, quæ is ne somniavimus quidem, & iterum cassa atquè inania verba proferantur.*

§. 80. *Deniq; 5. inconveniens est asserere,* hîc agendũ esse de principiis, quæ in hoc ipsũ (*N. B.* in hoc ipsum) corpus influunt. *Etenim* 1. *principiorum ut principia sunt, non est influxus, sed id est causæ, utpote cujus ratio formalis eò absolvitur, ipso etiam Autore fatente, qui in* Disser. ca. 1. p. 29. num. 6. *ait*, materia, forma, efficiens, finis, quatenus causæ sunt (*N. B.* quat. causæ sunt) de influxu isto participant. *Non autem de causis Aristoteles hîc pertractat; id enim facit* lib. seq. c. 3. sqq. *sed de principiis primis physicis internis rerum naturalium, ex quibus nimirum sunt omnia &c. Thesin Aristoteli-*

telicam observare, & contra illam argumentationes suas dirigere debuisset. 2. Quodnam est illud corpus, in quod principia hæc prima influunt? Corpus forte an illud, quod Scientiæ Physicæ, ut subjectum, præfinitum est? Iam; Corpus naturale, quod subjectum Physicæ, est hoc ipsum corpus, in quod principia hæc prima physica influunt. Sed transeat hoc.

§. 81. *Denig, quod de privationis figmento addit Autor, ecce! figmentum non esse, ex scriptis ipsius aliorumq;, cum quibus ipse aliàs sentit facitq;, citiùs feliciùs palam fiet. Argumentum ab ipso in Institut. Physicis cõtra privationem prolatum, suo locô, quô commodè fieri potest, considerabitur. Non autem est, ut Autor multum fiduciæ in eo ponat, non siquidem magni id est momenti. Jam ultima mea responsio salvanda est.*

§. 82. *Ad alteram objectionem* sup. §. 68. *prolatam respondi in* Disp. 5. th. 51. non esse necesse, ut omnia cõposita sint ex illis tribus principiis, vel tria illa principia agnoscant, cum Aristoteles illa introducat ut generationis principia. Quæ igitur res non generantur, nec corrumpuntur actu, tria illa principia sibi non adscribunt. *Contra hanc responsionem ita excipit.* Sed putavit hactenus juventa, à vobis Præceptoribus in parte generali Physicæ generalissima principia proposita esse. Nunc aliud dictitat dies hodiernus, & aliud crastinus. Quô stante, frustrà laboras, definitioni principiorum immiscere privationem. Argumentor: quodcunq; principium non est commune, ad partem communem non spectat. Privatio non est communis. Er. privatio ad partem communem non spectat. Major constat, quia pars communis in eo à speciali differt, ut det communia principia, & communes affectiones. Porrò: quodcunq; principium ad partem communem non spectat, de eo in definitione principiorum non laborandum. Privatio ad partem communem non spectat. Er. de privatione in definitione principiorum non laborandum. Frustrà ergò hactenus Autor &c.

§. 83. *Ast 1. Omninò à nobis in parte generali Physicæ generalissima principia (ut cum Autore loquar) proponuntur. Nonne ibi à nobis considerantur materia & forma, quæ sunt communissima omnium rerũ naturalium principia? Videat is* Arist. lib. 2. Phys. c. 1. t. 10. Vid. Theo-

ri æ Corp. Nat. Disp. 4. 7. 9. 11. *Dentur his principiis generaliora & cõmuniora. Dari nulla possunt. Sed privationis principium Autorẽ divexat, cujus indolem perspicere haut valet. Non autem est, ut de eo mihi objicere præsumat. Non siquidem ego de eo in parte generali tractavi, aut tractandũ inculcavi. Contrariũ videt Autor ex* Disp. meæ 6. §. 34. sqq. *ubi hanc rem declaravi, & sententiam meam exposui; contrarium videt ex ipsa mea tractatione & Disputationum serie, ut non videam, quomodo argumenta cõtra me ducat. 2. Distinctione opus habemus. Aliud siquidem est,* definitioni principiorum immisceri, *aliud,* sub principiis contineri. *Definitioni principiorum non immiscemus privationẽ, quamvis eam sub principiis & generali eorum definitione comprehendi statuamus, non aliter ac sicut species, & quævis minùs communia contineri sub magis communibus novimus; sic finis, sic forma non immiscentur definitioni causæ, sed sub ea comprehenduntur, & cum sub ea comprehendantur, etiam definitionem illius participant. Et ex hac consideratione patet responsio ad argumenta subjuncta.*

§. 84. *Ad 1. resp. concedendo totum. Novit enim Vir Clar. meam sententiam ex* Theor. C. D. Disp. 6. §. 34. sqq. *Circa medium probandi noto,* principia communia *dici & intelligi dupliciter:* vel *intuitu corporum & compositorum physicorum, prout talia sunt;* vel *intuitu generationis & rerum, quæ generantur, prout generantur. Hinc certô modô sunt duo communia principia, materia scilic. & forma, intuitu nimirum corporum ut corpora sunt; sic dicimus, omnia corpora naturalia constare ex materia & forma, ut ex principiis intrinsecè & essentialiter constitutivis; certô modô tria sunt communia principia, puta, materia, privatio & forma, intuitu nimirum generationis & rerum, quæ generantur. Generatio enim, quæ communissimum Naturæ opus, tria illa sibi deposcit principia, ut suo locô ostenditur. Argumentum intendit de communitate principiorum juxta primum, non juxta secundum modum, nimirum: quodcunq; principium non est commune respectu corporum, ad partem communem non spectat. Privatio non est principium commune respectu corporum. Er. &c. & hoc modô conclusionem concedere possum, tanquam de eo, quod directè ad aliquam tractationem spectat.*

§. 85. *Ad 2. resp. 1. conclusionem esse ambiguam;* vel *enim intel-*

intelligitur, de privatione non esse in definitione principiorum laborandum, quòd actu inibi contineatur & definiatur; vel *quòd contineatur potentiâ. Non priori modò laboramus de privatione in definitione principiorum; non enim definientes principia prima physica definimus vel definiendo actu includimus privationem, cum genus & species non possint una communi definitione explicari. Eôdem modò in definitione principiorum neq; de materia neq; de formâ laboramus, sicut neq; in definitione causæ de efficiente, aut fine, aut ulla causa laboramus, tanquam quæ actu ibi contineatur. Posteriori tamen modò laboramus de contentis sub definito, adeoq; de privatione, quòd ea, tanquam species vel quasi species principiorum, sibi vendicet eorum definitionem. Non autem* posteriori, *sed* priori *modò Autor conclusionem accipit, id quod ex antecedentibus ejus verbis videre est, quibus ait,* frustrà definitioni principiorum immisceri privationem. *In hoc igitur sensu concedimus totum argumentum, nec contra nos quidquam concluditur, sicut ex §. 82. patet. Nimirum:* Quodcunq; principium ad partem communem non spectat, de eo in definitione principiorum non est laborandum tanquàm de eo, quod in definito, adeoq; & in definitione actu contineatur, vel, *ut Autor loquitur,* quod definitioni principiorum immisceatur. Atqui privatio ad partem communem non spectat; Er. *&c. ut dixi, totum concedimus, nec contra nos quidquam concluditur.*

§. 86. *Distinguendum 2. inter* conceptum confusum *&* distinctum, *& inter id, quô privatio convenit cum aliis principiis, & id, quô ab aliis distinguitur. In eo enim distinguitur conceptus confusus à conceptu claro & distincto, quòd hic cognoscit rem distinctè, & ut dissimilem ab aliis, ille verò rem cognoscit indistinctè, & ut similem atq; convenientem cum aliis. Hinc limito Majorem propositionem:* Quodcunq; principium ad partem communem non spectat, de eo in definitione principiorum non laborandum, scilicet explicitè & distinctè; *concedo:* implicitè & confusè; *nego. Non enim ita laboratur hîc de privatione, ut ea distinctè & perfectè in propriis suis, quibus ab aliis principiis distinguitur, consideretur, h. e. propria illius natura explicetur, verùm ut ea, tanquàm pars subjectiva definiti, tangatur & indigitetur, atq; salvetur.*

§. 87. *Distinguendum quoq; 3. inter ipsam* definitionem *&* de-

definitionis *tùm* explicationem, *tùm* applicationem. Quodcùnq; principium non spectat ad partem communem, de eo in explicatione definitionis principiorum non est laborandum. *Negatur. Neget quis Autori, materiam compositam (quam dicit & definit in* Instit. Phys. lib. 1. c. 1. p. 47.) *esse propriè dictam materiam, concludatq; propterea ei definitionem materiæ ab ipso traditam non convenire; certè in definitionis explicatione laborabit de materia composita, quidquid sit, quòd materia composita ad partem generalem non spectet, cum non omnibus conveniat corporibus, sed solum aliquibus. Neget quis Autori, definitionem formæ ab ipso dadam* l. d. ca. 3. p. 64. *competere formæ partiali, & formæ accidentariæ; certè laborabit, is in definitionis illius explicatione de forma utraq;, & enitetur ostendere, definitionem illam competere utriq; formæ, cum tamen neutra ad partē Physices generalem spectet, quippe non omnibo corporibus naturalibus conveniens. Simili modò vendicanda nobis ab exclusione privatio in principiorum definitione. Inde fluit quoq; alterum de applicatione. Quis negaverit, posse, imò debere de privatione laborari quantum ad definitionis applicationem. Est enim bonæ definitionis lex, competere omnibus sub definito contentis. Si enim non omnibus sub se contentis competit definitio, est angustior definitò, adeoq; vitiosa.*

§. 88. *Ut sic tandem in lucem prodeat, propositionem illam Majorem simpliciter acceptam concedi non posse, hoc nimirum modò:* Quodcunq; principium ad partem communem non spectat, de illo in generali principiorum definitione nullo modò (*N. B.* nullo modò) est laborandum. *Hanc propositionem ego nunquàm concesserim.*

§. 89. *Quæ res ut clarior Autori reddatur & dilucidior, simile argumentum formamus: Quodcunq; corpus ad partem generalem physicæ non spectat, de eo in definitione corporis naturalis nullo modò est laborandum. Atqui cœlum ad partem communem non spectat. Er. de cœlo in definitione corporis nullo modò est laborandum. Neg. Major. Eò ipso enim, quò laboratur de corpore naturali ejusq; definitione, laboratur quoq; de cœlo & de elementis, tanquàm potentiâ in corpore naturali contentis; Negatò enim genere negantur omnes species, & positò vel affirmatò genere, affirmantur species, quamvis indeterminatè & sub disjunctione.*

Qui-

Quicunq; igitur laborat de genere, ille laborat de speciebus, quas genus potentiâ continet, quamvis non eo modo laboret de speciebus, quo laborat de genere, sicut §. 85. & 86. expositum fuit.

§. 90. *Quin si objiciat quis contra definitionem corporis naturalis, illam non esse bonam, quia non competat omnibus sub se contentis, cum non conveniat cœlo, utpote quod ex materia non constet, nec ex forma, sed sit pura forma & substantia simplex &c. An non ibi laborandum de Cœlo, an non dicendum, minorem propositionem esse falsam? &c. ut obtineamus, cœlo definitionem corporis competere. &c. Et hoc pacto non laboramus de cœlo in definitione corporis naturalis, ac si definitioni illius cœlum immiscere velimus, sed laboramus obtinere, cœlum à definitione corporis non excludi, verùm illi, tanquàm speciei corporis naturalis, ejus definitionem competere.*

§. 91. *Similiter se res habet cum privatione; de ea in definitione principiorum non laboramus, eò, quò Autor putat, modò, sed eam hic non esse exclusam, verùm ei definitionem principiorum competere, evincere laboramus. Sic ipse Autor Dissert. superius p.* 11. scilicet principiorum definitio in principiis fundatata est. His ergo applicanda, aliàs vitiosa futura, si non competat contentis sub definito. *Et hoc est, quod volumus, quod agimus; ut sic Autorẽ consentientem in eo, in quo se nobis opposuerat, habeamus.*

§. 92. *Deniq; in gratiam Autoris, & ut hæc res evadat clarior, noto,* aliud *esse, privationem sub principiis contineri, eorumq; definitionem participare,* aliud, *de privatione ibi agi, ubi agitur vel de principiis in genere, vel de principiis constitutivis, sicut* aliud *est, cœlum sub corpore naturali contineri, ejusq; definitionem sibi vendicare,* aliud, *de cœlo ibi, ubi corpus naturale consideratur, tractationem institui. Hoc non est connexum cum illo, sed unumquodq; peculiarem suæ tractationis habet sedem, ut non sit, quò in hoc negotio multùm se torqueat Autor.*

§. 93. *Quantum verò ad sedem tractationis, asserui ego in* Theor. C.N. Disp. 6. §. 39. *eo loco, quò agitur de corporis physici essentia, de principiis internis, corporis essentiam constituentibus, agendum esse, non verò de principiis transmutationis aut generationis, utpote quam tractationem, Zabarellæ vestigiis insistens, ad doctrinam de mutatione substantiali ejusq; speciebus amandandam esse censeo. Statui igitur, & adhuc statuo, eò locò, quò de corporis naturalis essententia,*

ads-

adeoq; de principiis essentiam ejus constituentibus agitur, de privatione agendum minimè esse. Hoc autem non obstante, h.e. quamvis privatio non eô locô consideretur, quô considerantur principia constitutiva, tamen in principiorum numero est & manet, cum non sit necessum, omnes alicujus rei species eôdem locô considerari & tractari, sed hanc speciem hanc, aliam speciem aliam tractationis sedem sibi vendicare novimus. Quin imò ne quidem locus & sedes tractationis incerta, sive de qua disceptant Autores, facit ipsam rem incertam. Sed hæc res pluribus patebit ex seq. 3. Disputat-

§. 94. Atq; sic tandem constare arbitror, non frustrà, ut Autor Dissertationis mihi imponit, à me fuisse expositam principiorum, primorum physicorum naturam h. m. quòd sint, quæ neq; ex sese mutuò sunt, neq; ex aliis principiis in eodem genere esse suum habent, sed ex quibus ipsis, aut tanquàm partibus essentialibus & componentibus, vel tanquam ex termino à quo omnia sunt composita physica.

§. 95. Insimul & constare arbitror, Minorem propositionem syllogismi suprà in medium propositi satis superq; fuisse infractam, ut contrarium tandem eluceſcat, nimirum principiorum definitionem non tàm fundamenta movendi dubia, quàm ea solvendi præbere. Nec ea, quæ Autor vel contra definitionem excogitavit, vel ab aliis excogitata adduxit dubia, ipsam definitionem de suo suppeditâsse putandum est, sed genio humano in diversum abeunti ea omnia adscribenda veniunt. Tantum.



Dispu-

Bono cum Deo.

DISPUTATIO II.

DE ARISTOTELICA PRINCIPIORUM DEFINITIONE,

ex lib. 1. Phys. c. 4. t. 42.

§. 1.

Duo contra definitionem Aristotelicam Dissertationis Autor quondã in suis Institutionibus Physicis objecerat argumenta, quorum prius antecedente Disputatione repetitum à nobis, altiùs q; consideratum, & ab Autoris contra responsionem meam datis exceptionibus vindicatum fuit; hac Disputatione alterum reassumimus, intimiùs illud perspecturi, datamq; nostram in Theor. Corp. Nat. Disp. 5. *responsionem contra ipsius replicationes defensuri. Argumentum illud ita proponitur in* Instit. Phys. l. 1. c. 1. q. 2. p. 33. *& in* Dissert. de Princ. Corp. Nat. c. 1. p. 71. Quæcunq; definitio vocabulis constat ambiguis, ea est nulla. Principiorum definitio vocabulis constat ambiguis. Er. principiorum definitio est nulla. Major est Canon; Minor probatur, quia verè ambigui sunt termini ex & sunt.

§. 2. *Ad hujus Syllogismi tùm Majorem tùm Minorem propositionem respondi. Ad Majorem dupliciter:* 1. nego eam simpliciter intellectam, (*N. B.* simpliciter intellectam) siquidem paucissimæ sunt definitiones, quæ non constant vocabulis ambiguis; & c. 2. dicendum, quòd aliud sit, aliquē terminum esse ambiguam, aliud, aliquē terminum alicubi, sive in aliqua oratione ambiguè sumi vel poni. Non illud, sed hoc vitandum est, cum ne quidem illud vitari possit, *id quod definitione Naturæ ab Autore in Instit. Physicis tradita manifestum reddidi.* Ut proinde hoc modô formanda sit Major propositio: quæcunque definitio vocabulis constat ambiguis ambiguè stantibus & significantibus, adeoque ambiguum sensum inea gignentibus, illa est vitiosa. Sic concessa Majori, negatur Minor propositio.

§. 3. *Contra hanc responsionem excipit sic:* Nulla Majoris limitatio est. Simpliciter vera Major: Quæcunque definitio

vocabulis constat ambiguis, vitiosa est. Simpliciter asserenda propositio: Definitio nondebet habere ὁμώνυμον. Ratio, quia cognitionis gratiâ formatur Definitio. Turbat autem mentem homonymum, ob multiplicem, quam habet, significationem. Dicis, aliud esse aliquam vocem esse ambiguam, aliud, allquam alicubi sive in aliqua Oratione ambiguè sumi. Non erat his opus. Parcere labore suo poterat. Nam de vocabulis in definitione extantibus loquitur Major. Nihil aliud vult, quàm hoc ipsum: In qua definitione vocabula ambiguè ponuntur & sumuntur, ea est nulla. Seu, ut cum ipso loquar: Quæcunq; definitio constat vocabulis ambiguè stantibus & significantibus, illa est vitiosa. Contradictio est, in definitione vocabula esse ambigua, & non sumi ambiguè. Saltem ergo tempus fallit &c.

§. 4. *Verùm non nullam esse Majoris limitationem, liquidum jam faciam. Et quî erit nulla, cum ipse Autor eam tandem adsumat, per eamq; suam propositionem explicet & conspicuam reddat? Non simpliciter vera Major hæc:* Quæcunq; definitio vocabulis constat ambiguis, vitiosa est; *sed hæc altera, quam subjungit, est simpliciter vera:* In quacunque definitione vocabula ambiguè ponuntur & sumuntur, ea est nulla; *quæ meam exprimit limitationem. Certè sunt distincta, Clarissime Vir,* in definitione esse vocabula ambigua, *vel,* definitionem constare vocabulis ambigui, & vocabula in definitione ambiguè stare, *vel* ambiguè poni, *id quod clarius tibi jam demonstrabo.*

§. 5. *Declaro. Quis potest negare, vocem* principii, *(alias ut mittam) terminum* causæ internæ *esse in numerô multa & multifariâ significantium? De voce principii vid.* Aristot. l. 5. Phil. Prim. c. 1. *Et Interpp. ibidem. Item* l. 5. de gener. anim. c. 7. Arm. de Bel. Vit. Tr. de explic. term. ca. 238. p. 376. seqq. Scheibler. Metaph. l. 1. ca. 21. tit. 1. nu. 1. seqq. p. m. 561. seq. *Excellentiss. Philosophus & Theologus* D. Jac. Martin. Exerc. Metaph. lib. 1. Exer. 4. Theor. 1. p. 143. *In explicatione definitionis causæ, & quidem in explicatione generis (quod est principium) expresse id ponit, scribens:* principium itaque, ut in definitione causæ accipitur, *est id,* à quo aliquid procedit quocunque modô. *Et post pauca:* aliàs scimus, principii vocem esse æquivocam, cujus varias significationes lege apud Damascenum &c. *rectissimè sic & verissimè! prin-*

principii vox est aequivoca; verùm non aequivocè fiat, non ambiguè significat in definitione causæ, sed ibi significat id, à quo aliquid procedit quôcunq; modô. Terminus causæ internæ *est ambiguus. Vel enim intelligitur* quoad essentiam effectus, *sicut materia & forma, in quantum quidem forma est, sunt causæ interna, essentiam effectus ingredientes; vel intelligitur causa interna* ratione subjecti, *quando causa est in eodem subjecto cum effectu suo; sic forma est causa interna operationum, quas edit in subjecto, quod constituit; sic intellectus est causa & principiũ intellectionis, in eodem cum effectu subjecto existens. Videt jam Autor ambiguitatem termini:* causa interna; *At verò illum ambiguè ab ipso positum in definitione naturæ, fortè non concesserit. Videt ergo, omninò aliud esse,* aliquam vocem vel terminum esse ambiguum, *aliud,* aliquam vocem vel terminum ambiguè in definitione poni vel sumi.

§. 6. *Ratio ab Autore subjuncta est nulla.* Nam de vocabulis, *inquit*, in definitione extantibus loquitur Major. *Ratio hæc non conciliat Majori illud pondus, quod habere debet. Aliàs enim & de se vocabula, per quæ definiti natura explicatur, in definitione debent extare. Sine vocabulis enim nulla datur definitio. Eadem ergo hîc recurrit notatio; aliud est,* vocabula ambigua in definitione extare, *aliud,* vocabula ambigua, quæ in definitione extant, ambiguè posita esse. *Nec est contradictio, ut Autor putat, in definitione vocabula esse ambigua, & non sumi ambiguè, si eô sensu sumat, quô sumsit in suo argumento, dicens, definitionem principiorum vocabulis constare ambiguis. Et enim potest dupliciter intelligi,* in definitione vocabula esse ambigua: vel *in sensu composito,* vel *in sensu diviso;* h. e. vel, *ut denominatio ambigui cadit super vocabula, ut in definitione posita sunt,* vel, *ut ea cadit super vocabula secundùm se & varium eorundem usum. Ut proinde* aliud *sit, vocabula in definitione posita, prout in definitione posita, esse ambigua,* h. e. *in illa ambiguè stare, ut sic, velut dixi, ambiguitas cadat super definitionis vocabula, in quantum illius partes sunt, sive in ea posita; aliud vocabula, quæ aliàs sunt ambigua & multa significantia, in definitione adhiberi, vel adhibita esse. Posterius hoc non sufficit ad vitiositatem alicui definitioni imprimendam, sed prius requiritur; posterius autem saltem in argumentatione sua indigitavit Autor, prius non attendit. Audiamus nunc, quam sint diversissimæ argumentationes:* 1. definitio principiorum vocabulis constat ambiguis. Er. est

vitiosa; *quam consequentiam nego.* 2. definitio principiorum constat vocabulis ambiguè stantibus, ambiguè positis. Er. est vitiosa; *quam consequentiam concedo, & antecedens nego.*

§. 7. *Hic cum ego ad Majorem propositionem, prout ab ipso posita erat, instantias dederim, regerit ille p. 25.* nullæ instantiæ sunt, quas affert; manet immota Major, si vel maximè perirent omnes definitiones; *& pro sua definitione Naturæ salvanda struit argumentum:* Quæcunque definitio constat vocabulis unum ac certum quid significantibus, ea non constat vocibus ambiguis. Nostra definitio Naturæ constat vocabulis unum ac certum quid significantibus. Er. non constat vocibus ambiguis. *Resp. 1. Non manet immota Major, nisi corrigatur eo modo, quo in antecedd. dictum, & Autor ipse accepit, sicut §. 4. constitit. 2. Ad Syllogismi Majorem resp neg. Cum enim pleraq; vocabula sint æquivoca, fieri aliter non potest, quàm ut sæpè vocabulis ambiguis in definitione utamur, imò uti cogamur. Sed h. m. prolata Major propositio valet:* quæcunque definitio constat vocabulis unum ac certum quid in ipsa definitione significantibus, ea non constat vocabulis ambiguè positis. *Not. quòd addidi:* in ipsa definitione; *Hoc enim vel maximè observandum est; id antecedentia Autoris verba comprobant, quibus sic:* In ipsa definitione unum quid notat essentia, unum quid affectio, unum quid actio, unum quid passio. *Optimè! Hinc rectè concluditur: ergo illæ voces in definitione non sunt positæ ambiguè.*

§. 8. *Suntq; pro hac re optima Sthalii nostri verba, quibus in* Reg. Philos. tit. 12. Reg. 1. p. 278. edit. Rintel. *ita ad objectionem aliquam respondet:* Resp. dupliciter fieri, vocem æquivocam in definitione poni: vel enim constat, quo significatu vox ponatur, vel non constat. Constat, quando expressè additur particula aliqua, quæ verbi multiplicem significationem ad unam trahat, aut aliàs ex subjecta materia clara est & determinata ejus significatio. Hoc modò *(N. B.)* non est prohibitum voces æquivocas in definitione ponere, imò, ut probat argumentum, necessarium id sæpè est, propterea quòd pleraq; vocabula æquivoca sint. Unde locum hîc habet illud vulgatum: *æquivoca quando distinguuntur, non amplius sunt æquivoca:* deficitq; hîc ratio, propter quam æquivoca à definitionibus excluduntur, propterea scilic. quia obscurant eas. At certè æquivoca,

quam-

quando distincta sunt, aut aliàs apparet, quo significatu sumantur, definitionem non faciunt obscuram, cum perinde tunc se habeant, ac si æquivoca non sint. Quando Er. dicitur, æquivoca non debere poni in definitione, intelligendum est solùm eo de casu, cum non perspicitur vel ex subjecta materia, vel aliunde, quomodo vocabulum sit accipiendum.

§. 7. *Atq; sic constare puto, quid de Majore Philosophi illius propositione sit judicandum, quo modò locum inveniat, quò non. Nunc Minor altiùs considerandæ, & responsio mea ab exceptiunculis salvanda venit. Ita respondi ad Minorem in* Disp. 5. §. 55. Quantum ad Minoris probationem, ea non succedit. Mittentes jam, quòd τὸ sunt, & τό ex propriè non sint termini, & hanc rem ad Scholas Logicas remittentes, repetimus ex superiùs positis fundamentis, quòd aliud sit, aliquem terminum, vel vocem positam esse ambiguè, aliquem terminum vel termini significatum sub se habere specialia & particularia, in quæ distribuitur. Non prius, sed posterius hîc locum invenit. Idem, naturam causæ in communi explicans ipse (*Autor*) innuit, dum ait; per influxum non specialis causatio efficientis, sed communis concursus, quô quælibet causa in suo genere in causatũ influit, indigitatur. Nulli dubitamus, Autorem hoc intendere, quòd influxus, vel τὸ influere esse, in definitione causæ non notet causalitatem in specie, e. g. efficientis, aut materiæ &c. sed à causalitatibus causarum in specie præscindat. Non aliter se res habet in præsente negotio, ubi per τὸ esse ex principiis primò non specialis ratio principiandi materiæ, formæ aut privationis, indicatur, sed communis eorũ ratio in qua omnia principia interna conveniant, repræsentatur, quæ tamen (vel unumquodq́ue in suo genere) proprium suum principiandi modum obtinent, ut propterea, *in specie loquendo*, aliter & aliter ex aliis & aliis principiis res naturales dicantur esse.

§. 10. *Sed quid* ad hæc *Dissertationis Autor*? *Ita* p. 25. sq. Ignorabam equidem recessûs Philosophiæ vestræ. Etiam dum ignoro subtilitatẽ, quâ negatur, terminos esse Ex & Sunt. Summulistas consulerẽ, nisi memoriâ tenerem duas termini descriptiones. *Altera est*: Terminus est vox, quæ aliquem significandi modum habet. *Altera*: terminus est signum ad placitum orationis simplicis constitutivum. Sub utraq́ue habetur divisio

termini

termini in categorematicum & syncategorematicum, &c. *Et post pauca.* Hæc didici quondam & docui Studiosos ante viginti ferè annos, cùm traderem Logicam privatim. Ubi erratum sit, puto monstretur. Inquiat forsan, propriè non esse terminos. Sed neque ad me, neque ad generalem termini notionem istud propriè spectat. At nolo contendere de verbis cum iis, quorum Philosophia tota est verbalis.

§. 11. *Ast contrà 1. obiter id saltem monui, non litis movendæ causâ, cum nullam litis causam sufficientem viderim 2. De verbis contendit Autor, quidquid sit, quòd protestetur. Definitionem Aristotelicam propter verba carpit, & de terminis* Ex & sunt *bæc movet. 3. Reverà non sunt termini* Ex & Sunt, *& similes particulæ, ut, conjunctiones, præpositiones, &c. 4. Nec curamus, quid Summulistæ hac de re tradant, cum hodiè accuratiùs hanc rem Scholæ nostræ exponant. Si Præceptorem nostrum, Plur. Rever. Dn. D. Jac. Martini, Logicum celebratissimum, consuluisset, melius ipsum, ac fecêre Summulistæ, informâsset. Et miror, quòd hic Summulistarum placita adeò magnifaciat, ut etiam sua faciat, cùm aliàs Scholasticis ipsorumq; doctrinis non multùm tribuat Disputator. 5. Neg. terminum syncategorematicum propriè esse terminũ; & si ita didicit & docuit, non rectè doctus fuit, nec rectè docuit. Quô, quæso, argumento doctioribus Logicis id dabit probatum? 6. Se suamq; thesin deserit, quando sibi objicit & respondet, sic progrediens:* inquiat forsan, propriè non esse terminos; Sed neque ad me, neque ad generalem termini notionem istud propriè spectat. *Resp. Si non ad ipsum; Er.* Ex & Sunt *propriè non sunt termini. Si non ad generalem termini notionem; Er. is ex Summulistis non dedit definitionem termini propriè dicti. Sed hæc ad Logicorum Scholas spectant.*

§. 12. *Ad ipsam autem responsionẽ excipit sic* p. 26. Nondum data est una significatio termini Ex, Multũ laboravit Autor, sed spes cecidit ad irritum. Non esse ambiguè positam vocem ait, sed habere subse specialia & particularia significata, in quæ distribuatur, quamvis ea non significet. Et mox: Juxta Armandum de Bello Visu sex modis dicitur aliquid esse ex alio. 1. sicut ex materia. 2. sicut ex forma 3. sicut ex causa movente. 4. sicut ex cõpositio. 5. sicut ex fine. 6. ratione ordinis. Nunc quæritur, quinam modus ad principiorum definitionẽ spectet? Si omnes; vi-

tiosissima

tiosissima est definitio, tot referta homonymiis. Si unus & alter, etiam vitiosa est, ob homonymiam. Unde argumentor: Quæcũq; vox nihil certi significat, ea nihil significat. Vox ex in definitione principiorũ nihil certi significat. Er. vox ex indefinitione principiorũ nihil significat. Major per se clara. τὸ μὴ ἓν σημαίνειν, οὐδὲν σημαίνειν ὅτι. Minorem concedit Autor. Dicit, non specialem rationem principiandi materiæ, formæ, aut privationis indicari, sed communem, in qua omnia principia interna conveniant, repræsentari. Probet hoc, non dicat tantùm. Verba audio, rem expectabam. Quid innuat communis illa ratio, explicare debebat. O miseros nos, qui nescimus, quid EX significet. Ita præconceptæ opiniones ex minimis maxima pariunt dubia. Manet argumentum: Quicunq; non potest exprimere certam significationem vocis EX, in definitione principiorum contentæ, is rem malè explicat. Autor non potest exprimere certam significationem vocis Ex, in definitione principiorum contentæ. Er. Autor rem malè explicat.

§. 13. *Judicent docti de mea responsione, & hac Autoris exceptione, quibus ego materiam meditandi suppedito seq. modò.* 1. *Resp. non intendo ego h. l. dare unam significationem vocis* Ex; *sed de toto complexo, sive de tota phrasi*, esse ex principiis, *laboro, illam ita significare assero, ut non ambiguè significet, aut ambiguum conceptum gignat, sed conceptum in se unum, à specialibus præcisum, intellectui nostro fistat. Id quod verba mea testantur, quibus applicationem facio, h. m.* non aliter se res habet in præsente negotio, ubi per τὸ esse ex principiis non specialis ratio principiandi, sed communis eorum ratio repræsentatur &c. *Id quod etiam ex collatione, quam instituì, percipi poterat. Non enim voculam* Ex, *sed* τὸ esse ex principiis, *ego confero cum verbo* influere *h. m. sicut* τὸ influere *non significat ambiguè in definitione causæ &c. ita quoq; τὸ* esse ex principiis *non putandum est ambiguè significare, &c.* 2. *Nec necessum est hîc, strictim soli inhærerere voculæ* Ex, *aut verbo* Sunt, *cum voculæ istæ de se nullum progignant conceptum, qui hanc rem explicet, sed tota phrasis, quæ ex vocibus illis componitur, vel maximè spectanda est. Alias id, quòd ille dicit de voce* Ex, *& verbo* Sunt, *dici quoq; poterat de voce* principiorum, *quia & illa æquivoca; quæ tamen vox hîc non spectatur, ut de se plura significat, sed uti jam se habet in hoc complexo,* esse ex principiis, *sicut in explicanda hac propo-*

sitione

stione: omne causatum dependet à suâ causa: *non strictim inhærendum est propositioni A, sed tota phrasis consideranda est. Ut mihi injuriam faciat Autor scribens p. 26.* me aiisse, vocem Ex non esse ambiguè positam, sed habere sub se specialia & particularia significata, in quæ distribuatur, quamvis ea non significet. *Ubi hæc habeo de voce Ex? Taceo, quòd ultima verba non sint mea, sed illa de suo addiderit Autor.*

§. 14. *Idem, quod dixi, ex Dissertationis Autore perspicere haut difficile est. Etenim* 1. *ille hîc ex Arm. B. V. non multiplicem significationem vocis* Ex, *in una oratione occurrentem, (qualem voculæ isti in definitione principiorum affingit) sed varios speciales modos* essendi ex alio *exposuit;* sex modis dicitur aliquid esse ex aliquo, *inquit, adeòq; totam phrasin sumit, & speciales ejus modos edisserit.* 2. *Inferiùs* h. cap. 1. p. 33. *totam phrasin nobiscum assumit,* quid concipis, *inquiens,* audità phrasi, ex aliquo fieri? &c. 3. *Declara simili exemplo. Rectè dicimus, primò quidem in genere, omne causatum dependet à suâ causa, & deinde in specie, causatum materiæ dependet à materia, causatum formæ à forma, causatum efficientis ab efficiente, & c. ita Autor in* Defens. pro Senner. l. 2. c. 4. p. 226. *Quo in negotio non exponitur significatio propositionis A vel AB, sed in prima propositione generalis ratio dependentiæ quâ causam in genere, in reliquis specialis ratio dependentiæ à causis in specie exponitur, totius q; phraseos ratio habetur. Ut proinde, ipso Autore innuente, non nuda vocula* Ex, *sed totum complexum,* τὸ esse ex principiis, *h. l. nobis spectandum sit.*

§. 15. *Quæ cum ita, ut dictum, se habeant, judicare potest lector, quid sentiendum sit de sequente Autoris discursu, quando post enumerationem specialium illorum modorum essendi ex aliquo, quærit,* quinam (*ex istis specialibus modis*) modus ad definitionem principiorum spectet, *an omnes, an unus & alter?* Si omnes, *inquit,* vitiosissima est definitio, tot referta homonymiis; si unus & alter, etiam vitiosa est ob homonymian. *Hîc Autor, si meô locô ipsi respondendum esset, diceret & exclamaret, ô miserabilem discursum! ô miserrimum disputandi modum! Speciales illis sunt modi, quibus specialis dependentia à causis in specie explicatur. Quomodo ibi modus unus, vel unus & alter, aut omnes junctim explicabunt naturam principiorum in præcisa sua ratione? Det is causam in specie unam, det unam & alteram, qua sint omnes causæ, ita loquendo, sive*

qua

quæ totam causæ latitudinem complectantur? Differentiæne & speciales modi trahendi ad genus, ut illis hujus natura explicetur? Nonne à speciebus præscindit genus, & à specialibus rationibus ratio aliqua communis, cujusmodi hîc est principiorum in ordine ad materiam, formam & privationem, cujusmodi est causæ in ordine ad efficientem, materiam, formam & finem?

§. 16. *Declaro. Non aliter se habet res, quàm si dicam, quatuor modis dicitur aliquid dependere ab alio dependentiâ causali:* 1. *ut ab efficiente,* 2. *ut à materia,* 3. *ut à forma,* 4. *ut à fine; (ita Autor in* d. Defens. l. d.) *& posteà quæram, quinam istorum modorum ad definitionem causæ (quâ definitur esse principium, à quo aliquid, nimirum effectus sive causatum dependet) spectet? Certè nullus istorum modorum spectat ad definitionem causæ in genere, sed cum sint modi speciales, manent propriè & propriè addicti suis causis, nec possunt illi vel omnes, vel unus & alter, aut unus saltem assumi in definitione causæ in genere. Si enim unus, non daretur definitio causæ in genere; si plures, esset complexio multorum specialium modorum, quæ certè non unam naturam, non unam rationem formalem causæ in genere explicaret, sed multarum distinctissimarum, & specie differentium rationum commixtionem efficeret. Similiter comparatum est cum nostro negotio; nec enim unus specialis recensorum modorum spectat ad definitionem principiorum in communi; sic enim non esset definitio principiorum in genere, sed unius principii in specie; nec omnes speciales modi eò spectant; hi enim non efficerent unam definitionem, (quî enim multi speciales modi coibunt in unam generalem definitionem?) sed multarum rationum coacervationem & complicationem.*

§. 17. *Quantum ad primũ argumentum §. 12. prolatum, quamvis non sit directè contra meam responsionem (de totâ enim phrasi mihi sermo est) tamen resp. neg. Min propositum. Dicit autem Autor, me Minorem concedere. Ast ubi ego unquàm concessi Minorem? Fortè quia dixi,* non specialem rationem principiandi materiæ, formæ, aut privationis indicari, sed communem, in qua omnia principia hæc interna conveniant, repræsentari. *Ast! estne, hoc dicere vel asserere, concedere Minorem, asserentem,* vocem Ex in definitione principiorũ nihil certi significare? *Nec etiam sequela syllogistica id efficitur. Quomodo enim sequitur: præpositio* Ex, *& phrasis* esse ex aliquo *in definitione principiorum non designant specialem rationem principiandi materiæ; &c. sed communem, in qua omnia principia interna conveniant; Er. præpositio* Ex *in definitione principiorum nihil certi signifi-*

cat. Minimè ita sequitur. Procedo similiter: τὸ A, vel AB in his propositionibus: omne causatum dependet à causâ; causa est, à quâ dependet causatum, non designant specialem modum causandi efficientis, materiæ, formæ, finis, sed communem rationem &c. Er. τὸ A, vel τὸ AB nihil certi in illis propositionibus significant? Quis id concesserit? Ergo-gone quæ vox, vel qui terminus præcisam rationem significat, nihil certi significat? Minimè gentium. Ut proinde Minoris probatio Autorī incumbat.

§. 18. Deniq; illa verba, quibus asseri, per τὸ esse ex principiis in generali principiorum definitione non specialem rationem principiandi materiæ, &c. sed communem principiorum naturā exponi, quæ postea omnibus in specie conveniat, quī opus habebunt probatione, cum primō auditu res pateat? Scilicet definiuntur hīc principia in genere, non materia, non forma, non privatio in specie. Er. & illa, per quæ definiuntur, generaliter sunt accipienda & cum præcisione à specialibus. Er. τὸ esse ex principiis in definitione eorum generaliter & cum præcisione accipiendum est, non de τῷ esse ex materia, non de τῷ ex forma, &c. non aliter ac sicut τὸ dependere à causa, vel influere esse, in definitione causæ in genere, non dicit influxum vel dependentiam effectivam, aut subjectivam, aut formalem, sed rationem ab his (ut specialibus) omnibus præcisam. Talis autem ratio communis est illis, quæ sub tali definito continentur, utpote ratio causæ, quâ esse definitur principium influens esse rei, vel principium, à quo aliquid dependet, communis reputatur efficienti, materiæ, formæ, fini; simili igitur modō ratio illa, & conceptus, quo natura principiorum explicatur, erit communis materiæ, privationi & formæ.

§. 19. Pergit, & urget, me debere explicare, quid innuat illa communis ratio. Quid innuat, inquit, non, quid significet, vel formaliter importet. At, aut quærit de vocula Ex, aut quærit de totā phrasi esse ex principiis. Sed sumamus definitionem causæ, quâ dicitur esse principium influens esse rei, vel, qua causatum à causâ per influxum dependet. Ubi τὸ influere esse causati, vel dependere à causa dicit communem rationem causæ in genere, non specialem rationem efficientis, aut materiæ, &c. Quid juvat jam quærere, quid innuat communis illa ratio? Sic forma definitur causa interna, per quam res naturalis constituitur, certasq; edit operationes. Hīc τὸ per formam constitui rem naturalem, per eamq; edi operationes, dicit communem rationem, non specialem animæ, aut alterius formæ. Quid si quaram

ijam

jam; quid innuit illa communis ratio, quæ vel per voculam per, vel per totam phrasin, esse per formam, designatur? Quin sic futurum foret, ut, explicatô, quid ratio illa communis innuat, & de illa ratione, per quã fit explicatio, rursus quæratur, quid illa innuat, & sic porrô, progressus daretur in infinitum. Per commuuem igitur rationem hîc nihil aliud intelligitur, quàm ipsa definiti, ut principiorum, causæ, formæ, &c. natura, vel aliquid ad illam spectans, &c.

§. 20. Deniq; ad alterum syllogismum Autoris supr. §. 12. propositum respon. simile argumentum de præpositionibus A & Per in definitionibus causæ & formæ nectendo. Quicunq; non potest exprimere certam significationem præpositionis A in generali definitione causæ, (quâ dicitur à causa causatum dependere) & præpositionis per in generali definitione formæ (quâ dicitur per eam esse & operari res naturalis) is rem male explicat. Atqui definiens causam & formam in genere non potest exprimere certam significationem præpositionis A in definitione causæ, nec certam propositionis per in definitione formæ. Er. definiens causam in genere, & formam in genere, rem malè explicat. Quid Autor Dissertationis, vel alius, hîc respondebit, ego similiter respondebo. Intereà ego nego Minorem. Unde enim ea probabitur? cur non ea, quibus communis ratio designatur, vocabula, aliquid certi significabunt? Scilicet ita præconceptæ opiniones, ut rectè scribit Autor, è minimis maxima pariunt dubia; ita præconceptæ opiniones extorserunt Clarissimo Viro ista dubia, in quibus tenaciter hæret & perseverat.

§ 21. Pergit Autor hanc rem perstringere seqq. verbis. Neq; habitudo rei facit satis. Notet habitudinem Ex: at notat habitudinem De, notat In, notat Per, notant infinita alia. Explicanda ergo illa habitudo, an sit materiæ ad materiatum, an efficientis ad effectum, an alia. Dicit, generalem esse habitudinem, & quidem principii ad principiatum. Hoc jam quid ad definitionem? Nulla sic explicatio definitionis fit. Quæro, quid sit principium? Rrspondes, esse id, quod habet habitudinem generalem ad principiatum. Estne hæc genuina & propria principii ratio? Estne hoc essentiæ explicatio, quam promiseras antè? Est hoc officium vocis Ex, generalem illum respectum principii ad principiatum significare? Repeto argumentum: Quicunque una voce duplicem aut triplicem involvit habitudinem, is ludit æquivocatione. Autor una voce duplicem aut triplicem involvit habitudinem. Er. ludit æquivocatione. Minor constat, quia certam habitudinis rationem in definitione expressam non dedit, nec dabit unquam.

quam. Item. Ubicunque non datur communis ratio, ibi non contineri possunt rationes speciales. In termino Ex non datur communis ratio. Ergo non possunt ibi contineri rationes speciales. Minorem qui negat, det eam, & explicet. Et dare nos poterimus tandem de omni homonymo eandem.

§. 22. *Voculam* Ex *hic denotare generalem habitudinem principiorum ad principiata sua adserimus. Sicut enim definitio est principiorum in genere, non in specie, ita generalem rationem, non specialem, exprimunt verba in definitione adhibita. Patet id in definitione causæ, quâ dicitur esse principium, à quo causatum dependet. vide de hac* Svarez. Disp. Metaph. 12. s. 2. nu. 6. p. 243. *Hîc cum definitur causa in genere, partes definitionis conformiter debent significare. Vox igitur* dependere *generaliter sumitur & præcisè, non specialiter pro dependentia effectiva, vel subjectiva, &c. similiter & præpositio* A *generalè ratione accipienda est, non speciali, prout vulgò nota efficientis esse statuitur. Suntq; distinctissimæ rationes, distinctissimiq; conceptus in his propositionibus:* Causa est principium, à quo dependet causatum, *adeòq; omne causatum est dependens à causa; &:* effectus (*in specie & propriè dictus*) dependet ab efficiente; materiale & materiatum dependent à materia, &c. *prioribus communis ratio causæ, posterioribus specialis & propria designatur. Igitur quoq; verbum,* dependere *& præpositio* A *in prioribus propositionibo generaliter & cõmuniter significabunt, in posterioribus verò speciales & proprias rationes expriment; in prioribus igitur præpositio notabit generalem habitudinem causæ ad causatum, in posterioribus specialem. Similiter quoq; se res habet cum illis, quas Autor subjunxit, præpositionibus, quæ nunc generaliter significant, nunc specialiter, prout vel generalibus vel specialibus modis designandis accommodantur.*

§. 23. *Ut insigniter Autor & fallatur & fallat, quando ait,* explicandam esse illam habitudinem, an sit materiæ ad materiatum, an efficientis ad effectum, an alia. *Eôdem modô se res habet, quô in antecedentibus, ubi post enumerationem specialium modorum essendi ex aliquo, quærit,* quinam istorum modorum ad generalem principiorum definitionem spectet? *Sanè in generali objecti definitione non dicendum, quòd specialis habitudo, aut specialis modus per vocem aliquam indigitetur. Sine contradictionis enim labe id haut fieret. Repugnant enim speciales modi generali definitioni, nec esset rei in genere definitio, si per speciales rationes daretur. Rectè ergo dixi,*

voce

voce Ex *in definitione principiorum generalem habitudinem principiorum ad principiata denotari, sicut prapositionem* A *generalem habitudinem causæ ad causatum in ejus definitione denotari rectè tenemus.*

§. 24. Hoc (*generalem illam denotatam* σχέσιν *intelligit*) quid ad definitionem, *quærit? Facit omninò ad definitionem principiorum in communi, dicere,* τὸ Ex *ibi notare generalem quandam habitudinem principii ad principiatum, non verò specialem materiæ ad materiatum, aut formæ ad formatum, &c. cujusmodi habitudines speciales in specialibus eorum definitionibus locum inveniunt; Definitio enim alicujus rei in genere per generales conceptûs, specialis per speciales debet exponi. Id quod exemplò causæ iterum optimè illustratur. Scilicet* τὸ A *vel* AB *in definitione causæ in genere, quâ dicitur aliquid ab ipsa dependere, dicit generalem habitudinem causæ ad causatum in genere; sit verò specialis distributio & applicatio, quando dicitur aliquid dependere* effectivè *ab efficiente,* subjectivè *à materia,* formaliter *à forma, ut Autor habet in* Defens. l. 2. c. 4. p. 226. *cui respondet, quòd in* Instit. Phys. l. 1. c. 3. p. 68. 69. τὸ dare esse *tripliciter explicat, per* dare esse effectivè, per dare esse subjectivè, per dare esse formaliter, &c. *Ab his autem specialibus modis sumitur hæc præcisa & communis ratio, quæ tribuitur* causæ *quà generalem suum conceptum, quòd sit* principium dans & communicans esse causato, *non aliter ac est in altera, quâ dicitur* causa esse principium, à quo dependet causatum. *Non autem ita significaret hæc propositio, nisi præpositio* A *generalem habitudinem significando confervet.*

§. 25. *Est autem insignis cavillatio, quâ Autor mea perstringit.* Quæro, *inquit,* quid sit principium? respondet, esse id, quod habet habitudinem generalem ad principiatũ. Estne hæc genuina & propria principii ratio? &c. *Videantur reliqua in supero* §. 21. *Præterire hæc verba, & docto candidoq; Lectori judicium de illis subjicere satiùs erat, quàm ea operosè hìc discutere. Sed spretâ injuriâ mihi illatâ, quæro Autorem, de quo hactenus ipsi fuerit disputatio & quæstio? De vocula* Ex *quæsivit, quid significet in generali principiorum definitione; & negavit constanter, eam certi aliquid in Aristotelica definitione significare; & quoq; non vult admittere, eam denotare generalem* σχέσιν *principii ad principiatum, sed debere eã exprimere specialem aliquem modum; ita* in Disser. p. 27. & 28. *Jam verò, nescio, quô animi affectu aiat, se quæsivisse,* quid sit principium, & responsum fuisse, esse id, quod generalem habet habitudinem ad principia-

tum. An ex malitia id faciat, an ex rei ignoratione, me certè fugit. Ad quæstionem de quid est principiorum resp. ex Aristot. lib. 1. Phys. c. 4. l. 42. quod benè novit Autor; Ad quæstionem de potestate significandi vocis Ex respondeo eo modò, quò Autor in verbis modò citatis exposuit. Distinctæ quæstiones distinctas sibi vendicant responsiones.

§. 26. Ad argumentum gravissimum (sup. §. 21. propositum) levissima est responsio. Minor neganda venit. Argumentetur quis similiter: Quicunq; unâ voce triplicem imò quadruplicem involvit habitudinem, is ludit æquivocatione. Atqui definiens causam, quòd sit principium, à quo dependet causatum, vel: quòd sit principium influens in esse causati: una voce triplicem imò quadruplicem involvit habitudinem. Er. definiens isto modò causam ludit, æquivocatione. Simile argumentum formari potest de τῷ esse in causis, & de τῷ esse extra causas, quòd phrases illæ multiplicem involvant habitudinem. Verùm de omnibus negatur Minor propositio. Ergone præpositione A in phrasi dependere à causa, & præpositione in, in phrasi, esse in causis, & præpositione extra, in phrasi, esse extra causas, quadruplex involvetur habitudo? Minimè, sed una præcisa ab omnibus specialibus modis & habitudinibus. Argumentor ex superabundanti: Quæ est ratio habitudinis causæ ut sic ad causatum ut sic, designata per τὸ A, vel similem, illa quoq; est ratio habitudinis principiorum nostrorum physicorum generaliter consideratorum & definitorum ad principiata sua, designata per vocalem Ex. Atqui illa ratio habitudinis, quæ in causa ut sic ad causatum ut sic, designatur per τὸ A, aut similem, est generalis & præcisa à specialibus habitudinibus, quas dicunt vel involvunt causæ in specie ad causata sua in specie. Er. ejusmodi quoq; habitudinis ratio designata per vocalem Ex est in principiis nostris Physicis, puta, generalis & præcisa à specialibus habitudinibus, quas dicit in principiis in specie.

§. 27. Minorem quod attinet, ejus probatio nulla est; quia certam habitudinis rationem expressam non dedi, inquit, &c. Ast generalem & communem dedi; Er. certam dedi, siquidem generalis ratio æquè in suo genere est certa, ac est specialis in suo genere & ordine. Aut dicam similiter, illum, qui finiens causam esse principium, à quo dependet effectus, vel, esse principium, quod influit in esse effectus, non dedisse certam dependentiæ & influxus rationem, quia non designavit dependentiam effectivam, nec subjectivam, &c. nec influxum efficientis, nec influxum materiæ, &c. expressit. Sit argumentum: Qui una voce triplicem aut quadruplicem causalitatem involvit, is ludit æqui-

æquivocatione. Autor Dissertationis definiens causam, quòd sit principium influens in esse rei, una voce triplicem aut quadruplicem causalitatem involvit. Er. *Autor Dissertationis ludit æquivocatione. Minorem probo, quia* certam causalitatis rationem in definitione causæ expressam non dedit &c. *Scilicet putat is, non esse certam rationem illam, quæ datur per generalem & præcisum conceptum.*

§ 28. *Ad alterum syllogismum* (supr. §. 21. *propositum facilima quoq; ex dictis petitur responsio. Minor neg. siquidem communis illa ratio, quam sustinet vocula* Ex *in definitione principiorum, data fuit. Et hoc est, quod ego in tota phrasi, & consequenter (analogiâ certâ) in præpositione illa semper urgeo. Minoris propositionis probationem quòd in eo ponit,* ac si non possit dari communis illa ratio, *nihil est. Data fuit illa in antecedentibus, ut dari potuit. Non siquidem hic rigor ille urgeri potest, qui in terminis propriè dictis locum invenit. Quid aliàs fieret de hisce propositionibus: Omnis res naturalis* per *formam suam est & operatur, quod operatur; omnis forma est* in *subjecto, (quæ propositio de forma substantiali & accidentali vera est) omnis effectus actu existens est* extra *suas causas: Omne causatum dependet à sua causa. Alias multas mitto, cum rem clarissimè illis, qui per transennam, quod dicitur, Philosophiam aspaxerunt, patere mihi persuasum habeam. Nihil quoq; est, quod claudit Autor*; & dare nos poterimus de omni homonymo communem rationem; *concedo de homonymo, i.e. de voce, quæ ὁμώνυμος est; (sic das communem rationem de principio, de causa, de potentia, de actu, &c. quæ voces omnes sunt æquivocæ & multa significantes) nego autem de ea, quat. talis est, sive quatenus in propositione aliqua ὁμωνύμως ponitur.*

§. 29. *Pergit Autor, & exempla à me pro rei declaratione in medium allata allatrat. Ita autem scribit*: Exempla, quæ immiscet Autor, à scopo alieniissima sunt. Ita vult colligere. Ut influxus se habet ad quatuor causas, ita vox Ex se habet ad tria principia. Atqui influxus se habet ad causas, ut commune ad speciale. Ergo etiam vox Ex ad tria principia ita se habet. Probetur Major. Influxus, cujus mentio fit in causarum definitione, rem certam & formalem causæ rationem notat. Materia, Forma, Efficiens, & Finis, quatenus causæ sunt, eatenus etiam de influxu isto participant: quatenus verò diversæ sunt causæ, eatenus etiam diversum habent influxum. Nunc fiat applicatio, Nec unam significationem, nec unum conceptum, nec unam rem dare potes, quam

notes,

notet, aut gignat terminus Ex. Porrò vult argumentari. Ut animal se habet ad rationale & irrationale, ita terminus Ex ad tria principia. Sed animal sub se habet rationale & irrationale potestate. Ergò etiam terminus Ex sub se habet tria principia, aut causalitates istorum. Digna Major, quæ audiatur in schola Philosophorum. Animal unam rem notat & certam, ac prædicatur univocè de rationali & irrationali. Probetur idem de termino Ex. Porrò: Ut se habet dependentia ad effectivam & subjectivam, ita etiam Ex ad constitutionem & terminum à quo. Sed dependentia se habet ut commune quippiam ad effectivam & subjectivam. Ergo ita etiam se habet Ex ad constitutionem & terminum à quo. O miserrimam Majorem! Dependentia certam significationem habet, juxta quam describitur & concipitur. Unam significationem vocis Ex ostende, & describe. Ita quoque se res habet de phrasi, esse in causis. Notatur res certa, quæ applicatur diversis. Invertimus argumentum hoc pacto: Ut cancer se habet, ad animal, ad sidus, & ad morbum, ita ex se habet ad Materiam, ad Formam, & ad privationem. Sed cancer æquivocè se habet ad animal, ad sidus, & ad morbum. Ergo etiam Ex æquivocè se habet ad Materiam, ad Formam, & ad Privationem. Majorem probo. Cancer quoad nomen dicitur de tribus illis, sed non quoad unam nominis rationem. Pariter, non una vocis Ex datur ratio, cum ex materia est corpus, cum ex formâ est corpus, & cum ex privatione est generatio. Datur commune nomen, sed diversa nominis istius ratio.

§. 30. *Calumnia sunt, quas affert. Aut enim rem non intelligit, aut non vult intelligere. Ubi ego ita colligo, ut mihi imputat Autor? Legatur mea responsio* sup. §. 7. *repetita, &* §. 13. seqq. *vindicata. Ita ex responsione colligendum est;* Ut influxus se habet ad quatuor causas, ita τὸ esse ex principiis ad tria nostra principia, &c. *Hîc id, quod Autor pro Majoris propositionis probatione dicit, omninò cadit in principia physica prima, nimirum* τὸ esse ex principiis rem certam, & formalem principiorum rationem notat; materia, privatio & forma, quat. principia sunt, rationem istam (*non*, de ratione istâ; *quia hoc partem dicit; tota autem natura generis est in qualibet specie; id quod etiam Autor observare debuisset,*) quatenus verò diversa sunt principia, eatenus etiam diversimodè aliquid ex illis est, *aliter scil. ex materia, aliter ex privatione, aliter ex forma, sicut aliter effe-*

ctus

tus dependet ab efficiente, aliter à materia, aliter à formâ, aliter à fine. Quid hîc desiderat Autor?

§. 31. *Quæ subjungit de vocula* Ex, *illis hîc non non erat opus. Illis partim falsa dicit, partim vera. Falsum est*, vocem Ex non habere unam significationem, nec gignere unum conceptum in definitione principiorum physicorum. *Contrarium hactenus evictum est. Ecce! Concedetne is, præpositionem à non habere unam significationem in hac præpositione: causa est, à qua dependet causatum: quæ generalem naturam causæ exponit; Conf. reliqua exempla* sup §. 26. *propositu. Verum est*, non posse dari unam rem, (*accuratè loquendo*) quam de se significet vox Ex. *Nec id solùm verum est in nostra definitione, verùm in specialibus quoq; modis sup. §. 22. ex Autore recensis, & aliis similibus. Id autem inde est, quia* τὸ Ex *propriè non est terminus rei, alicujus significativus. Quamvis autem* τὸ Ex *de se non significet quandam rem unam, habet tamen aliquam significationem unam sibi convenientem, i. e. ea ratione, quâ est hæc præpositio. Id quod in aliis quoq; patet. Sic præpositio* à *vel* ab, *sic* In, *sic* Per, *sic alia similes voces propriè nullam rem significant, significant tamen aliquid pro sua conditione, & pro sua indole.*

§. 32. *Simili, quô cum prima, se res habet modô cum secunda Autoris collectione:* Ut animal se habet ad rationale & irrationale, ita terminus Ex ad tria principia, &c. *In æternum id non potest ex meis colligi. Et ubi intendo ego aut indigito, terminum* Ex *sub se habere tria principia, aut causalitates eorum? Insulsissimus essem omnium hominum, si ita sentirem, si ita loquerer. Ubi ego principiis hisce tribuo causalitates? Annon ego quàm diligentissimè discrimen inter principia & causas inculco? De principiis in ratione principiorum hîc est tractatio, non de causis. Similem errorem de influxu, quem principiis tribuit, notavi* Disput. antec. §. 80. *qui locus conferatur Principia ut principia ab influxu & causalitate præscindunt.*

§. 33. *Nec aliter se res habet cum tertia collectione, quam ita instituit.* Ut se habet dependentia ad effectivam & subjectivam, ita etiam Ex ad constitutionem & terminum à quo. Sed dependentia se habet ad effectivam & subjectivam, ut commune quidpiam. Er. ita etiam se Ex habet ad constitutionem & terminum à quo. *Minimè ita ex meis colligi potest. Quæ pro Majoris propositionis probatione profert, partim ludicra sunt, partim seria, & in rem præsentem. Ludicra verba sunt, quibus petit* vocem Ex à me describi.

Contrà 1. *Describat mihi Autor præpositiones* A, In, extra, per, *utpote quæ primò generales & communes, deinde speciales rationes denotant; describat voces* ut, cum, quia, quod &c. 2. *Significatio quidem unà cujuslibet dari potest, non verò propriè, quantum ad præsens, i. e. quantùm ad potestatem significandi, describi illa possunt.* Serium est, *quod ait,* rem ita se habere cum phrasi: esse in causis; sicut se habet cum dependentia & dependere. Scilicet, *pergit,* notatur res certa, quæ applicatur diversis. *Quæso Lectorem benevolum, candidè edisserat, annon par ratio sit phraseos:* esse ex principiis? *Cogitemus: phrases* esse in causis, esse extra causas, esse à causis, *notant rem certam, quæ applicatur diversis;* esse *verò* ex principiis *non notat rem certam, quæ applicetur diversis! Fateor ego, me id capere non posse.*

§. 34. *Autorem hactenus calumnias seruisse, ut* §. 30. *quæstus fui, dicent, præter illa, quæ* §. 9. & 13. seq. *repetita & dicta fuêre, ea quoq;, quæ in* Theor. Corp. Nat. Disp. 5. §. 57. *pro rei declaratione in medium protuli, ex quo ipso loco collectiones hactenus spectatas & examinatas Disputator depromsit, planè contra mentem meam, & contra apertissima verba. Hæc sunt verba mea, quibus responsionis & declarationis summa expressa est.* Ad duo igitur capita hæc res reducitur. 1. τὸ esse ex principiis in primô suo conceptu genus ponit, vel generalem naturam exprimit, & species vel speciales modos potestate includit, sicut genus potestate continet species, e. g. influxus potestate continet actionem, quæ est causalitas efficientis, passionem, quæ est causalitas materiæ, informationem, quæ est causalitas formæ, motionem metaphoricam, quæ est causalitas finis; quæ causalitates actu & formaliter includuntur in suis causis in specie. Similiter τὸ esse ex principiis (aut non esse ex principiis) potestate continet τὸ esse ex aliquo constitutivè, & esse ex aliquo terminativè, &c. quæ tamen formaliter & actu continentur in specialibus principiis, hoc in principio transmutationis, illud in principiis constitutionis. 2. Talis exponendi modus habet locum in genere respectu speciei, adeoque per analogiam in generalibus modis respectu specialium. Sicut enim dicimus, animal vel est rationale vel irrationale, aut, animalium aliud rationale est, aliud irrationale; ita fit distributio in aliis, e. g. τὸ dependere ab aliquo vel effectivè, vel subjectivè; id quod ab aliquo dependet, vel dependet effectivè sive per effectionem, vel informativè sive per informationem; & : dependen-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786449799/phys_0090
DFG

dentia alia effectiva, alia subjectiva, &c. Similiter: esse ex principiis vel constitutivè, vel terminativè, &c. Id quod sic intellectum volumus, quòd unumquodq; pro suâ indole & pro suô modô in species vel speciales modos distribui se patiatur. Est enim alia aliorum ratio. Aliqua exquisitùs, aliqua exquisitissimè, aliqua minùs exquisitè ad has præceptiones examinari possunt. Hujusmodi autem modorum plena est Philosophia, & præ cæteris ejus pars princeps, quæ de Ente primisq; ejus differentiis & communissimis essendi modis pertractat. Habetque hæc res fundamentum suum in doctrinâ de suppositione.

§. 35. *Nonne hæc erant & verissimè dicta, & clarissimè exposita? Nonne ego phrasin cum phrasi confero, & vocem cum voce? Nonne sic ex meis colligendum erat? Sicut se habet* τὸ *dependere à causa ad* τὸ *dependere ab efficiente, ad dependere à materia, &c. Sicut se habet* τὸ *esse in causis ad* τὸ *esse in efficiente, ad* τὸ *esse in materia &c. ita* τὸ *esse ex principiis se habet ad* τὸ *esse ex materia, ad* τὸ *esse ex privatione, ad* τὸ *esse ex forma, &c. Similiter de nudis vocibus: Sicut habent se* τὸ in, τὸ à, τὸ extra, τὸ per, *&c. in propositionibus de conceptibus sive rationibus communibus, ut esse in causis, dependere à causa, &c. ita* τὸ Ex *se habet in conceptu communi principiorum, quando dicitur, ex principiis esse omnia, & sicut se habent* τὸ à, τὸ in, τὸ extra, τὸ per *in specialibus causarum rationibus, ut in his: esse in efficiente vel potestate efficientis, esse in materia vel in potentia materiæ, esse extra efficientem, extra materiam, esse ab efficiente, dependere à materia, dependere à forma, &c. ita quoq;* τὸ Ex *se habet in nostro negotio, esse ex materia, esse ex privatione, esse ex forma. Quid his clarius dici potest.*

§. 36. *Frustrà ergo est Autor, laborans meum invertere argumentum, cum ego nullibi argumentatus fuerim, sed ipse ex responsionibus meis varias argumentationes instituerit. Sed videamus argumentum*: Ut cancer se habet ad animal, ad sidus, & ad morbum, ita Ex se habet ad materiam, ad formam & ad privationem. Sed cancer æquivocè se habet. &c. *Er. Resp. 1. argumentum non est contra me; ego de tota phrasi laboravi, ut hactenus ad oculum monstravi; Autor verò concludit de voce* Ex. *2. Sed esto! acceptemus argumentum, & negemus Majorem propositionem. E enim (1) cancer est vox rei, vel rerum significativa;* Ex *verò nullam rem significat, sed habitudinem tantùm rei; nec enim* Ex *significat materiam formam, aut privationem, sicut cancer significat animal, morbum & sidus. (2.)*

propterea quòd vox cancri multa significat, illa, quæ significat, verè de eo dicuntur, in diversis, puta, materiis sive objectis; sic de sidere cogitans, verè dicit, cancer est sidus; de animali cogitans, verè dicit, cancer est animal; de morbo cogitans, rectè dicit, cancer est morbus. Non similis est ratio præpositionis Ex, *non ita Ex se habet ad materiam, formam & privationem; nec enim cogitando de materia, dicere possum, ex est materia, aut cogitando de forma, ex est forma, &c. (3.) Cancer reverà significat diversas entitates, non species aut speciales modos sub uno generali contentos; imò ea, quæ cancri vox, dum est ὁμώνυμον, significat, genere sunt diversa; vocula autem* Ex *in citatis exemplis non significat talia, quæ genere sint diversa; sed significat speciales habitudines principiorum in specie ad principiata in specie, sic: ex materia sunt omnia, quæ generantur; ex forma sunt omnia, quæ generantur; ex privatione sunt omnia, quæ generantur, non aliter, ac sicut in aliis fieri consuevit. Sic dicimus verè; ab efficiente dependet id, quod generatur; à materia dependet, quod generatur, &c. Ubi speciales habitudines præpositionis denotantur, in priori scilic. habitudo efficientis ad effectum prior dictum, in posteriori habitudo materiæ ad materiatum; quæ speciales habitudines continentur sub generali habitudine significatâ per præpositionem A in generali causa definitione, quâ dicitur esse id, à quo dependet causatum.*

§. 37. *Probatio Majoris nulla est. Etenim (1.) loquitur ea de speciali præpositionis accommodatione. Rectè dicit Autor & verè,* non unam dari vocis Ex rationem, cum Ex materia est corpus, cum ex privatione est generatio. *Rectissimè, inquam. Sed quomodo per hæc probatur Major? (2.) Pro rei explicatione dico, quòd nec sit una vocis ratio, cùm ex materia, & cũ ex forma dicitur esse corpus, quia τὸ* Ex *hîc speciales habitudines dicit. Nec ex sola privatione est generatio; sed ex materia privatione & forma est generatio. Sũt hîc plures speciales rationes; Multa autem speciales rationes nõ sunt una, nec constituunt unã generalem; nec multæ speciales rationes, per vocem aliquã in speciali applicatione exhibitæ, reddunt vocem æquivocam, sicut e. g. vox* In, *& vox extra per hoc non sunt æquivocæ, quòd nunc efficienti, nunc materiæ, nunc aliis causis attribuuntur. Sic antè concessit Autor τὸ esse in causis significare rem certam, quantum ad generalem notionem. Jam verò non una vocis* In *datur ratio, quando, in specie loquendo, effectus dicitur esse in efficiente, & quando dicitur esse in materia; in priori enim dicit habitudinem ad potentiam activam agentis, in posteriori habitudinem*

dinem ad potentiam passivam materiæ. Scilicet hæ sunt speciales rationes, præsupponentes generalem. De suis jam exclamet & vociferetur Autor, non de nostris.

§. 38. *Ita Autor de præpositione* Ex *statuere debuisset. Præterquàm quòd ea in propria sua significatione principiis primis internis, & inter ea propriissimè materiæ denotandæ accommodatur, alios hæc significandi modos habet. Etenim nunc idem significat, quòd* A, *& declarat efficientem, qua acceptio tùm apud Sacros, tùm apud prophanos occurrit Scriptores. De Sacris vid.* Pl. Rever. Dn. D. Salom. Glassii Gramm. Sacr. lib. 3. tr. 6. Can. 7. p. 504. *Sic dicitur:* ἐκ θεοῦ νίκη, ex (*h. e.* à) Deo victoria. *Sic* Terent. in Andr. act. 1. scen. 3. gravida est ex Pamphilo. *Nunc idem significat, quod* post, *de tempore completo; sic* Johan. 13, 4. surgit ἐκ τοῦ δείπνου, ex cœna, *h. e. post post cœnam. Sic* Cic. in Brut. Cotta ex Consulatu (*i. e. post consulatum*) profectus est in Galliam. *Nunc pro* τῷ secundùm *usurpata vocula* Ex *invenitur. Sic* Cicer. 1. de Finib. *dixit*, hunc statum corporis maximè expetit, qui est è natura maximè, *h. e secundùm naturam &c. Hæc, & alia talia, sunt voces* Ex *significatæ, respectu horum est æquivoca. Ut proinde h. m. argumentum informandum sit:* Ut se habet cancer ad animal, sidus & morbum, quæ significat, ita se habet ex ad A, ad *post*, ad *secundum* &c. quæ significat. Atqui cancer ad animal, ad sidus & ad morbum se habet æquivocè. Er. ita quoq; τὸ Ex se habet ad *A*, ad *post*, ad *secundùm*, & alia ejus significata. *Minimè verò dici potest*, τὸ Ex *ad principia æquivocè se habere, cum nullum principium, nullamq; causam significet, neq; usurpetur pro materia, nec pro forma, nec pro privatione. Ut proinde aliud sit, loqui* de varia vocis EX significatione, *eò, quòd jam, monstratum, modò; aliud* de varia vocis secundùm speciales modos sive habitudines applicatione. *Specialis alicujus vocis applicatio non reddit vocem æquivocam, (sicut præpositio* A, *sicut præpositiones* In *&* Extra *non redduntur æquivocæ per hoc, quòd causis tùm in genere, tùm in specie accommodantur) sed diversa habitudinis ratio (scilic. nunc generalis, nunc specialis, nunc hæc, nunc illa, nunc alia) per illam applicationem insinuatur.*

§. 39. *Hactenus exceptiones, quas Autor contra meam responsionem dedit, profligavi. Cum verò idem ad aliquos Interpretum Aristotelicorum provocârit, & exinde ambiguitatem vocula* Ex *probare voluerit, quin verba illa, in* Dissert. cap. 1. p. 31. *repetim huc transcriba-*

mus, nostramq; ad illa datam responsionem ab ejus exceptionibus vendicemus, intermittere haut possumus. Ita ille: Ambiguitatem termini Ex fatetur Toletus, qui communem opinionem esse ait, terminum illum respectu materiæ & formæ Constitutivè, respectu privationis Terminativè sumi. Ruvio verò, Complutenses, & Connimbricenses ab ambiguitate abhorrent, cùm absq; vitio ea in Definitione admitti nequeat, indeq; uno eodemq; modo vocabulum istud accipiendum putant. Eodem, inquiunt, modo, particula Ex accipienda est, ita videlicet ut significet habitudinem, vel partis componentis, vel termini à quo. Sed disjunctivam hanc duos dare modos, duplicemque inferre sensum, quis non videt? Ita nempè fit, cùm æquivoca sub unum trahere laboramus conceptum.

§. 40. *Ad hæc respondi* Disp. 5. th. 56. *quòd ad probationem Minoris nihil faciant, cum illa, quæ Toletus, quæ Connimbricenses & Complutenses aliiq; de τῷ* Ex *in medium protulerint, non concernant naturam principiorum in communi, sed attineant principia in specie. Et hanc responsionem l. d. declaravi aliis similibus exemplis. Addo iam, quod illa Autorum dd. explicatio detur per speciales modos, ita scil. quòd* Ex *respectu principiorum constitutivorum denotet habitudinem partis componentis, respectu principii transmutativi terminum à quo in generatione, quæ speciales habitudines non duplicem in definitione gignunt sensum, sed duplicis generis principia declarant eô modo, quô nuper in* § 34. *ex* Disp. 5. §. 57. *expositum fuit. Nec illi Autores, quantum ad rem, aliud dicunt, quàm quod Autor in* Dissert. c. 1. p. 11 *dixit,* definitionem principiorum in principiis debere fundari, & illis applicari. *Conf.* Disp. antec. §. 91.

§. 41. *Excipit Autor Dissertationis p. 32.* Vanum hoc est diverticulum. Unam significationem vocis Ex in definitione positæ non invenire poterat Toletus. Hinc candido animo fatebatur ambiguitatem. Antequam definitionis applicatio fiat ad contenta sub definito, nomina priùs explicanda sunt. Hîc hærebat Toletus, cum unam vocis Ex significationem capere non posset. Neq; Ruvio, quod promiserat, servare valebat. Autor forsan formabit nobis definitiones, quæ non applicandæ sint contentis sub definito.

§. 42. *Hæc Autoris exceptio plures nobis suppeditat responsiones. 1. Quid nobis cum Toleto, Connimbricensibus, aliisq; Autoribus?*

Et

Et quæ sequela est? Toletus non potuit invenire præcisam significationem vocis Ex *in definitione principiorum. Er. nulla talis ejus datur. Toletus non potuit rem capere. Er. res ita se non habet. Et quid, quæso, Toleti confessio veritati præjudicare potest? Toletus confessus fuit ambiguitatem vocis Ex. Er illa est ambigua. Scilicet! 2. Ruvio præstitit, quod præstandum erat. Ita is* in l. 1. Phys. c. 5. qu. un. p. 54. nu. 95. Nos cum Majori parte dicimus, semper sumi (*vocem* Ex) in eâdem significatione, alioqui si in diversis sumeretur, æquivocè ea uteretur Aristoteles in eadem definitione, quod magnum inconveniens est. Significatio verò quam habet, semper est communis ratio principii abstrahens à rationibus particularibus causæ, & solius principii, aut à ratione partium componentium, vel solius termini à quo. *3. Me quod concernit, tàm absurdus, tàm stolidus ego non sum, qui definitionem τοῦ* Ex *mihi imaginer, aut illam à quopiam postulem, cum id nec possibile, nec necessarium esse sciam. Rideret me Autor Dissertationis, si peterem definitionem præpositionis* In *in admissa & approbata ab ipso phrasi* esse in causis; *vid.* sup. §. 33. *Principiorum definitionem dare, illamq; ad contenta (i. e. ad materiam, privationem, formam) applicare possum, definitionem* EX, IN *aliarumq; similium acumini Autoris subjicio.*

§. 43. *Pergit Disputator l. d. p. 32.* Artificium abstractionis, quod observandum monet Autor, quid ad vocem Ex? Fiunt universalia per abstractionem ab intellectu. Abstrahitur animal ab homine, equo, leone. Abstrahitur mixtum à metallis, plantis, & animalibus, abstrahitur corpus à cœlo, elementis, & mixtis. Hæc autem ita se habent, ut definitio animalis cuivis animali in specie competat: ut definitio mixti, & metallis & animatis conveniat: ut definitio corporis omnibus sub definito contentis tribuatur. Des mihi significationem vocis Ex, & facias periculum, an competat definitio contentis sub definito.

§. 44. *Ast 1. novit Autor, tanquam suos ungues, mihi de tota phrasi sermonem esse, eamq; præcisè sumendam, à me statui, sicut allegata ex Disp. mea 5. testantur. 2. hujusmodi vocula, ut orationum particulæ, non omninò sunt exemptæ ab abstractione; in illis enim, in quibus adhibentur sermonibus, significare, vel potiùs consignificare, & ad complendum sensum conferre debent, eo, quò oratio posset, modò. Abstractio quidem primò & propriè est in conceptibus de objectis talibus, ubi voces rerum sunt significativæ, quæq; in propositione secundùm significatio-*

ficationes suas subjici aut prædicari possunt, quæ propterea in classibus prædicamentorum per suprà & infrà ponuntur & disponuntur; nihilominus tamen in aliis quoq; vocibus abstractio suo modo locum habet. Solummodò jam, quomodo se res habeat in definitionibus, spectemus. Nonne, cum definitio sit rei universalis, ea datur per talia, quæ significant generaliter & communiter? Nonne Autor, quando definit causam, quòd sit principium influens esse rei; vocem esse (sicut & reliquas) sumit communiter, uti præscindit e.g. ab esse hujus effectus, ab esse illius effectus, &c. nonne quando definit materiam in communi sua ratione, & uti, juxta ipsum, à simplici & composita præscindit, quòd sit causa interna, ex qua corpus naturale constituitur? nonne, inquam, hic præpositio Ex, ejusq; significatum, quodcunq; etiam & qualecunq; est, cum tota definitione abstractim & generaliter sumendum est, ut generalem habitudinem materiæ ad materiatum denotat; specialiter verò in subjectarum specierum, vel quasi specierum puta, in materiæ simplicis & compositæ, definitionibus, in quibus specialem habitudinẽ designat; singularem verò habitudinem dicit in individuis, quando e.g. Petrus dicitur constare ex hoc corpore organico & ex hac anima rationali. Similis est ratio in aliis talibus; A alio modo stat in generali hac propositione; omne causatum dependet à causa: Aliter in specialibus; effectus dependet ab efficiente; materiale dependet à materia, &c. aliter denig; in singularibus, ut Adam dependet à creatore suo; forma hujus canis dependet à genitore suo, scilicet effectivè, & à semine genitoris, ut materia sua, materialiter & subjectivè; &c. in prima generalis, in secunda specialis, in postrema hac singularis habitudo per præpositionem A denotatur. Similiter se res habet cum vocula Ex in definitione principiorum primorum, ubi præcisa ratio & habitudo innuitur. Denig; 3. ad ultima ante c. §. verba breviter dicendum, dari omninò significationem vocis Ex, sicut datur præpositionis A, præpositionis In, & aliarum, non tamen illarum particularum propriè datur definitio. Nec enim omnia, quæ habẽt suas significationes, habent quoque suas definitiones. Conf. §. 33. Definitio verò principiorum sub se contentis principiis, materiæ, formæ & privationi, competit, sicut superius expositum fuit.

§. 45. Sed salvares est. *Ipse Autor jam vocem* Ex *deserit, & ad totam phrasin se recepit.* Quid concipis, auditâ phrasi, ex aliquo fieri? Ex materiâ aliquid factum tibi imaginaris. Qui quærit, an Mundus ex aliquo factus; materiam intelligit. Qui dicit, vitrum

ex

ex aliquo factum esse, materiam dicit. Perpetuò primus noster conceptus de termino Ex, materiam involvit. Quod Autor ipse fatetur, dum ita scribit: Quamvis τὸ ex quo, etiam aliis principiis atque causis tribui soleat, tamen in genuinâ suâ proprietate & famosiori significatu materiæ πρώτως quin conveniat, nullum est dubium. Hinc argumentum: Quæcunq; phrasis in genuinâ suâ proprietate nec formæ competit, nec privationi, ab ea in generali principiorum definitione abstinendum erat. Sed phrasis, fieri ex aliquo in genuina sua proprietate nec formæ competit, nec privationi. Ergò ab ea in generali principiorum definitione abstinendum erat. Habes ita insolentiam vocis.

§. 46. *Ast 1. quid, quæso, opus est hac quæstione? Quæro similiter: quid concipis, quando concipis* dependere ab aliquo? *Ab aliquo fieri vel effici tibi imaginaris. Er. ille est primus conceptus de* πῶς *A, quô denotat causam efficientem. Non id facilè dixerim. Nonne dependere ab aliquo latiùs se extendit, quàm ad causam efficientem? Nonne dicitur aliquid dependere à materia, à forma, à fine? Negandum igitur,* τὸ ex aliquo fieri *strictim denotare materiam. Nonne ipse superiùs plures modos essendi ex aliquo ex* Arm. de Bel. Vis, *recensuit? Vid.* §. 12. *Nonne plures positi & expositi inveniuntur in* Plur. Rever. Dn. D. J. Martin. Part. Metaph. lib. 1. sect. 8. p. 336. *nonne plures à me consignatos vidit in* Theor. C. N. Disp. 5. §. 19. *Exempla ab Autore hîc allata specialia sunt. Subjecta enim materia monstrat, ibi vocem* ex *materiam denotare, cum quæstiones & propositiones illæ sint de materia. Aliter autem se res habet in aliis exemplis. 2. Distincta hæc sunt: primus de aliquo conceptus, & famosior vocis acceptio. Quamvis à me dictum sit,* Præpositionem Ex in genuina sua proprietate & famosiori significatu materiæ πρώτως *h. e.* primariò convenire, *non tamen à me dictum fuit id, quod Autor requirit, nimirum* perpetuò primum nostrum conceptum de πῶς EX materiam involvere. *Scilicet hoc dico:* (1.) *multi sunt speciales modi applicandi vocem* EX; *ita Autor* supr. §. 12. *ita alii.* (2.) *inter illos speciales maximè proprius est ille, quô materiæ designandæ accommodatur; adeoq;* (3.) Ex *in illa genuina sua proprietate, præ aliis specialibus accommodationibus omnibus, primariò materiæ convenit.* (4.) πρώτως, *dico, non, solùm sive unicè. Aliis igitur illam vocem quoq; suo modô accommodari innuo. Est*

hæc collectio: præpositio Ex *competit materiæ primariò, & quidem in famosiori sua significatione. Er. aliis non ita competit. Est q. notandum, quòd dictum:* præpositio primariò competit materiæ, *non:* præpositio primariò significat materiam. *Nullo modò enim materiam significat, sed ad materiam denotandam & describendam adhibetur.*

§. 47. *Ad argumentum §. 45. oppositum facilima est responsio. Neg. Mai. proposit. Argumentor similiter: Quæcunq; phrasis in genuina sua proprietate nec materiæ competit, nec formæ, nec fini, ab ea in generali causæ definitione abstinendum erat. Atqui phrasis hæc;* dependere ab aliquo; *in genuina sua proprietate nec materiæ, nec formæ, nec fini competit. Er. ab ea in generali definitione causæ abstinendum. Quomodo jam dependentia, vel* τὸ dependere à causa, *significabit rem unam certam, quæ applicetur diversis, sicut Autor* sup. p. 30. *statuit? Ponderemus alia similia.* τὸ esse in aliquo, & esse extra aliquod, *in genuina sua proprietate enti possibili & actuali non competunt. Er. ab illis phrasibus in definitione entis possibilis & entis actualis est abstinendum. Quomodo jam* τὸ esse in causis, & esse extra causas *notabunt rem unam certam, quæ diversificetur in specialibus, sicut Autor* supr. p. 30. *posuit? Alia mitto.*

§. 48. *Videt jam Dissertationis Autor, quomodo tota hæc res comparata sit. Quæstioni igitur ipsius* [quid concipis, auditâ phrasi, ex aliquo fieri] *respondeo; in genere concipio unum, non aliter ac sicut unum concipio, quando concipio dependere ab aliquo; item, influere in esse alicujus, esse in causis, esse extra causas; quibus omnibus generales conceptus repræsentantur, qui in quolibet istorum est unus; multi autem evadunt in specialibus accommodationibus, juxta alia & alia causarum genera, ut esse in causa efficiente, esse in causa materiali, &c. esse extra efficientem, esse extra materiam, &c. dependere effectivè à generante, subjectivè à materia, &c. influere in esse rei effectivè vel agendo, quod efficientis est influere; in esse rei subjectivè sive patiendo, quod materiæ est; informando, quod formæ est, &c. Hi speciales modi continentur sub illis generalibus; hîc omnes quatuor causæ de influxu, & omnia causata de dependentia, juxta communem utriusq; rationem, participant; quatenus verò diversæ sunt causæ, eatenus etiam diversum habent influxum, & diversarum causarum causata*

satu diversum habent dependentiæ modum, Autor in Dissert. p. 28. *Et in omnibus talibus, adeoq; & in nostra phrasi:* esse ex principiis: *primò notatur quid unum & certum, sive unus conceptus, qui applicetur diversis. Autor* ibid. p. 30. *Nulla igitur hîc insolentia vocum; aut si in una phrasi illam urgere quis velit, illam similiter in alia posse urgeri cogitet.*

§. 49. *Atq; sic hactenus pluribus, Autore Dissertationis occasionem præbente, phrasin* esse ex principiis, *evolutâ dedi; paucula quoq; de verbo* sunt, *eodem postulante, dicenda veniunt. Ita autem ille me petit.* Neque facilior est explicatio termini Sunt. Cum ex principiis esse dicuntur omnia, quæritur, ex privatione quomodo sint corpora naturalia? Respondet Autor, fieri esse quoddam esse, & etiam terminari ad esse, unde ab Aristotele τὸ esse ad τὸ fieri sæpè restringatur, ac per illud reddatur & explicetur. Sed quod vult impugnare Autor, id propugnat: quod vult propugnare, id impugnat. Argumentor: Ubicunque idem datur nomen, sed non eadem nominis ratio & significatio, ibi datur Homonymum. Atqui hîc datur idem nomen, sed non eadem nominis ratio & significatio. Ergò hîc datur Homonymum. Major in Definitione Homonymorum fundatur, Minor concessa est, quia τὸ sunt notat 1. sunt 2. fiunt.

§. 50. *At 1. quæstio non rectè formatur. Non siquidem, quando de tribus principiis est disputatio, quæstio est de corporibus ut corpora sunt, ut sic Disputator ignoret statum controversiæ, & illorum, quibus se opponit, mentem nondum assecutus sit. Non siquidem privatio Aristoteli principium corporis naturalis statuitur, sed principium rerum, quæ generantur. Hanc remex* Theor. C. N. Disp. 5. & 6. *perspexit. In* Disp. 5. §. 51. *resp. ad objectionem aliquam,* non esse necesse, ut omnia composita physica sint ex illis tribus principiis, cum Aristoteles ea introducat ut generationis principia. Quæ igitur res non generantur, nec corrumpuntur actu, illa tria principia sibi non adscribunt, &c. *Confer illa, quæ* Disp. antec. §. 2. sqq. *de subjecto quæstionis dicta fuêre.*

§. 51. *Quantum 2. ad responsionem, illam ad quæstionem, ex Aristotelicis fontibus derivatam, &* §. antec. *explicatam, rectè dari, patet ex* Disp. antec. §. 77. *Et quid, quæso, in responsione, conspectò*

& probè ponderatô hoc argumentô, desiderabitur? Ex quibus res naturales fiunt sive generantur, ex illis res naturales sunt sive esse habent. At qui ex principiis physicis (ex materia, privatione & forma) res naturales fiunt sive generantur. Er. ex illis res naturales sunt sive esse habent. Vel, in specie de privatione sic: Quidquid fit ex privatione, illud est ex privatione. Res naturales, quæ generantur, fiunt ex privatione. Er. res naturales, quæ generantur, sunt ex privatione. Major fundatur in nostra responsione, quia fieri est quoddam esse, (non enim est non esse) & terminatur ad esse, (quidquid enim fit, per tò fieri accipie esse) Minor Disput. seq. ex Autore probabitur. Conf. Theor. C.N. Disp. 5. §. 14.

§. 52. In Syllogismo Autoris prolato neg. Minor, de qua falsò dicit Autor, quòd à me concessa sit. Ubi ego dixi, quòd tò sunt notet 1. sunt, 2. fiunt? Nullibi dixi. Aliter ipse modò recensuit. Ita nimirum respondi, fieri esse quoddam esse, & comprehendi sub esse, cum non sit non esse. Quis jam non videt, esse distinctissima, dicere 1. fieri est quoddam esse, quod ego dico; & dicere 2. fieri notat sive significat esse, quod Autor dicit. Ego intendo, tò elle juxta generaliorem suam acceptionem habere se ad fieri ut magis commune ad minùs commune, & esse quandoq; restringi ad tò fieri Vid. d. Disp. 5. §. 14. Quæ jam consequentia? esse restringitur ad fieri. Er. vox esse est æquivoca. Influere restringitur ad agere, ad informare. Er. influere est vox æquivoca.

§. 53. Ut omninò hîc abstractione opus sit, secùs ac Autor putat, quando scribit: Profectò artificiô opus est, ubi abstrahere vis communem rationem ab æquivocis. Sicut à cancro ratione animalis, sideris, & morbi; sicut à jure culinari ac forensi, communem rationem abstrahis; ita etiam à termino sunt, in ordine ad fieri & esse. Et mox: Ens verò & alia transcendentia qui huc trahit, cœlum terræ, & mare cœlo miscet. Perpetuò certa ibi datur ratio, datur significatio. At hîc nunc hoc, nunc istud infertur, ut non possint participare de eadem nominis ratione contenta sub definito.

§. 54. Sed Autor fovet falsam hypothesin, & pro concesso sumit probandum. Nondum is probavit, nec unquam probare poterit, vocem esse, vel sunt hîc esse ambiguam, sive ambiguè stare. Unam rem cer-

tam

tam denotat, unum conceptum generalem gignit, qui applicetur diversis, ut iterum cum Autore loquar. Applicatur enim illis, quæ ex materia & forma constant, & illis, quæ ex materia, privatione & forma fiunt sive generantur. Spectemus applicationem in his propositionibus: quidquid constituitur ex aliquibus, illud est ex illis; quidquid fit sive generatur ex aliquibus, illud est ex illis. *Utrumq; enim istud sub* τὸ esse ex aliquibus, *ut generale sub speciale, comprehenditur.*

§ 55. *Ast! explicationem nostrã aut non capit, aut dissimulat, eã pervertere studens, dum ait:* sicut à cancro ratione animalis, sideris & morbi communem rationem abstrahis, ita etiam à termino sunt in ordine ad fieri & esse. *Quis unquàm hoc voluit? quis unquam ita locutus fuit,* τὸ sunt abstrahi à fieri & esse? *Quis nostrûm tàm absurdus, ut idem à seipso, ut esse ab esse abstrahendum esse dicat?* Τὸ sunt *non abstrahitur ab* esse, *sed à* constitui & fieri, *vel, potiùs, ut in totâ phrasi subsistamus,* τὸ esse ex principiis *præscindit à* τὸ esse ex principiis per essentialem constitutionem & per naturalem generationem, *non aliter, ac sicut dependere à causis præscindit à dependere effectivè & dependere subjectivè, &c. & sicut influere in esse causati præscindit à causalitate efficientis, quæ est actio, & à causalitate materiæ, quæ est passio, & à causalitate formæ, quæ est informatio, &c. Et sicut jam omnes speciales modi influendi & dependendi participant de eâdem natura definiti, scilic. causæ, adeoq; de ratione significata per* τὸ *influere in esse, per* τὸ *dependere ab aliquo; ita uterq; iste specialis modus essendi ex principiis, h. e. tàm ille, qui datur per essentialem constitutionem, quàm ille, qui datur per naturalem generationem, participat de eâdem natura definiti, scilicet* principiorum, *& de ratione significatâ per* τὸ esse ex principiis.

§. 56. *Hîc P. Hurtadus de Mendoza me iuvat & confirmat in verbi* Sunt *expositione. Ille in* Disput. Phys. 1. sect. 2. §. 6. p. 218. *dubio de productione formæ & materiæ, quod sibi objecerat, removendo applicat hoc aureolum:* Verbum sunt sumitur abstractè & accommodè ad entitatem, quæ fit, quod necessariò in diversâ significatione sumitur, quando entibus applicatur diversis. Igitur applicatum principiato, sumitur pro effectione completa, applicatum verò principiis, pro incompleta. *Similiter nos dicere possumus: Verbum* sunt *sumitur abstractè, & accommodè ad entita-*

tem, quæ est, vel fit. *Quod si applicetur rei genitæ, sive quæ gignitur, per fieri vel factum esse explicatur; si verò applicetur rei ingenitæ, cujusmodi sunt cœlestia, per constare vel constitui redditur; qui sunt duo illi speciales modi essendi ex principiis*, antec. §. 53. 54. 55. 56. *expositi.*

§. 57. *Id quod in aliis similibus similiter evenit. Sic (Jesuita verba retinebo) verbum* dependere *in phrasi* dependere ab aliquo, *simitur abstractè & accommodè ad principium, à quo fit dependentia. Ubi necessariò in diversa significatione sumitur, quando causis & causatis applicatur diversis. Sic applicatum efficienti, significat dependentiam effectivam, applicatum materiæ, significat dependentiam materialem & subjectivam, applicatum formæ, significat dependentiam formalem, applicatum fini, significat dependentiam finalem; ita Autor in* Defens. l. 2. c. 4. p. 226. *Scilicet (ut iterum Autoris verba nostra faciamus)* in genere notatur res certa, quæ applicatur diversis.

§. 58. *Nec aliter se habet, aut aliud dicit responsio Conimbricensium, (de quâ etiam* sup. §. 40. *aliquid monuimus) si intimiùs ea perspiciatur, & rectè ponderetur. Ita illi in* 1 Phys. c. 5. q. 1. art. 4. col. 156. Dicendum est igitur cum Ægidio, aliisq; nonnullis, particulam EX semper eodem modò accipiendam esse, ita videlicet, ut significet habitudinem vel partis componentis, vel terminum à quo, *(scilicet quantum ad specialem applicationem)* utrumq; enim complectitur *(N. B.* complectitur *)* verbum illud, sunt, cum principia dicuntur, ex quibus sunt omnia, id est, constant aut fiunt *(in specie loquendo:)* nulla tamen principia, sive contraria sint, sive non, modò abstractè sumantur, *(N. B.)* quomodo hîc ab Aristotele accipiuntur, ut D. Thomas annotavit, ex aliis fieri dicenda sunt, &c. *Scilicet Doctores Conimbricenses duos illos speciales modos sub principiis abstractim sumtis, adeoq; sub communi principiorum natura comprehensos volunt. Simili modò hanc rem exponit* Anton. Ruv. in 1. Phys. c. 5. q. un. p. 94. nu. 95. *qui conferatur.*

§. 59. *Atq; sic tandem, cum hæc omnia quàm diligentissimè à nobis sint evoluta, & clarissimè explicata, constare arbitror, omnem ambiguitatem ab Aristotelica principiorum definitione exulare, ejusq; sensum clarum, purum, & limpidum fluere, ut non nisi præconceptis oc-*

cu-

cupatus opinionibus ambiguitates sibi imaginetur, illasque definitioni affingere laboret. Nullus quoq; dubito, in die esse, dubia contra definitionem principiorum, vel ab Autore, vel ab aliis in medium allata, ex intimis definitionis recessibus dissoluta à nobis & dispulsa esse, ut frustrà Autor in p. 35. nos falli opinione istà nostrà, scribat.

§. 60. Et quî Autor hîc exagitat hanc phrasin, quam alibi ipse observat & adhibet. In Tr. de Or. for. p. 64. ait: principium est, principia non esse ex se invicem. Ubi certè præpositio Ex non materiam denotat, nec verbum esse specialem rationem significat, quâ aliquid dicitur constare ex aliquo, aut fieri ex aliquo, sed utriusq; præcisa & generalis ratio innuitur, in principiis generaliter & præcisè æstimatis, ut ea ab illis removeatur, quantum ad esse eorum, in illis autem ponatur, quantum ad esse aliorum; nimirum principiorum ratio est, ipsa non esse ex se invicem, nec esse ex aliis, sed ex ipsis esse omnia, quæ in naturæ theatro sunt aut fiunt.

§. 61. Frustrà est Autor, omnem difficultatis causam in privationis principium devolvens. Satiùs est longè, inquit, privationem, quæ plurima peperit dubia, abjicere, & simpliciter principia constitutiva definire, quod & nos fecimus, brevi hac & perspicua descriptione: causæ internæ (seu principia constitutiva) sunt, quæ corporis naturalis essentiam ingrediuntur. Contrà 1. non sola privatio, sed reliqua quoq; principia peperernnt dubia. Maximè forma è potentia materiæ eductio visa fuit adversari principiorum definitioni. Et ipse Autor inde argumentum petiit in Tr. de Or. for. p. 64. 2. non est abjicienda & è numero principiorum primorũ excludenda privatio, cum sine ea nulla sit generatio, ut Disp. seq. ex Autore probabitur. Quin imò si ob dubia, quæ ex definitionibus enasci solent, ipsæ res essent abjiciendæ, plurimæ essent abjiciendæ; cum pauciſſimæ, imo ferè nullæ definitiones sint, circa quas non moveantur, aut moveri possint dubia.

§. 62. Nec obstat hîc peculiaris & ferè diminuta principiandi ratio in privatione, quâ moveri Autorem video. Resp. Nec obstat peculiaris & ferè diminuta causalitas finis, quæ est motio metaphorica, quo minùs ille causis annumeretur, & cum aliis causis in communi causæ natura conveniat, adeoq; sub generali ratione, quam importat τὸ influere in esse causati, vel τὸ ab ipsa dependere, contineatur. Nec obsta-

re

repotest generatio aut transmutatio. Qui enim non comprehendentur sub principiis & communi eorum definitione, principia constitutionis & substantialis transmutationis, cum sub causæ & definitione causa comprehendi videamus causas propriè moventes & impropriè moventes, quô modô finis movet? Scilicet specialis causalitatis ratio non præjudicat generali causæ notioni, in qua omnes causæ conveniunt, quæ specialibus posteà rationibus discriminantur. Diversæ enim causæ diversam habent influendi rationem, aliam efficiens, aliam finis, &c. Autor sup. p. 29. Sic & diversa principia diversam habent principiandi rationem, aliam materia, aliam privatio, aliam forma, &c. Confer. Theor. C. N. Disp. 5. th. 50.

§. 63. Tandem ipse etiam ego principia constitutionis in Generali Physicæ parte considerandæ & definiendæ censeo, sicut Autor ex Disp. 6. §. 1. perspexit. Imò eôdem, quô Autor, locô de illis tractationem instituo, & eô, quô is poscit, modô definio. Antequam autem principia constitutionis considerarentur, priùs definienda erant principia in genere, sive in generali sua natura, & talis eorum definitio tradenda, quæ principia constitutionis pariter & transmutationis eô, quo par est, modô complecteretur. Et optimè principia constitutionis & transmutationis ad unam communem naturam rediguntur, in qua conveniant, quam participent, sicut quatuor causæ conveniunt in una communi natura, & participant definitionem causæ in genere. Definienda igitur primò principia prima, uti à principiis constitutionis & transmutionis præscindunt, cum tractatio generalis præcedat specialem.

Tantum.

BONO CUM DEO

DISPUTATIO III.

DE PRINCIPIORUM PHYSICORUM DIVISIONE & NUMERO.

Definitione Aristotelicâ ab insultibus cujusdam Philosophi vendicatâ, eorum divisio considerandâ nobis, & argumenta, quibus ille eam olim impugnavit, recolenda, responsionesq; ad illa in Theor.C.N. Disp. 6. *data ab ipsius exceptionibus liberandæ & salvandæ veniunt.*

§. 2. *Initiò autem ponit talem Conclusionem*: vitiosa est divisio principiorum in constitutionis & transmutationis, seu in materiam & formam. *Pro ea probanda affert sequentia argumenta, tùm in* Just.Phys. l.1.c.1.q.2.p.34. *tum in* Disert.de princ.ca. 2.p.36. Quæcunq; divisio omni caret fundamento, ea nulla est. Principiorum divisio omni caret fundamento. Ergò principiorum divisio nulla est. Minor probatur, quia fundamentum hujus divisionis putatur esse generatio, quæ tamen verè nullum huic præbet fulcrum. Nam 1. Quicquid non omnibus competit corporibus naturalibus, illius principia ad Partem Generalem Physicæ non spectant. Generatio non omnibus competit corporibus naturalibus. Ergò generationis principia ad partem generalem Physicæ non spectant. Major constat, quia generalia ad generalem, specialia ad specialem partem spectant. Minor probatur, quia Sol non generatur, nec Luna, nec aliæ stellæ, nec cœlum. Verè ergò vanum diverticulum est, ad generationis principia cum confugiunt. De corporis naturalis, & non de generationis principiis hîc disputandum. 2. Quicquid in nulla generatione datur, id generationis principium non est. Privatio in nullâ generatione datur. Ergò privatio generationis principium non est. Major clara est. Minor probatur, quia formarum origo non est Inductio, non Eductio, sed Traductio.

§. 3. *Ad Minorem primi & principalis syllogismi, respondi* in Theor.C.N. Disp.6. th.28. *eam inficiando. Ad probationem dixi, Minorem sic non probari, sed novam thesin constitui. Hæc fuêre verba responsionis:* Hæc propositio erat probanda: Ergo generatio non præbet fundamentum dividendi principia in generationis &

mpositionis principia. Syllogismus igitur conficiendus hic: Quicquid non non omnibus competit corporibus naturalibus, ex eo non potest desumi fundamentum dividendi principia rerumnaturalium. Atqui generatio non omnibus competit corporibus naturalibus. Er. ex eâ non potest sumi fundamentum dividendi principia rerum naturalium. NuncResp.adMajorem, eam negando. Contrariô modô se res habet, nimirum ideò quia generatio & transmutatio non omnibus competût rebus naturalibus, compositio autem omnibus rebus naturalibus competit, principiorum quædam esse generationis, quæ non omnibus corporibus, sed solùm generabilibus & transmutabilibus conveniant, quædam verò compositionis sive constitutionis, quæ omnibus competant compositis, consequitur. Ut proinde liquidum sit, aliam rationem principia ista habere ad generationem, in quantum quidem generatio, & aliam rationem habere ad compositionem, in quantum est compositio. Sic v. g. materia & forma non sunt principia generationis aut transmntationis in cœlo, sunt autem principia compositionis & constitutionis in eo, in corporibus autem inferioribus, quæ perpetuis transmutationibus sunt subjecta, materia & forma & generationis & corruptionis principia sunt, adscitô tertiô transmutationis principio, *specialiter ita dicto, quod est privatione.*

§. 4. *Excipit Autor* (*excipit, inquam, non solvit; respondentis enim propriè est solvere argumenta opposita, opponentis autem contra solutionem excipere*) *quòd ipsi faciam injuriam, cum ea, quam ipsi adscribo, non sit ejus probatio, sed hæc his verbis contenta:* quia fundamentum divisionis putatur esse generatio, quæ tamen verè nullum huic præbet fulcrum.

§. 5. *Verùm nullam me ipsi injuriam feciſſe, aut facere voluisse, manifestum facio. Equidem verba illa Autoris* §. antec. *apposita oculos meos non fugêre; sed legens ea arbitratus fui, rationem verbis illis ab Autore datam, inclusam fuisse syllogismo statim subjuncto, & §. 2. adscripto. Fuiq; ad id cogitandum inductus & permotus conjunctione ratiocinativâ,* Nam, *quam Autor ibi adhibuit, & inter verba probationem continentia & syllogismum statim sequentem posuit, h.m.* quia fundamentum divisionis putatur esse generatio, quæ tamen verè nullum huic præbet fulcrum. Nam (N.B. Nam) 1. quidquid non

omnibus

omnibus competit corporibus naturalibus, illius principia ad partem generalem non spectant. Generatio &c. Et &c. *Ita in* Instit. Phys. p. 74. *& in* Dissert. p. 36. *Quis, quæso, hic aliter potest cogitare, quàm syllogismum istum debuisse id, quod pro Minore primi syllogismi allatum erat, exponere, atq; probationem syllogismô inclusam nobis exhibere? Et adhuc aliter sentire non possum, quàm conjunctionem* Nam *indicâsse probationem eorum, quæ dicta erant.*

§. 6. *Et quî fecerim ego ipsi injuriam, cum* 1. *ipsissimam ipsius conclusionem expresserim, quæ est hæc:* generatio non præbet fundamẽtum dividendi principia in generationis & compositionis principia; *quæ omninò probatione opus habebat; & 2. eam, quam particula ratiocinativa* Nam *adjuncta monstrabat, argumentationem assumserim, &, an ad id, quod probandum erat, rectè accommodata sit, consideraverim? Abstinere igitur Autor à particula illa debuisset, ut constitisse, alius novæ theseos probationem jam sequi. Et si, ut hodiè fatetur, eam conclusionem non probavit, ejus probatio adhuc humeris ipsius incumbit*

§. 7. *Sed alio modô jam probationem suam instituit Autor,* in Dissert. c. 2. p. 43. *argumentum ita informans:* Quidquid unam & solam generationem pro fundamento habere creditur, nec tamen fundatur in ea, illud omni caret fundamento. Divisio principiorum unam & solam generationem pro fundamento habere creditur, nec tamen fundatur in eâ. Ergò divisio principiorum omni caret fundamento.

§. 8. *Verùm hæc non est probatio illa, quam priùs in Institutionibus habuit. Quis enim non videt, esse destinctissima, dicere,* generationem esse fundamentum divisionis principiorum, *quod priùs dixerat, & dicere,* unam solamq; generationem esse fundamentum illius divisionis, *quod in Dissertatione ponit? Sicut enim generationẽ præbere fundamentum divisioni illi asserimus, ut propterea Minorem syllogismi primi cum probatione rejiciamus, ita unam & solam eam præbere divisioni illi fundamentum, strenuè negamus, adeoq; similiter Minorem hujus syllogismi repudiamus. Generatio siquidem & compositio sive constitutio rerum naturalium fundamentum principia ita dividendi præbent, uti in Responsione §. 3. exposui.*

§. 9. *Sed liceat mihi, antequàm ad reliquorum objectorum solutionem progrediar, habitu paululùm immutatô, id agere, ut fundamentum nostræ divisionis ex ipsius Autoris, eorumq; quos ipse veneratur &*

sequitur, scriptis ostendam. Initiò Dn. Sennerti p.m. libros physicos adeamus. Is non solùm in Epit. Nat. Scient. l. 1. c. 3. p. 33. *principia in transmutationis & constitutionis cum Aristotelicorum Schola dividit, eôdemq; quô illi, modo explicat; verùm quoq; in aureo illo, quem nobis reliquit,* Tract. de Cons. Diss. Chim. cum Arist. & Galen. c. 7. p. 72. *omnium trium generationis principiorum mentionem injicit, & unâ fideliâ, quod dicitur, tres parietes dealbat. Introducit autem illa partim ut principia generationis, partim ut constitutionis.* I. Materiam primam, *ut subjectum generationis introducit, ejusq; existentiam probat à generatione* 1. *sic:* generatio & corruptio, rerumq; naturalium transmutatio negari non potest. Er. nec materia prima negari poterit. 2. *sic:* quidquid fit, fit vel ex nihilo simpliciter, vel ex aliquo. Prius hîc locum habere non potest; id enim est creationis, non generationis. Er. fit ex aliquo. Illud autem non est aliud, quàm materia. *Deniq; 3. corrigit illos qui materiam primam negant, jubetq; illos* cogitare, quòd aliud sit generari, aliud creari; aliud corrumpi, aliud annihilari. Illa fiunt ex aliquo, & in aliquod; hæc ex nihilo, & in nihilum. Et propterea cùm ex alio aliud fit, & forma aboleatur, esse aliquid, quod sit ejus mutationis subjectū, *concludit. Et deniq; 4. definit* materiam primam subjectum primum transmutationis, nullam ex se habens formam; omnes tamen recipere apta nata, &c. *Et sic materiam generationis exposuit.*

§. 10. II. *Eandem materiam cum* forma *decernit principia constitutionis, his verbis l. d.* cum sola forma, etiam in clementis, totam rei essentiam non compleat, nec, utres sit quanta, à forma habeat; necesse est, aliquid adhuc in rebus materialibus (*materiata, ut mox se explicat, sive composita intelligit, ut elementa, mixta &c.*) quod cum forma totum constituit, formamq; sustinet. Quod quid aliud possit esse in elementis, quàm materia prima, non video. Et cùm omnia corpora naturalia materiata dicantur: necesse est, ut communem materiam participent. *Et his principia constitutionis explicuit.*

§. 11. III. Privationem *quoq; quæ speciali ratione principium transmutationis appellatur,* (*vid.* Theor. C. N. Disp. 6. §. 9. & 10.) Dn. Sennertus l. d. *principiis illis, in quantum quidem principia generationis sunt, annumeravit, & materiæ primæ associavit, scribens:* Er. adhuc aliquid præter formam est, (*intellige, in generatione*) materia nimirum, quæ habet privationem rei, quæ gignitur, & tàm formā,

quam

quam jam actu possidet, quàm illam, quæ, priori abolitâ, introducitur, recipere apta nata est. *Idem privationis principium* Dn. Sennertus p. m. in Epit. N. S. cap. d. per tot. *principiis primis physicis annumeravit.*

§. 12. *Idem elucescit deinde ex seq. discursu. Autor Dissertationis cum suis concedit materiam generationis, terminum ad quem generationis, & ejusd. terminum à quo. Er. concedit principia generationis. Antecedens probo.* (1.) *Faciunt illi discrimen inter* materiam transeuntem & immanentem. Transeuntem *dicunt eam*, quæ non manet in re effecta, sed mutatur, & formâ unâ abjectâ, accipit aliam, quam antè non habuit, &c. *Et hanc materiam vocant* materiam generationis, & principium transmutationis; *Ita* Cl. Dn. Scharff. in Man. Phys. par. gen. l. 1. c. 2. p. 16. Cl. Dn. Sperl. Tract. de Mor. tot. subst. p. 132. & Tr. de Or. for. p. 312. *Materia autem hoc transiens in substantia, præcisis formis, quæ omnes ei accidunt, non est alia, quàm materia prima, communis illa omnium à* Dn. Sennert. in d. Tract. c. 7. p. 72. *salutata, & à* Cl. Dn. Sperling. in Tr. de O. F. p. 312. *indigitata materia, sub certis existens dispositionibus pro forma una abjicienda, & alia assumenda. Unde etiam Dn. Sennertus, ut §. 9. ex ipso audivimus, materiam primam primum transmutationis subjectum definivit. Ita quoq;* Cl. Dn. Scharffius P. R. Par. gen. l. 1. c. 2. p. 81. hoc tamen certum est, *inquit*, quòd materia prima omnibus (N.B. omnibus) substernitur generationibus, &c. & p. 82. lin. ult. substernitur enim mutationibus tanquàm subjectum.

§. 13. (2.) *Concedunt* terminum ad quem *generationis, qui est forma, & circa eam esse mutationem Physicam, ad eamq; dirigi & terminari generationem, statuunt;* Dn Sennert. p. m. Ep. N. S. l. 1. c. 3. p. 55. Cl. Dn. Scharff. P. R. par. spec. l. 2. c. 4. ax. 3. p. 653. Cl. Dn. Sperl. Inst. Phys. l. 6. c. 2. ad præc. 3. p. 992. & *in* Tr. de Or. for. p. 102. Defens. pro Dn. Senner. l. 1. c. 7. p. 142. *Porrò* (3.) *cum statuant* terminum ad quem *generationis, admittant quoq;* terminum à quo generationis physicum, *necessum est, cum terminus ad quem præsupponat terminũ à quo, & mutatio physica* (*cujusmodi quoq; singulis illis Autoribus concedentibus, est generatio*) *est progressio à termino à quo ad terminum ad quem. Terminus autem à quo in generatione non potest esse alius, quàm non esse, sive privatio formæ in materia ejus capace; ita* Dn. Sennertus p. m. Tr. sup. d. c. 7. p. 72. (*vid. §. antec. 9 & in* Ep. N. S. l. & c. d. p. 49. ubi privationem *expressè vocat* terminum à quo generationis.

§. 14. *Notet. quòd dixerim*, terminum à quo generationis physicum. *Debet enim (1.) terminus à quo proportionari termino ad quem. Quapropter cum concedant illi Authores terminum ad quem Physicum, formam, puta, physicè introductam, vel introducendam, concedent quoq; terminum à quo physicum, sive physicè isti respondentẽ, qui est formæ privatio. Imò (2.) debet quoq; terminus à quo proportionari mutationi physicæ, cujusmodi est generatio. Hæc non admittit terminum à quo purè negativum, utpotè qui tantùm in creatione locum invenit, sed privativum. Et in eo tàm Theologi quam Philosophi generationis & creationis discrimẽ ponunt. Ita* Cl. Dn. Scharff. P.R. par. spec. l. 1. c. 1. p. 340. *Imò (3.) denique debet terminus à quo generationis proportionari materiæ ut subjecto generationis, quæ non sustinet puram negationem formæ, sed ejus privationem, h. e. caret sive destituitur formâ generandâ, eam autem, per generationis actum introductam, recipere potest. Hæc omnia egregiè complexus est D. Sennertus in illis, quæ §. 9. ex ipso in medium attuli.*

§. 15. *Hunc generationis terminum à quo cum aliis quoq; agnoscit & statuit* Cl. Dn. Sperling in Tr. de O.F. p. 93. *ubi (1.) allegat & sua facit verba D. Sennerti ex* Epit. N. S. l. 1. c. 3. p. 59. *sequentia*: unde forma, quæ jam actu est in materia, & anteà non fuit, habeat suam essentiam? *his verbis Dn. Sennertus notat* privationem *superiùs* p. 49. *definitam, quòd sit* absentia formæ in materia, potentiam ad eam recipiendam obtinente. *Quam ipsam rem (2.) eôdem modô nobis proponit* Tract. d. p. 105. *quando ad quæstionem*, quænam sit caussa efficiens proxima animæ, *respondet*; annon illa, quæ potentiam actuat, & animam actu adesse, quæ anteà actu aberat, facit? *Hic habemus tertium nostrum principium*, privationem; *invenimus enim hîc ejus definitionem, eandem, quam nuper ex Dn. Sennerti Ep. Phys. protulimus, quâ dicitur esse absentia formæ in materia, potentiam habente ad eam recipiendam. Quod enim jam actu abest in materia, posteà autem generatione in eam id introducendum, ad recipiendum, materia nativam habeat potentiam, oportet. Accedit (3.) quod* Cl. Dn. Sperling l. d. p. 240. & 315. *citat & sua facit Cl. Dn. Dannenhaueri verba, ex ipsius* Psychol. Dis. 6. theor. 4. p. 193. *ubi sic*: semen duplicẽ habet potentiam: vel ad actum primum, quatenus adhuc est intra vasa spermatica, & sic est ille non homo, (*N. B.* non homo) ex quo generatur homo. *Ille non homo ibi notat nostram privationem. Non siquidem ibi notatur negatio simplex, vel omnimoda hominis*

minis negotio, cujusmodi ante creationem fuit, sed negatio sive non ens secundùm quid, h. e. carentia formæ humanæ in materia, h. e. in semine humano, ad quam tamen recipiendam ipsum habet potentiam.

§. 16. *Ast age! privationem ita ostensam, generationis sive mutationis substantialis principium esse, ex Autoribus istis liquidum faciam.* De B. Sennerto res aperta est, non solùm ex locis sup. cit. verùm ex Ejusd. Tr. de C. D. c. 9. p. 143. *ubi* lin. ult. *ait:* per ea (*principia Chimica*) elementa ac principia Aristotelica nullo modò rejicienda sunt, suus locus materiæ, formæ & privationi dandus. *Ita* D. Pelshofer p. m. in Not. ad Tyrocin. Chimic. Beguinil. 1. c. 2. p. 36. 37. *Ita Beguinus ipse; ita alii plures. Sed ex Cl. Dn. Sperlingio quoq; id liquidum faciamus. Definit is* terminum à quo motus, quòd sit principium; à quo incipit mōtus, Instit. Phys. l. 1. c. 7. q. 2. p. 417. *Quæ definitio habet locum in omnibus mutationibus physicis. Quin imò motus in specie, e. g. motus localis id habet ex communi natura motus sive mutationis, siquidem omnis mutatio physica est ab uno termino ad alium progressio, id quod per inductionem patet. Igitur* terminus à quo mutationum physicarum est principium, à quo illæ incipiunt. *Jam subsumamus: Atqui generatio est mutatio physica. Er. in ea terminus à quo est principium, unde ipsa incipit. Minorem Vir Clariss. negare non potest ut pote quæ in ipsius scriptis passim invenitur. Et hoc Clariss. Dn. Sperlingii documentū ex asse concordat cum illis, quæ* Dn. Sennertus p. m. in Ep. Nat. Sc. l. 1. c. 3. p. 33. *proposita reliquit. Illa autem quanta quanta sunt, Aristotelica sunt; Ut proinde Sperlingiana illa non possint non quoq; Aristotelica esse. Totum hoc negotium perspicitur ex* Trad. non Trad. sect. 1. totā.

§. 17. *Atq; hoc modò fundamentum divisionis nostræ patere arbitror. Et quid, quæso, facilius collectu est, ac est hoc: Datur in natura substantialis transmutatio. Er. dantur naturalis transmutationis principia. Datur in natura generatio substantialis. Er. dantur substantialis generationis principia, illam ingredientia. Item: locum habet in natura & rebus naturalibus compositio & substantialis constitutio. Er. dantur principia essentialiter eam ingredientia. Hoc modò hanc rem attigit, & expressit* B. Dn. Sennert. in cit. Tr. de C. D. c. 7. p. 72. *in quo acquiesco. Atq; sic procul omni dubiò constabit ingenuis & ab omnibus præconceptis opinionibus liberis ingeniis, propositionem Minorem primi & principalis syllogismi omni carere probationis fundamento.*

§. 18. *Nunc ad Autorem Dissertationis revertor, & quomodo re spon-*

responsionem meam sup. §. 3. ex Disp. 6, *repetitam, corruperit, manifestum facio. Ita autem ille* in Dissertat. p. 44. 45. Notandum, quomodo Majorem suam diluat. Invertere eam conatur hoc pacto: E quocunque desumitur fundamentum dividendi, id non debet omnibus corporibus naturalibus competere. Indicatur hæc Major per verba: *Contrario modo se res habet.* Subsumo: Atqui è constitutione & compositione corporum desumitur fundamentum dividendi. Patet: quia sicut è generatione, ita & è constitutione. Concludo: Ergò compositio non debet omnibus corporibus naturalibus competere. Inquit, unum quidem debere, sed non alterum. Detur ratio, cur unum & non alterum? Inversio Majoris contrarium infert.

§. 19. *Resp.* (1.) *Minimè mea est major illa; Sed eam ex verbis Autoris prognatam esse, eruditus lector fatebitur 2. Minimè est mea illa argumenti inversio, (quæ nequidem est inversio;) nec eam indicant verba mea:* contrariô modô se res habet &c. *Sed hoc illa verba indicant; posse ex aliquo, quod non omnibus corporibus naturalibus competit, fundamentum desumi, cum alio principia rerum naturalium dividendi. Ita enim respondi.* Contrariô modô se res habet, nimirùm ideò, quia generatio & transmutatio non omnibus competũt corporibus naturalibus, compositio autem omnibus rebus naturalibus competit, principiorum quædam esse generationis, &c. quædam compositionis & constitutionis &c. consequitur. *Vid. tota responsio. 3. Et quî ex meis ita argumentum inflectendi vel levissima saltem desumetur occasio, cum negatio illius majoris, ut invertentis, in meis fundetur? Nonne dixi, aliquid, ex quo sumitur fundamentum dividendi principia, competere omnibus corporibus, uti est compositio; aliquid verò, è quò una sumitur fundamentum illa dividendi, non omnibus competere corporibus naturalibus, uti est generatio. Scilicet fundamentum dividendi principia non est positum in uno, sed in duobus. Utrumq; ille pro probatione Minoris in syllogismo inverso adhibet,* patet, *inquiens,* quia sicut è generatione, in & è constitutione. 4. *Ut frustrà planè posita sint ultima verba hæc:* inquit, unum quidem debere, sed non alterum. Detur ratio, cur unum & non alterum. Inversio Majoris contrarium infert. *At 1. videat eruditus & candidus lector, an inversio Majoris, quam sibi imaginatur, contrarium inferat? 2. Et quî opus erit ibi dare rationem, quòd unum istorum (compositionem intelligit & generationem) omnibus competat, alterum verò*

non

non competat omnibus? Ipse ita nobiscum statuit, compositionem omnibus corporibus competere, generationem verò non omnibus. Ita & ipsa Natura nobis dictitat. Det jam rationem Autor, cur unum istorum, scilicet compositio, omnibus conveniat, non verò omnibus conveniat generatio.

§. 20. *Nunc ad reliquos duos syllogismos* sup. §. 1. ex Dissert. *p. 36. productos, considerandos me accingo. De illis autem ita ille* in seq. p. 43. seq. Duo Syllogismi allati à me, probant quod probandum erat. Tria dicuntur esse principia Aristoteli & Aristotelicis, Materia, Forma, & Privatio. Rationem dant, quia in generationibus occurrunt. Huic doctrinæ à cunctis receptæ oppositi sunt duo Syllogismi. Alter probat, aliena doceri; alter, falsa. Aliena, quia loqui debebant de principiis Constitutionis, non Generationis. Siquidem prima, generalia, & universalia principia hic proponenda sunt. Falsa, quia falsum est, privationem generationis principium esse. Hinc illa Major contra aliena ista principia: Quicquid non omnibus competit corporibus naturalibus, illius principia ad partem generalem Physicæ non spectant. Ratio, quia generalia principia ad partem generalem spectant, non specialia. Non itaque nobis obtrudenda erat Major hæc: Quicquid non omnibus competit corporibus naturalibus, ex eo non potest desumi fundamentum dividendi & distinguendi.

§. 21. *At contrà* (1.) *prior syllogismus, cujus Majorem propositionem hîc repetit, non probat, quod probandum erat. Non siquidem concludit contra præsentem materiam, vel contra Disputationem sextam. Quæso enim, contra quam directa sit illa conclusio:* Er. principia generationis ad partem generalē non spectant? *Ubi ego hactenus statui, quòd principia generationis ad partem generalem spectent? Cum larvis pugnat Autor. Nec ego teneor respondere ad argumentum, cum ejus conclusio non sit contra me. Hæ debebant fieri conclusiones: Er. principia non dividuntur in principia constitutionis & transmutationis sive generationis. Er. principiorum primorum physicorum quædam non sunt generationis principia. Er. non sunt tria rerum naturalium principia; Hæ nobis sunt oppositæ, non illa, quam Autor format & infert.* (2.) *Alienum est à veritate, hîc aliena à me trāctari. Scilicet confundit Autor* divisionem *principiorum cum* membris dividentibus. *Divisio principiorum, quam ex Aristotele instituimus, h. l. non est*

alie-

aliena, quidquid sit quòd aliena hîc videatur doctrina de altero divisionis membro, de principiis scilic. generationis. Divisionem principiorum ego ex Aristotele proposui, nullatenus de principiis generationis tractavi, nisi in quantum cum principiis constitutionis dividunt, vel dividenda indigitant principia prima physica. Et antequàm à me tractatio institueretur de principiis constitutivis rerum naturalium, quæ est specialis tractatio, (quod ego facio Disp. 7. & seqq.) *priùs principia, in genere definienda, & definita, dividenda erant. Sit ex superabundanti syllogismus: Quicunq; post generalem principiorum definitionem principia dividit, eorumq; considerationem distinguit & separat, ille non docet vel tractat aliena. Atqui ego post generalem principiorum definitionem principia divido, eorumq; considerationem distinguo & separo, nimir. de principiis constitutionis hoc, de principiis generationis alio locò agendum esse indigitans. Er. ego non doceo vel tracto aliena. Conf.* Disp. 1. §. 92. 93. (3.) *Non est falsum, privationem esse generationis principium. Aut concedat, quòd Dn. Sennertus p.m. falsa docuerit. Imò in antecedentibus contrarium ex ipso Autore probatum dedi.*

§. 22. *Nunc illum syllogismum spectemus, cujus Major repetita fuit, quamvis conclusio ejus non sit contra me, imò à scopo disputationis meæ sextæ alienissima. Respondi ad illum seq. modò:* Possit aliquis dubitare de Majori propositione, siquidem videntur dari quædam, quæ non omnibus competunt corporibus naturalibus, & tamen ad partem Physices generalem, sub generali Ἰσωρίᾳ, sive generali modo considerandi, pertinent, ut motus & locus. Ubi non est, ut dicat quis (1.) de motu, quòd is non absolvat affectionem, verùm quòd affectio disjuncta hîc sit constituenda: quid enim opus est, affectionem disjunctam statuere & constituere, ubi haberi potest affectio simplex & propriè dicta, quæ de subjecto, de corpore naturali demonstretur eo modo, quo affectiones propriæ in scientiâ hac demonstrari gestiunt, demonstratione nimirùm potissimâ & exquisitissimâ? Affectio corporis disjuncta nobis est σιδηρόξυλον. (2.) Nec est, ut dicat quis de loco, quòd is non competat omnibus corporibus; locum enim non esse affectionem corporis, & locum per spatium definitum, locum non esse, suo locò monstrabitur.

§. 23. *Ad hanc responsionem ita regerit* p. 45. Loquitur dubitanter & absurdè. Non quid possit, sed quid debeat, docendum. Non quid aliquis, sed quid ipse. Non quid videatur, sed quid sit.

Et

Et nonné absurdum est, ad partem generalem Physicæ sub generali theoria pertinere, & non omnibus corporibus naturalibus competere? Argumentor: Quicunq; unum membrum per alterum evertit, is contradictoria loquitur. Autor unum membrum per alterum evertit. Ergò Autor contradictoria loquitur. Major per se manifesta, & in doctrinâ de contradictoriè oppositis fundata est. Minor constat, quia hoc membrum, *ad partem generalem Physicæ sub generali theoriâ pertinere*, penitus evertitur per alterum, *non omnibus corporibus naturalibus competere*. Nulla enim alia ratio est, cur aliquid ad partem generalem Physicæ sub generali theoriâ pertineat, quàm hæc ipsa, quia omnibus corporibus naturalibus competit.

§. 24. *Sed qui audet bonus ille vir me dubii & absurdi sermonis accusare, qui non novit statum controversiæ observare? Disputare, & non contradicere respondenti non est disputare. Sed esto. Ad exceptionem resp. Ille modus loquendi non est infrequens, & invenitur apud gravissimos Autores. Ego non semel eum legendo observavi. Et adhibetur, ubi major imbecillis est, ut facilè possit infringi. 2. Nunc majorem nego. Do instantiam; motus non omnibus competit corporibus naturalibus. Er. motus principium, quod est Natura, ad partem generalem Physicæ non spectat. Ecce! argumentor similiter: Quidquid non omnibus competit hominibus, ejus principium ad doctrinam Anthropologicam non spectat. Risus, loquela &c. non omnibus competunt hominibus. Er. risus & loquelæ principium, quod est anima rationalis, ad partem Anthropologicam non spectat. Ex quo Majorem propositionem Autoris nullam esse, perspicitur.*

§. 25. *Et omnino ita comparatum est, uti respondi, quòd dantur quædam, quæ non omnibus competunt corporibus naturalibus, & tamẽ ad partem Physices generalem sub generali theoria pertinent. Dubitat de hoc Dissertationis Autor? suas assumat Institutiones Physicas, plura ibi in parte generali considerata inveniet, quæ tamen non omnibus conveniunt corporibus naturalibus.* Fortuna, casus, monstra, fatum, qualitates intentionales, qualitates occultæ, Magia, motus, locus, *non omnibus conveniunt corporibus naturalibus; & tamen illa ab Autore in parte generali Physicæ considerata inveniuntur. Diduco. Superiùs in* Dissert. c. 1. p. 20. *dixit Autor*, partem communem in eo à speciali differre, quòd det communia principia, & communes affectiones. *Sed illa, jam ex Institutionibus Physicis recensa, neq; sunt*

communia principia, neq; communes affectiones, ut primò intuitu liquet. Er. illa ad partem generalem Physicæ non spectant. Quò jure igitur tractatio de illis in generali Physicæ parte ab Autore instituta est?

§. 26. Respondeat nunc Autor ad syllogismum mihi oppositum, & §. 23. adscriptum, quem æquè sibi, ac mihi oppositum jam perspicit. Ego illi, gemina instructus responsione, satisfacere, & ea, de quibus nos in generali parte tractamus, etiamsi non in omnibus locum inveniant corporibus naturalibus, salvare possum. Non video ego, quomodo, rebus sic se habentibus, ultima Autoris verba consistent, quibus ait: nulla alia ratio est, cur aliquid ad generalem partem Physicæ sub generali theoria pertineat, quàm hæc ipsa, quia omnibus corporibus naturalibus competit. Quæro enim de fato, quæro de magia, an omnibus competant corporibus naturalibus? Si negat, non pertinebunt ea ad partem physicæ generalem. Si affirmat, quæro rursus, an competant corpori naturali in communi, adeoq; omnibus in specie, ut communia principia, an ut communes affectiones. Neutrum dici potest. Neq; enim fatum est commune rerum naturalium principium, neq; est communis earundem affectio; similiter & magia, similiter & cætera §. antec. enumerata. Quæ autem talia non sunt, ad partem generalem Physicæ, ex ipsius sententia, non pertinent.

§. 27. Fruſtranea planè sunt sequentia Autoris verba: Et ut etiam aliquid insuper dem, mutat Autor quadrata rotundis. Hæc erat Major: Quicquid non omnibus competit corporibus naturalibus, illius principia ad partem generalem Physicæ non spectant. Instantiæ loco adfert motum & locum. Estne motus principium? Estne locus principium? Mitte Majorem, quæ immotæ veritatis est. Resp. Instantiæ de motu & loco sunt quadrantissimæ. Patet id dupliciter. 1. Fundamentum Autoris generale est: quidquid non omnibus competit corporibus naturalibus, id ad partem generalem physicæ nō spectat. Ita ex Autore in proximè præcedentibus lineis §. antec. adscriptis. Jam fit subsumtio ejusmodi: Atqui generatio & generationis principia non omnibus competunt corporibus naturalibus. Er. generatio & generationis principia ad partem generalem Physicæ non spectant. Hæc est mens, hæc intentio Autoris. Nunc subsumo ego similiter: Atqui motus & locus non omnibus competunt corporibus naturalibus. Er. motus & locus ad partem generalem Physicæ non spectant. 2. Quæro ego similiter; estne generatio principium? At verò non de principio, sed de generatione.

Autor

Autor subsumsit. Repetamus (ut habeamus, quod agimus) argumentum: Quidquid non omnibus corporibus naturalibus competit, illius principia ad partem generalem Physicæ non spectant. Atqui generatio non omnibus competit corporibus naturalibus. Er. &c. *Similiter ego subsumo: atqui motus & locus non omnibus corporibus naturalibus competunt. Er. motus & loci principia ad partem generalem non spectant. Jam verò motus principium ipsi est natura rei naturalis; loci principium ipsi est materia. Ita is in* h. Dissert. cap. 2. p. 49. locum ob materiam corporibus necessarium esse *ait. Er. natura & materia ad partem generalem Physicæ non spectant. Minor de motu liquet; de loto hic supponitur, alibi ea firmiter probabitur. Et sufficit, instantiæ loco unicum exemplum attulisse. Er. Major non erit immotæ veritatis, quô nomine eam prædicat Autor.*

§. 28. *Ad ea, quæ de motu, occasione oblatâ, incidenter dixi, excipit Autor sic* p. 46. seq. Motum neq; affectionem generalem esse, neque cum quiete affectionem disjunctam constituere. & tamen ad partem Physicæ generalem sub generali theoriâ pertinere, insipidum valdè est. Argumentor: Quæcunque affectio non est generalis, ad generalem Physicæ partem sub generali theoriâ non pertinet. Motus non est affectio generalis. Ergò motus ad generalem Physicæ partem sub generali theoriâ non pertinet. Majorem qui negat, non intelligit, quid pars generalis sit. Minor est Autoris.

§. 29. *Resp. 1. non est insipidum, motum, quidquid sit, quòd de se affectio corporis naturalis propriè non sit, nec etiam cum quiete disjunctam ejus affectionem propriè & reverà constituat, certô suo modô ad partem generalem Physicæ pertinere. 2. Eandem conclusionem Autor infert, quæ in anteced. à me fuit illata, sub propositione Autoris subsumendo. 3. Majorem syllogismi absolutè & sine limitatione sumtam nego, etiamsi Autori videar non intelligere, quid sit pars generalis in aliqua scientia, quod tamen omnium, quæ sciri possunt, est levissimum. 4. Videat Autor, amicè rogo, & mecum perpendat, an ita argumentatio commodè instituì possit:* quæcunq; affectio non est generalis sive cõmunis, ita ut omnibus subjectis speciebus competat, ea non (*nullô modô*) pertinet ad generalem subjecti considerationem. *Subsumo* (1.) *Atqui generatio sui similis non est generalis sive communis affectio vegetabilium & animantium. Er. generatio sui similis ad generalem vegetabilium & animantium theoriam non pertinet. Minor con-*

stat, quia multa sunt viventium genera, quæ sibi simile non generant, quæq; nullum semen, quod ordinarium generationis medium, conficiunt. (2.) *Esto, visio, Aristotelis aliorumq; nobilissimorũ Physicorum judicio, non sit generalis affectio omnium animalium. Er. propterea visio ad generalem animaliũ & animæ sensitivæ theorian non pertinebit? Denig. 5. Minor illa non est mea. Sed hæc propositio est mea:* motus non est affectio corporis naturalis.

§. 30. *Pergit Autor regerere:* Immò, cùm motum per mobilitatem explicet, quam omnibus corporibus naturalibus tribuit, nonné generalem affectionem motum facit? Argumentor: Quæcunq; affectio omnibus corporibus naturalibus ineſt, ea eſt generalis. Motus omnibus corporibus naturalibus ineſt. Ergò motus eſt affectio generalis. Novit Majorem, qui rudimenta novit. Minor Autoris eſt. *At contrà* (1.) *ubi explico ego motum per mobilitatẽ? Ita ſtatuo, mobilitas eſt propria affectio corporis naturalis, non verò motus, ſicut riſibilitas eſt propria hominis affectio, non riſus. Ibi riſibilitas non explicatur per riſum, ſed riſus dicitur eſſe actus riſibilitatis. Vid.* Not. ad Inſtit. Phyſ. Jach. l. 2. c. 1. p. 187. (2.) *nego Minorem propoſitionem eſſe meam. Et qui Minorem illam hîc mihi tribuit, cum Minorem ſyllogiſmi proximè antecedentis, utpote cum illa extremè pugnantem, mihi tribuerit? Modò dixerat, hanc eſſe meam;* motus non eſt affectio generalis corporum naturalium; *nunc dicit, hanc eſſe meam:* motus omnibus corporibus naturalibus ineſt. *Inſanum illum eſſe oportet, qui nunc ſtatuat, motum non eſſe affectionem generalem rerum naturalium, & aſſerat quoq; motum omnibus rebus naturalibus ineſſe. Imò neutra iſtarum propoſitionum mea eſt.*

§. 31. *Nunc ad illa excipit, quæ de disjunctâ affectione pro reſponſione mea dixi, quæ quoq; vendicanda nobis ſunt. Ita ille* p. 47. De Disjunctâ affectione in Phyſicis ait, quod ſit σιδηρόξυλον. Dicere ſi ſufficeret, quis innocens eſſet. Argumentor: Ubicunq; nulla datur contradictio, ibi non datur σιδηρόξυλον. In motu & quiete, tanquam disjunctâ affectione, nulla datur contradictio. Ergò ibi non datur σιδηρόξυλον. Major per ſe ſtat. Minor probatur, quia non ibi membrum unum per alterum tollitur. Nihil evertitur, cum dico: motus & quies disjunctam corporis naturalis affectionem conſtituunt, quia non omne corpus naturale quieſcit. Res ipſa eò adegit Metaphyſicos, ut disjunctas entis proponere affectiones, nulli dubitârint. Cur Phyſicis abſtinendum,

eâ dem

eâdem id urgente necessitate? Forsan, ob novitatem. At novas res si neglexissent antiqui, quas nunc veteres haberemus? pergit. *Quid opus est, affectionem disjunctivam statuere, ubi haberi potest affectio simplex?* Dico etiam, ubi potest. Interim verba hæc refuntantur à prioribus, & priora ab hisce. Argumentor: Quæcunque affectio non omnibus competit corporibus naturalibus, ea non est simplex & unita. Motus non omnibus competit corporibus naturalibus. Ergò motus non est affectio simplex & unita. Major est Autoris. Minor etiam. Item: Quæcunque affectio demonstratur de corpore naturali, demonstratione potissimâ & exquisitissimâ, ea est communis. Motus demonstratur de corpore naturali, demonstratione potissimâ & exquisitissimâ. Ergò motus est affectio communis. Major est Autoris. Minor est Autoris. *Hactenus illa.*

§. 32. *Fateor, hæc à præsente negotio quodammodo esse aliena, sed ad istas instantias proferendas mihi ansam præbuit argumentum Autoris à parte generali desumptum, quò tyrones nostri, quando primùm Collegia Disputatoria invisunt, uti solent. Fateor insuper, quod salvâ Clarissimi Viri Autoritate, dictum volo, pigere & pudere me illius argumenti, cum vulgatissimum sit & omnium vilissimum. Sed ad ea, quæ de affectione disjuncta regessit, jam respondeo.* 1. *Verba mea non sunt extendenda ultra præsentem materiam. Non enim de* disjuncta affectione in communi dixi, *eam esse* συδηρόζυλον, *sed de* affectione corporis naturalis disjuncta, *& in specie de* motu & quiete *dixi, quòd sit* συδηρόζυλον. *Ad Minorem syllogismi primi resp. negando. Probationem quod attinet, non oportet, ut ibi in hoc casu unum membrum rei substratæ per alterum evertatur, ut motus per quietem, aut quies per motum; sed sufficit, si aliunde contradictio pateat, ut affectio disjuncta repugnanter dicatur, ut etiam hic fit, quam repugnantiam ego Autori Dissertationis locô competente citiùs felicius demonstrabo. Fit enim h.l. impertinenter & cum tædio lectoris.* 3. *Nec propterea motus & quies disjunctam corporis affectionem constituunt,* quia non omne corpus movetur, nec omne corpus naturale quiescit; *aliàs aliæ plures affectiones disjunctæ rerùm naturalium essent constituendæ, ut e.g. quia non omne corpus naturale corrumpitur, nec omne corpus naturale non corrumpitur, igitur affectio corporis naturalis disjuncta constituenda erit corruptio & (ut Autorem sequar) incorruptio. Cur non etiam*

etiam disjuncta Corporis naturalis statuitur locus & vacuum? 4. Potiùs illa ratio, quæ addita est, manuducit nos ad potentiam in affectionibus physicis respiciendâ. Nec enim propterea, quòd nõ omnis homo ridet, aut loquitur, quærẽdæ ibi affectiones disjunctivæ; sed unitæ, potentiam importantes; sic dicimus, hominem esse risibilem sive potentem ridendi, loquendi &c. Similiter in præsente negotio, quia non omne corpus movetur, affectio non est ponenda in motu, quia non omne corpus corrumpitur, affectio non est ponenda in corruptione, sed in potentia movendi, in potentia corrumpendi, unde propriè hæ emergunt propriæ corporis naturalis affectiones, mobilitas, quiescibilitas sive potentia quiescendi, corruptibilitas sive potentia corrumpendi, &c. Et hæ affectiones 1. universaliter de corpore naturali enunciantur; Omne corpus naturale est mobile; omne corpus naturale est corruptibile, sicut, omnis homo est risibilis, &c. 2. Cum corpore naturali, ut subjecto, reciprocantur; omne quod est corruptibile, est corpus naturale; Omne quod est mobile, est corpus naturale; &c. 3. de corpore naturali, ut subjecto scientiæ, propriè demonstratur, enascunturq; demonstrationes, καθ' ἐξοχὴν potissimæ dictæ, h. m. Quidquid constat naturâ, illud est mobile. Omne corpus naturale constat naturâ. Er. omne corpus naturale est mobile. Non aliter, ac sicut in aliis, in quibus affectiones propriæ demonstrantur de subjectis suis, cujus rei schema habemo in hac: Quidquid constat ratione (sive animâ rationali) illud est risibile. Atqui omnis homo constat ratione. Er. omnis homo est risibilis.

§. 33. De Metaphysicis quod addit terminis, nihil ad rem facit præsentem. Etenim 1. peculiaris eorum est ratio. Ibi enim res aliter non patitur, quàm ut dicas e.g. ens esse vel necessarium vel contingens, vel principium vel principiatum, &c. Novit autem Autor Dissertationis, affectiones Metaphysicas sive subjecti Metaphysici non eâ proprietate gaudere, quâ gaudent Physicæ, ut propterea à nonnullis non affectiones, sed modi entis salutati fuerint. 2. Non eadem in physico negotio est necessitas; imò nullam esse, Autor ex §. antec. clarissimè perspicit. Ut invertendum sit illud quæsitum, & dicendum, cur, nulla urgente necessitate, affectionẽ corporis naturalis statuemus disjunctam? Quî nulla ibi erit necessitas, cum commodissimè, propriissimè & verissimè eô, quô §. antec. factum, modo affectiones propriæ rerum physicarum exprimantur, & demonstrentur? 3. Non movet me, ut rejiciam affectionem disjunctam, novitas, cum ea nulla hic sit. Non enim nova, sed vetus, imò vetustissima illa est opinio, quæ originem traxit ex Aristotelica

lica naturæ definitione disjunctivè explicata. Non est ergo, ut eam sibi tribuat Autor.

§. 34 *Tandem nulla pugna in assertis meis, nec priora ab his, nec hæc à prioribus refutantur. Syllogismos subjunctos, quibus Autor pugnam assertorum meorum ostendere nititur, consideremus. 1. Pugnantes ne Cõclusiones sunt istæ:* Motus nõ est affectio simplex & unita; *&:* motus est affectio communis? *Minimè sunt. Quomodo ergo pugnantia sive contradictoria posui? Quomodo me ipsum refutavi? Hæ sunt pugnantes Conclusiones:* Motus non est affectio unita; Motus est affectio unita: *aut:* Motus non est affectio communis; motus est affectio communis. 2. *Nec Major propositio prioris syllogismi rectè ex meis conficitur. Hæc ipsiexinde conficienda erat:* quidquid non omnibus corporibus naturalibus competit, ea non est propria corporis naturalis affectio; *talis siquidem communis esse debet, & omnibus competere. Factâ jam subsumtione, hæc fluit conclusio:* Er. motus non est propria corporis naturalis affectio. 3. *Quî ego Majorem ita formarem, cum ratio unitæ affectionis, in quantum quidem unita est, non sit in eo posita, quod omnibus competat? Quod enim omnibus competit, est ex natura affectionis propriæ, sicut ex doctrina de Demonstratione novimus.* 4. *Argumentum illud supponere videtur, ac motus sit affectio corporis naturalis, modò quod non sit unita. Ita enim sonat argumentum:* Quæcunq; affectio non omnibus competit corporibus naturalibus, illa non est unita. *Atqui* motus *&c. Er. At motus planè non est affectio propria corporis, sicut risus non est propria affectio hominis. Ut proinde sub illa Majore ita formata de motu, tanqum de affectione, subsumi non possit. Si ita Maior formetur;* Quidquid non omnibus corporibus naturalibus competit, illud non est unita corporis naturalis affectio; *tunc benè subsumitur:* Atqui motus non omnibus corporibus naturalibus competit. Ergo. *&c.* 5. *Ad alterius syllogismi propositionem Minorem resp. negando eam. Nec audebit Autor dicere, eam esse meam, cum contrarium ego teneam. Hæc enim mea ratio est, inter alias, quòd motum affectionẽ esse nego, quia motus non demonstrari potest de corpore naturali. Demonstret quæso quis motum de corpore naturali, tanquam unitam affectionem, aut etiam motum & quietem, tanquàm disjunctam affectionem? Et sanè multa video ab Autoribus passim scribi de demonstationibus affectionum physicarum, nullas autem demonstrationes in eorum libris video. Nec eò modô, quô illi affectiones ponunt & ex-*

plicant, earum demonstrationes dari possunt. Quomodo affectiones propriæ de subjectis suis propriè & verè demonstrandæ sint, indicavi & monstravi §. 22.

§. 35. *Pergit Autor ad instantiam meam de loco, ita scribens* p. 49. Locum non esse affectionem corporis, falsum est. Ob materiam locus corpori necessarius est. Unde argumentum: Quicquid materiam habet, locum habet. Omne corpus naturale materiam habet. Ergò omne corpus naturale locum habet. Cœlum excipiunt communiter, sed ob falsam hypothesin de loco. Quanquam ex aliâ hypothesi refutent seipsos. Argumentamur enim: Quicquid movetur motu locali, est in loco. Cœlum movetur motu locali. Ergò cœlum est in loco. Major constat, quia motu locali moveri, est ex uno loco in alium tendere. Minor ipsorum est.

§. 36. *Ast contrà 1. non est falsum, locum non esse affectionem corporis naturalis. Affectio propria omnibus debet competere sub subjecto contentis; debet reciprocari cum subjecto suo; debet demonstrari de subjecto suo. Accommodentur hæc ad locum, & an ipsi conveniant, dispiciatur. Nulla istorum conditionum convenit loco, ut suo locô fusiùs demonstratur. 2. Falsum verò est, ob materiam locum corpori necessarium esse. Unde majorem propositionem syllogismi nego. Imo nec eam Theologi concedere possunt. 3. omninò cœlum excipiendum est ab illis, quæ locô circumscribuntur. 4. Nec nosmet ipsos refutamus ex alia hypothesi, quam Autor intelligit, quâ vulgò statuitur, cœlum localiter moveri, & inde argumentum format, cujus ego Minorem nego. Nec enim illa nostra est, quidquid sit, quod vulgò ita ab aliquibus statuatur. Meam sententiam in Not. ad Jacchæum exposui. 5. Præterea ad argumentum illud dudum respondit* Plur. Rev. Dn. Jac. Martin. in Tract. de Loc. l. 1. ca. 8. p. 44. & ca. 22. p. 166. & ca. 38. p. 308. 6. *Idem omnibus hisce meis consentia habet in* d. Tr. l. 1. c. 30. p. 245. *ubi docet monstratq;* motum & locum, *item* quietem *non esse proprias corporis naturalis affectiones, sed ejus solùm accidentia;* mobilitatem *vero sive* potentiâ movendi & potentiâ quiescendi, *item* locabilitatem *esse propria* πάθη *corporis naturalis asserit. Hæc Autorem Dissertationis ex dicto Venerandi Dn. Præceptoris libro tenuisse oportebat. Ita quoq; rem explicui in* Not. ad Jacchæi l. 3. c. 1. p. 187. & l. 4. c. 4. p. 264.

§. 37. *Reassumit Autor argumenti sui Majorem propositionem,* &

& alteram meam responsionem diluere conatur. Ita ego in Disp. 6. §. 31. Probationem Majoris propositionis, quâ dicitur, generalia ad generalem, specialia ad specialem physicæ partē pertinere, quod attinet, eam quidem probat, sed exinde principali scopo nihil roboris accedit. Nihil, inquam, roboris accedit huic: Quicquid non omnibus competit corporibus naturalibus, ex eo fundamentum divisionis principiorum peti nequit. Possunt enim hic multæ dari instantiæ. 1. Ille materiam in simplicem & compositam dividit, cum tamē materia composita, uti & simplex, non ad partem generalem, sed ad specialem pertineant. Quidquid hic respondebitur, idem & nos respondere poterimus: 2. Solent aliqui Doctorum heîc loci dividere principia in prima & secunda; quidam in primi, secundi, & tertii generis sive ordinis, quidam in universalia & particularia &c. Hi quamvis de principiis secundis & particularibus non agant (nec possint agere) in parte generali, cum ad eam non spectent, fundamentum tamen habent principia ita in hac Physices parte distinguendi. 3. Sic τὸ mistum esse, præbet fundamentum dividendi corpus in simplex & mistū, & tamen corporis misti consideratio ad illum locum, vel illam physicæ partem non pertinet, in qua corpus dividitur. Ut sic in aprico positum sit, benè aliquid posse esse fundamentum alicujus divisionis, quamvis de eo ibidem loci, ubi fit divisio, nulla sit tractatio. Nec enim semper membra dividentia ad eandem tractationis sedem pertinent. Nec nos h. l. de principiis transmutationis ex professo esse agendum arbitramur, unde cum Zabarella librum istum primum de principiis physicis non pro vero initio Physicæ agnoscimus. Ut in hoc planè cùm illo conveniamus, quo scribit, de corporis naturalis, & non de generationis principiis hîc agendum esse. Modò observetur aliud esse, principia in principia generationis & compositionis distribuere, aliud, de utrisq; agere.

§. 38. *Excipit Autor* Dissert. p. 49. seq. *sic:* Autor malè nobis imputat, quod sibi ipsi debuerat. Formavi Majorem hanc: *Quidquid non omnibus competit corporibus naturalibus, illius principia ad partem generalem Physicæ non spectant.* Declarationis gratiâ adjeci: *Major constat, quia generalia ad generalem, specialia ad specialem partem spectant.* Respondet, probari quidem ita Majorem, sed exinde principali scopo nihil roboris accedere. Verùm, quid

porrò desiderandum, si probant verba, quod probandum erat? Stat ergò Major, quam diluere conabatur frustrà. Scopus verò, quem principalem vocat, figmentum est. Ut araneæ casses è proprio gignunt corpore, sic è cerebro suo format propositionem illam, Quicquid non omnibus competit corporibus naturalibus, ex eo fundamentum divisionis principiorum peti nequit. Ruunt ergò casu subito, quæ de materiâ simplici & compositâ, de principiis primis & secundis, de misto ac simplici narrat. Non cuncta divisionis membra, ad eandem spectare sedem, vel pueris notum.

§. 39. *Probationem Majoris admisi, argumentum verò non præstare, quod præstare debebat, inculcavi. Hoc siquidem desideratur, quòd argumentatio illa h. l. sit impertinens, & non probet probandum, sicut superiùs monitum fuit. Nec enim hîc quæstio est & disputatio,* an principia rerum naturalium ad generalem, an verò ad specialem Physicæ partem pertineant; *verum,* an rectè dividantur in principia constitutionis & transmutationis, *item,* an tria sint principia rerum naturalium? *Estq; hoc perpetuum Autoris vitium, quòd in thesi respondentis non manet, sed statum controversiæ pervertit, & ἑτεροζητήσεις immiscet, sicut etiam suprà in* Disp. 1. *notavimus. Priùs conveniamus, in τῷ ὅτι, posteà dispiciamus, an ad partem generalem, an verò ad specialem principia generationis sive transmutationis pertineant* (2.) *Nec è cerebro meo formata illa propositio, quam repetit, sed ex ipsius ratiocinio prognata, sicut in antecedentibus clarè ostendi.*

§. 40. *Sed alio petere me & premere inconveniente Autor potuisset. Scilic. habuisset hîc occasionem me inconstantiæ accusandi, quî nimirum hîc admittam propositionem Majorem ejusq; probationem, cum eam superiùs negaverim, & hactenus multis instantiis persecutus fuerim, & jam mihi Major vera sit, quæ anteà non fuerit vera. Sed salva res est. Negavi Majorem absolutè & illimitatè acceptam, sicut* §. 29. *aperui, & ex tota Disputationis connexione cernere est; concedo autem eam debitè intellectam. Ut autem rectè intelligatur, depromenda mihi hîc erit illa, quam superiùs* §. 26. *detrectabam, responsio.*

§. 41. *Limito igitur propositionem illam sic* 1. *ex parte subjecti; quidquid nullo modò competit omnibus corporibus naturalibus, h. e. quòd neq; secundùm actum, neq; secundùm potentiam omnibus competit corporibus, illius principia ad partem generalem Physicæ non spectant; sic concedo Majorem, & nego Minorem. Generatio enim & corruptio, quamvis non competant actu omnibus corporibus, competunt*

tunt tamen secundùm potentiam; omnia siquidem sunt generabilia & corruptibilia; Ideòq; generabilitas & corruptibilitas ad partem generalem spectant, quippe quæ æquè sunt communes corporis affectiones, ac mobilitas & cæteræ, & de corpore naturali exquisitè demonstrantur. Hæc limitatio nisi observetur, evincam facilè, quòd principium risus, fletus, & loquelæ, quod est anima rationalis, non pertineat ad theoriam Anthropologicam, cum risus, fletus & loquela non competant omnibus hominibus, & quòd principium generationis in viventibus, quod est anima, non pertineat ad doctrinam de anima, cum generandi actus non omnibus viventibus competat. Sufficit enim hîc, quòd competere possint, & ad speciem, vel genus pertineant illi actus, quamvis non in omnibus, quæ sub specie vel genere continentur, locum habeant.

§. 42. *Et ex hac observatione respondetur ad id, quod* sup. §. 23. ex Dissert. p. 46. *fuit allatum, nimirum* nulla ratio alia est, cur aliquid ad partem generalem Physicæ sub generali theoria pertineat, quàm hæc ipsa, quia omnibus corporibus naturalibus competit; *addo: aut competere potest. Sic veluti e. g. risus non competit omnibus hominibus, sed sufficit, quòd ad speciem pertineat, adeoq; competere omnibus possit, quòd omnes potentiam ridendi habeant; & sicut generatio activa non competit omnibus viventibus, ad viventium autem genus spectat, &c. Ita etiam non obstat, quòd motus, quod generatio & corruptio non omnibus conveniant corporis speciebus, sed sufficit, quòd ad genus pertineant, & quod omnia possint moveri, generari & corrumpi.*

§. 43. *Limito 2. propositionem ex parte prædicati h. m. Quidquid non omnibus corporibus naturalibus competit, illud illius q; principia nullo modo, vel planè non pertinent ad generalem Physicæ partem; Sic nego Majorem, & concedo Minorem propositionem. Quæ res ut constet, notandum,* dupliciter aliquid pertinere ad partem Physicæ generalem: 1. primò & per se, *ut sunt* subjectum, *quod est corpus naturale,* principia *illius constitutiva,* & affectiones propriæ *subjecti, quæ essentiam illius, aut principia essentialia consequuntur. 2. quædam eò spectant* per reductionem, *quòd eorum tractatio eò referatur, partim quòd nullibi commodiùs institui possit, partim quod sine illorum cognitione alia priora intelligi non queant. Certè non potest dicere Autor de omnibus illis, de quibus ipse in parte generali pertractavit, & superiùs §. 25. enumerata fuêre, quòd per se*

ad partem generalem Physicæ pertineant, (cum neq; ut subjectum, neq; ut principia vel causæ subjecti, neq; ut affectiones communes considerentur) sed quòd eò reducantur, & commodâ occasione ibi considerentur. Sic quoq; in præsente negotio, ad objectionem dimovendam, dico, generationem & corruptionem (ejusq; adeò principia) revocari ad generabilitatem & corruptibilitatem, sicut motus theoria ad considerationem mobilitatis in corpore naturali, tùm quòd illæ sine his satis superquè intelligi haut possint, tùm quod ipsorum quoq; cognitio erat necessaria Physico. Sicut enim actus refertur ad potentiam de se, ita actus consideratur, vel ejus consideratio refertur ad considerationem potentiæ, tanquàm illius complementum.

§. 44. Fluit exinde limitatio Majoris ulterior h. m. Quidquid non omnibus competit corporibus naturalibus, illud illiusq;, ut tale est, principia primò & per se non pertinent ad partem generalem Physicæ; sic concedo Majorem & totum argumentum, quô concluditur; Er. generatio & generationis principia per se & primò non spectant ad partem generalem Physicæ. Et autumo ego, de motu, de loco, ut actûs denotant, non agi in parte generali Physicæ, nisi in quantum ad sedem propriarum affectionum revocantur, eô, quô dictum, modô.

§. 45. Ex dictis ad illud quoq;, quod §. 25. ex Dissert. c. 1. p. 20. fuit prolatum, respondeo, & dico, pars generalis dat communia principia, communesq; affectiones, scilic. primò & per se, consequenter vero affectionum actûs & complementa, quæ affectiones in genere insequuntur, quamvis non omnibus conveniant speciebus. Unde ad illam propositionem; quidquid in parte generali physicæ tractatur, aut est subjectum, aut principium subjecti, aut affectio propria subjecti, addo, aut affectionis actus, si talem habet, qui ad eam refertur, ut actus ad potentiam. Si talem habet, ajo, & si talis est indolis; non enim omnes affectiones physicæ habent, ut quantitas, finitas, &c.

§. 46. Videt hîc Autor, 1. quomodo ea, quæ supr. p. 46. (vid. §. 28.) pro pugnantibus venditavit, sese habeant. Nimirum non pugnât hæc: ad partem generalem Physicæ sub generali theoria pertinere; &: non omnibus corporibus naturalibus competere. Res ex dictis est liquida. Videt 2. quod quæ est ratio motus & loci, quantum ad utriusq; considerationem, ea etiam sit generationis & corruptionis, quantum ad utriusq; considerationem & tractationem. Motus & loci consideratio eò revocatur, ubi affectiones corpori naturali inesse ostenduntur. Pariter igitur & generationis atq; corruptionis tractatio re-

revocabitur ad illam sedem, quâ ostenditur, generabilitatem & corruptibilitatem corpori naturali inesse. Ita respondi sup. Disp. 1. §. 84.

§. 47. *At ǵ sic tandem, ut hæc absolvam, & rem omnem in compendio dicam, principia compositionis ut talia, per se pertinent ad partem generalem, & ibi explicanda veniunt, ubi essentia corporis naturalis explicatur, sicut ego feci in* Theoria C.N. Disp. 4. 7. & 9. *& Autor probat in* Dissert. c. 2. p. 50. & 54. *principia vero generationis in quantum talia, & generalis eorum consideratio reducuntur ad partem generalem, ibi quippe consideranda & explicanda, ubi natura generationis in genere explicanda. Ubi autem natura generationis in genere explicanda, ostendunt B.* Sennert. Epit. N.S. l. 1. c. 9. p. 149. edit. ult. *&* Cl. Dn. Scharff. P. R. Par. gen. l. 2. c. 3. p. 281. seq. *quibus ego hac in parte consentio, cum ibi generabilitas & corruptibilitas, tanquàm communes affectiones, de corpore naturali demonstrandæ sint.*

§. 48. *Hisce sic evolutis, residua Autoris verba, sup. §. 37. in lucem producta, venti labimus. Imaginatur sibi Autor, ruere illa, quæ ego instantiæ loco proposui, & noviter §.* antec. 30. *adscripsi. Et quî detrectabit ille propositionem illam, ita, ut ipse monstravit, informatam, insuper & in toto ejus discursu fundatam? (1.) Quid enim aliud Autor egit, quàm quod me ad hanc responsionem adegit, ut distinguerem inter* divisionem & membra dividentia, *Divisionem principiorum hic tradi, non de utroǵ divisionis membro hic de professo tractari asserens? (2.) Quid aliud sibi volunt illa verba, quibus ait* hac pag. 50. Non dicendum hoc locô, tria esse principia, materiam formam & privationem. *At nonne aliud est,* hoc dicere, tria esse principia, *& aliud dicere,* hoc locô agendum esse de tribus principiis? *Annon dicendum sub initium partis specialis, quinǵ esse corpora prima & simplicia? Annon aliud est, in limine partis specialis dicere, corpora alia simplicia sunt, alia mixta; & aliud, in limine partis specialis de corporibus mixtis agere? Prius fit, non autem fit posterius. (3.) Quid aliud sibi vult mea cautela, quam adprobat Autor in* Dissert. p. 51. *scribens:* cautelam addit: *modò observetur, aliud esse principia in principia generationis & compositionis distribui, aliud de utrisǵ agere.* Esto hoc, *inquit,* si distributionis hujus fundamentum habes in natura, distribuas ita. *Rectè; agnoscit ergo tandem & admittit, h. l. divisionem principiorum esse faciendã, quidquid sit, quod de principiis generationis h. l. tractatio non instituatur. Divisionem verò principiorum in natura fundari, quin imò ejus fundamentum*

ab

ab ipso Authore, qui præ aliis se naturæ documenta sequi, sibi imaginatur, nobis suppeditari, suprà ostensum fuit.

§. 49. *Manet igitur, quòd sicut se res habet cum illis, quæ §. 37. recensui, scilic. cum divisione materiæ in simplicem & compositam, cum divisione principiorum in primam & secundam, cum divisione corporis in simplex & mistum, &c. quòd nimirum non eò locò, quo fit divisio, agitur de omnibus membris dividentibus, ita etiam comparatum sit cum nostris principiis, quòd nimirum non consequens sit, ibi agi vel tractari de omnibus principiis, aut omni modò, ubi ipsorum divisio proponitur & exponitur. Ut sic videat Autor, illam propositionem, ab ipso nobis suppeditatam, & in ejus discursu fundatam*; quidquid non omnibus competit corporibus naturalibus, ex eo fundamentum divisionis principiorum desumi nequit; *nullam esse. Aliud igitur nobis Autor suppeditet argumentum. Conferantur, quæso illa, quæ* Disput. super. 1. §. 88. sqq. *maximè autem §. 92. 93. à me proposita fuêre, quæ huic rei lucis aliquid afferre possunt.*

§. 50. *Non placet Autori, quòd in* Theor. Corp. Nat. Disp. 4. §. 9. & 15. *cum Zabarella statui, librum 1. Physic. Arist. non continere verum initium Physicæ. Ipsius verba adscribam, quæ leguntur in* Dissert. p. 51. Statuit cum Zabarellâ, librum primum Aristotelis de principiis Physicis, non pro vero initio Physicæ agnoscendum esse. Hæc illa perpetua litigia, non de doctrinâ modò Aristotelis, sed & de librorum ordine. Interim mirari non desinam, tàm acres Philosophos ignorasse hactenus verum Physicæ Aristotelis initium. Plurima enim pars existimavit, primum esse primum, & ultimum esse ultimum. Sed hæ sunt illæ illorum dissensiones, hoc forsan fine factæ, ut dum singuli in suam trahunt opinionem Aristotelem, in singularum quoque opinionum refutatione refutent ipsum. Quod per universam Philosophiam factitatum esse, graviſſimi jam dudum conquesti sunt viri.

§. 51. *Contrà 1. Non solùm inter Aristotelicos sunt litigia, sed inter alios quoq; Doctores dissidia fuisse, & hodiè esse, Autor non negaverit. Quæsiverim ex ipso, an in omnibus cum doctrinis Dn. Sennerto p. m. & Cl. Dn. Scharffio consentiat, ipsorumq; dogmata & sententiæ in omnibus concordent? Quomodo illi consentiant in unico dogmate, in traduce nimirum explicando & probando, ex Trad. non Trad. videre est. 2. Sed quid dissidia Doctorum præjudicant rei ipsi? quid alter eorum alteri præjudicare potest? Quid præjudicat veritati Hi-*

storiæ

storiæ Evangelicæ, quod in ea enarranda quidam Dd. Theologorum ab Evangelista Johanne, alii à Matthæo initium sumũt? 3. Primus librorum Physicorum apud Aristotelem est primus, eo modo, quo constitutus primus, puta, primus est in ordine, ut in Theo. C.N. Disp. 4. expositum fuit. 4. Non est mirum, Aristotelem quandoq; in quibusdam refutari. An autem refutatio fundamentum habeat, videndum est. Non enim quævis, quæ putatur esse refutatio, reverà est refutatio, sed quæ veris & sufficientibus suffulta est fundamentis. 5. Quantum ad præsens, in eo non refutatus fuit Aristoteles, sed non intellectus, ejusq; consilium non omnibus perspectum.

§. 52. Hactenus in secundi syllogismi, quo aliena à nobis doceri, probare Autor voluit, enodatione occupati fuimus; nunc tertius & ultimus, quo falsa à nobis doceri, se ostendere ait p. 44. reassumendus, & responsio ad illum data, vendicanda. Ita autem habet syllogismus, in Dissert. c. 2. p. 37. ex Instit. Phys. l. 1. c. 2. q. 2. p. 35. Quidquid in nulla generatione datur, id generationis principium non est. Privatio in nullâ generatione datur. Ergò privatio generationis principium non est. Major clara est. Minor probatur, quia formarum origo non est Inductio, non Eductio, sed Traductio.

§. 53. In Theor. C.N. Disp. 6. §. 33. respondi, velle me contrarium in illis, quæ argumentum ejusq; probationem concernunt, suo locò & tempore ex ipso Autore, aliisq; cum ipso sentientibus, probatum dare. Dedi etiam; 1. privationem in generatione dari, ejusq; principium esse, ex Autore & assectis h. Disp. §. 9. & seqq. probavi; 2. formarum originem non traductionem esse, in Trac. non Trad. ut spero, satis superq; ostensum. Deinde de probatione Minoris propositionis meritò quis dubitaverit. Sequiturne: formarum origo non est eductio, sed inductio. Er. privatio in nulla generatione datur. Non sequitur; testem & adstipulatorem habemus Dn. Sennertum p. m. qui & in Epit. Nat. Scient. l. 1. c. 3. & in Tr. de Cons. Dis. C. cum G. & A. c. 7. p. 72. & c. 11. p. 243. privationem in generatione dari, ejusq; principium esse statuit, & tamen originem formarum iisd. in libris asserit. Ut sic, Dn. Sennerto judice, cum traductione formarum stet earundem privatio in materia ante generationem.

§. 54. Nunc probare traductionem formarum nititur Autor duobus argumentis sequentibus in Diss. p. 52. quæ ex Tract. de or. for. desumta sũt. 1. Quidquid sibi simile generat, & juxta speciẽ se multiplicat, id formam ipsam in generatione communicat. Homo,

brutum, planta, omneque generans sibi simile generat, & juxta speciem suam se multiplicat. Ergò homo, brutum, planta, omneque generans formam ipsam in generatione communicat. 2. Quicquid in semine operatur, illud ibi actu adest. Forma in semine operatur. Ergò Forma in semine actu adest.

§. 55. *Ast ad primum respondi in* Tr. non Trad. sect. 2. art. 7. p. 143. sqq. *ad secundum respondebitur in* Tract. de Natura seminis. *Paucula hic sufficiunt. Ad 1. dico concedendo id, quod concluditur. Exinde autem non sequitur: Er formæ substantiales in naturali generatione traducuntur. Quæ enim consequentia: generans genito in generatione ipsam formam communicat. Er. formæ in generatione à generante traducuntur? Ego nullam video consequentiam. Deinde nego quoq; Minorem propositionem quà illa verba, quibus dicitur:* omne generans sibi simile generat. *Non omne generans sibi simile generare, suo locò & tempore ex Autoris & asseclarum concessis probabitur. Ad 2. resp. neg. Minorem, quæ efficaciter nunquam probabitur. Illas enim, quas vulgò comminiscuntur esse operationes animæ in semine, non esse, citius feliciùs in* Tr. de Nat. Sem. *monstrabitur.*

§. 56. *Nunc conqueritur Autor, quod ipsi aliquid tribuam præter meritum.* Malè scribit Autor, *inquit* p. 53. Aristoteli à me fieri injuriam. De Interpretibus locutus sum, & de nostris Physicis, non de Aristotele. Perpetuò pejores sunt Aristotele Interpretes, Præceptore discipuli. Interpretes, autem ita probare, ita explicare, ita propugnare & impugnare principia, quemadmodum à me relata & refutata sunt, citata in Institutionibus copiosè & abundanter loquuntur. Temperare ergò sibi poterat Autor, & debebat.

§. 57. *Resp. 1. Male scribit Autor, dum scribit, me scripsisse, quod Aristoteli ab ipso fiat injuria. Ita habent mea in* Disp. 6. §. 40. Atq; sic tandem constare arbitramur, quid respondendum sit ad objectionem quorundam (*N. B.* quorundam) Philosophorum in vicinâ Academia, quando sic contra Aristotelem & ipsius Discipulos insurgunt in hac Physicæ parte, & hoc in loco agitur de corpore naturali ut communi subjecto; In illud autem non cadunt, nec in illius essentia includuntur tria principia; sicut nec tria illa principia omnibus corporibus naturalibus in specie conveniunt: ut proinde perperam ab Aristotele posita sint ista rerum naturalium principia. Quod argumentum ut operosè hactenus

agi-

agitatũ fuit, ita minùs operosâ opus habet responsione. *At objectionem illam respondi in* d. Disp. § 41. duo. l. 1. fieri Aristoteli injuriam, *ab illis scilicet, qui ista Aristoteli & Aristotelicis opposuerunt. 2.* ejus intentionem illos, (*N. B.* illos, *dixi*) qui ita contra ipsum fuêre argumentati, non habuisse exploratam & *satis perspectam. R. Ajunt quidem Philosophiæ Aristotelicæ osores ut plurimum, se non loqui de Aristotele, sed de Aristotelis Interpretibus. At per Interpretes illi pungunt Aristotelem. Imò multi hodiernorum Philosophorum non solùm Interpretes perstringunt, sed ipsum quoq; Philosophorum principem tangunt. III. Quid* Autor *Dissertationis de Aristotele & Aristotelicis monumentis sentiat, quid de illis judicet, in vulgus notum. Protestor autem, me hæc non ea de causa proferre, ac si sentiam, aut velim, non examinanda esse Aristotelica, aut ab illis non recedendum; minimè gentium; cum ne ipse in omnia Aristotelica asserta juraverim.*

§. 58. *Nunc me tentat & exercet Autor proponendo nonnulla cõtra tractationem Aristotelicam. Tria sunt, quæ proponit. I. In* p. 53. *sic:* Autor non modo primas negat primo Aristotelis libro, sed à totâ generali parte eum exterminat. Argumentor: Qui cunq; liber non proponit universalia, is neq; ad Generalem Physicæ partem, neq; ad octo Acroamaticos libros spectat. Atqui liber primus ἀκρ. non proponit universalia. E. liber primus ἀκρ. neque ad Generalem Physicæ partem, neq; ad octo Acroamaticos libros spectat. Major patet è differentia partis Generalis & Specialis, nec non è propriâ Autoris sententiâ. Concedit generalem Physicæ partem generalia proponere. Concedit generalia ordine doctrinæ priora esse specialibus. Concedit Aristotelem in libris Acroamaticis generalem partem tradere. Minor probatur, quia proponit principia generationis. De his verò Autor ait: *Sicut generatio & corruptio non habent locum in omnibus rebus naturalibus; ita nec principia illa omnia in omni obtinere corpore naturali, consequitur.* Manet ergò, primum librum Aristotelis inter Acroamaticos, nec primum, nec medium, nec ultimum esse.

§. 59. *Ast resp. (1.) ad syllogismi Minorem eam negando; Probatio Minoris nulla est. Nec enim sequitur: Aristoteles proponit in lib. 1. principia generationis. Er. Aristoteles inibi non proponit generalia & universalia principia. Nulla consequentia. Principia siquidem hæc ipsa generationis sunt generalia principia, sicut supera* Disp. 1. §. 27. sqq. & §. 38. sqq. usq; ad fin. *patuit. Conf.* h. Disput. §. 38. sq. (2.)

Nec obsunt huic rei verba mea, ex Theor. C. N. Disp. 4. §. 10. *transscripta; quamvis enim principia illa omnia (N. B.* omnia*) non in omni corpori naturali obtineant, proponuntur tamen in* lib. 1. Physic. *communia principia, scil. materia & forma, ex quibus omnia constant composita physica; quin imò & privatio, quæ verbis illis exclusa videtur, est universale principium, generationis puta, & eô modò ad partem generalem spectat, quô spectat ipsa generatio, ut nuper §. 47. exposui. (3.) Non ergo liber primus Aristotelis per id definit esse primus inter libros Acroamaticos, ut potiùs primus maneat, præcipuè si consiliũ Aristotelis spectemus. Parasceuen & introductionem ad Physicen continet liber primus, quæ à communissimo naturæ opere, quod est generatio, & communissimis illius principiis desumitur.*

§. 60. *II. Alterum, quod Autor opponit, his exponit* p. 54. sq. Autor Aristotelem non distinctè, sed confusè admodùm res suas tradere indicat. Principia compositionis jure suo sibi vendicare primas, asserit. At agitnè Aristoteles de his libro secundo, an tertio, an sexto, an octavo? De materiâ ita habet Autor. *Materia triplicem subit considerationem: unam respectu compositionis rerum naturalium; taliter fit mentio materiæ l. 1. de an. c. 1. t. 2. l. 7. Ph. pr. c. 3. t. 7. & c. 10. t. 34. Ejus d. lib. 12. c. 3. t. 14. alteram respectu affectionum physicarum, potissimùm verò motus, cujus principium ipsa receptivum est; sic consideratur libr. 2. Phys. c. 1. t. 10. & c. 2. t. 22. c. 8. t. 81. tertiã: respectu generationis & corruptionis in specie, quòd est primũ illius subjectum; taliter cõsideratur materia l. 1. Phys. c. 7. & 9. in libb. de ort. int.* Hinc argumẽtor. Quicunque eam materiæ considerationem, quæ primam requirebat sedem, ad distantissimos libros relegat, is non ordine ac distinctè res suas tradit. Aristoteles eam materiæ considerationem, quæ primam requirebat sedem, ad distantissimos libros relegat. Ergò Aristoteles non ordine ac distinctè res tradit. Major non eget probatione. Minor è citatis locis constat. Sic & de formâ scribit Autor: *Forma consideratur 1. in ordine ad generationem, seu ut principium generationis internũ est, & intrinsecus ejus terminus, l. 1. Phys. c. 5. & 7. à Philosopho consideratur ut alterum contrariorum, h. e. ut generationis terminus, & id, ad quod generatio & nascitura, l. 2. Ph. c. 1. t. 14. & l. 12. phil. pr. c. 3. t. 12. 2. in ordine ad compositionem & compositum physicum, uti est principium intrinsecæ constitutionis, & altera pars essentialis compositi physici; hoc modo Aristoteles de eâ lib. 2. de anim. c. 1. t. 1. 2. & c. 2. t. 25. lib. 7. Phil. prim. c. 3. t. 7. & ca. 10.*

& c. 10. t. 34. & l. 12. ejusd. c. 3. t. 14. 3. in oraïne da motum, ubi est principium effectivum internum motus & mutationis physicæ, h.m. de forma tractavit Phil. l. 2. phys. c. 1. t. 10. & c. 2. t. 11. & c. 8. t. 81. Argumentamur iterum. Quicunque eam formæ considerationem, quæ primam requirebat sedem, ad distantissimos libros relegat, is non ordine ac distincte res suas tradit. Aristoteles eam formæ considerationem, quæ primam requirebat sedem, ad distantissimos libros relegat. Ergò Aristoteles non ordine ac distincte res suas tradit. *Hactenus ille.*

§. 61. *At contrà (1.) pono generale documentum. Quilibet Autor & Scriptor sicut peculiarem συνήθειαν seu consvetudinem, tum quà materialia tùm quà formalia habet ita quoq; peculiari consiliò rerum tractationem & descriptionem auspicatur. Unde videmus, semper aliis, & aliis Autoribus aliud & aliud in more positum esse, certoq; consiliò quosdam ita, alios aliter sua scriptis proposuisse. Sic nullum est dubium, quod si legendo conferas Hippocratem cum Galeno, si Platonem cum Aristotele, si alios cum aliis, ipsos easdem res non eôdem modò & ordine proposuisse, deprehensurus sis, quòd alius alio modò proposuerit, & liberam scribendi facultatem ostenderit. Sic videmus aliud initium Physicæ Sennertianæ & Scharffianæ, aliud Sperlinggianæ, aliumq; apud alios modum proponendi res Physicas vidimus. Quid inde? An rebus ipsis aliquid decedit, quod alio ordine, alioq; modò ab aliis proponũtur? Alii incipiunt Physicam tractationem à principiis, alii à corpore naturali, alii à natura, alii à causis corporis naturalis, & c. an propterea singuli hi carpendi? Ego non dixerim. Quilibet peculiari consiliò & propositò tractationem suscipit, pertexit, & absolvit. Ut propterea non sit confusa, quæ nobis videtur, tractatio dicenda, præcipuè quando cõsilium Autoris non habemus exploratum.*

§. 62. (2.) *Non igitur indico ego, Aristotelem minùs distincte, sed confusè Physicam suam tradidisse. Et quamvis ego sub initium de principiis compositionis pertractaverim, tamen id neq; Aristoteli, neq; aliis Autoribus Physicis præjudicat. Nec etiam, quòd ego sentiam, eò, quò de corpore agitur, loco esse agendum de principiis compositionis, aliis præjudicare potest. Ego enim cum à subjecto initium Physicæ faciam, & faciendum arbitrer, statim de principiis compositionis ibidem tractandum esse autumo, quo ipso aliis, qui aliud physicæ tractationis (N.B. tractationis dico, nõ, Scientiæ) initiũ cõstituũt, nihil præscribo.*

§. 63. (3.) Principia compositionis *Aristoteles tùm in* lib. 1. *tùm in* lib. 2. Physicorum *inculcavit.* In primo; ibid. c. 7. t. 65. *clarè docet,*

omnia fieri ex subjecto & forma, *ita ut per se & essentialiter ex illis constent. Et* tex. seq. 67. *duo principia compositionis esse pronunciat & concludit.* In secundo; ibid. t. 10. *ait,* naturam esse tùm materiam unicuiq; formæ subjectam, tùm formam, &c. *quæ sunt ipsissima constitutionis principia. Nec obstat, quòd Philosophus modò paululùm diversò tractationē de illis instituerit; modus siquidem tractationis diversus non tollit ipsam tractationem. Illa autē diversitas inde provenit, quòd Aristoteles de subjecto non* lib. 1. *sed* lib. 2. physicor. *tractare instituit. Quæ omnia diligenter & perspicuè, ut spero, in* Theor. C. N. Disp. 4. th. 16. sqq. *exposita fuêre. Nec obstat, quod Aristoteles ibi perpauca de materia & forma, ut compositionis principiis, in medium proposuerit; sufficit siquidem, quòd nobis principia illa monstraverit, quamvis non multis de illis tractaverit.*

§. 64. *Ad syllogismum primum de consideratione materiæ* p. 55. *ab Autore propositum, resp. neg. Minor. Contrarium patet ex* §. antec. *Nec ea probatur ex locis à me collectis, quibus plura adjungere potuissem. Nec per illorum locorum allegationem excludi primos physicorum libros, sed potiùs eos, tanquàm primos & generales, præsupposui. Et Aristoteles unam eandemq; doctrinam multis locis repetere solet. Quin imò in modò* d. Disp. 4. th. 16. sqq. *principia compositionis ex* 1. lib. Physicor. *derivavi & demonstravi. Argumentor ex superabundanti: Quicunq; dicit in suo tractatu, ex materia res naturales constare, is in illo tractatu materiam ut principium constitutionis & compositionis introducit. Atqui Aristoteles in tractatu* lib. 1. Phys. *dicit, ex materia res naturales constare; Er. Aristoteles ibi materiam ut compositionis principium introducit. Maiorem acceptat, qui intelligit, quid sit materia cōpositionis; Minor est Aristotelis in* l. 1. Phys. c. 7. t. 65.

§. 65. *Similiter respondeo ad alterum Syllogismum de formâ, ex* p. 56. *allatum, per negationem Minoris propositionis, cujus contrarium ex jam datis satis liquet. Nec minor probatur per illa loca, quibus ego triplicem formæ considerationem ap. Aristotelem inveniri indicavi. Plura certè sunt loca, & plures textus, in quibus prima, in quibus secunda ut & tertia considerandi ratio invenitur, quæ tamen hîc non sunt adscripta, ut propterea liber primus & secundus physicorum nō sint excluſi. Invenitq; hîc locum idem argumentum, quod* §. anteced. *de materia proposui: Aristoteles in* l. 1. Phys. t. 65. *formam introducit principium, ex quo intrinsecè & perse constat res naturalis. Er. Aristoteles ibid. de formâ agit, ut est constitutionis principium. Pertinet huc*

egre-

egregius ille textus, quô ait, tunc sciri compositum, quando ex quibus & quot ipsum constat, cognitum habemus, d. l. 1. Phys. c. 4. t. 35.

§. 66. *III. Ultimum, quod Autor opponit, eoq; caput secundum claudit, his exhibetur verbis* p. 56. seq. Autor sibi ipsi contrarius est. Aristotelem ait, primo Physico. libro non intendere agere de corpore naturali, & ejus principiis, nec primum illum librum esse primum. Contrarium dixit alibi his verbis. *Pars Generalis Physicæ est, quæ de corpore naturali, ejusq; principiis & affectionibus in communi pertractat, absolviturq; VIII. libb. Φυσικῆς ἀκροάσεως. Præterea notandum, partem generalem Physicæ, adeoq; libros Acroamaticos, potissimum in duas partes dividi posse: quarum prior sit de subjecto, ejusq; principiis intrinsecis; altera de ejus affectionibus; illa primis duobus libris ab Aristotele exponitur; quamvis diversâ consideratione; hæc sex posterioribus libris exhibetur.* Et ubi Physicam esse scientiam probat, ad Aristotelem fugit, quem in limine Physicorum librorum, scilicet libro primo id innuere scribit, qualis causa ad scientiam spectet. *Quæ eadem doctrina,* inquit, *proponitur in libris physicis Acroamaticis; & in eorum limine, l. 1. phys. t. 1. his verbis: tunc enim unamquãq; rem scire nos putamus, cum causas primas, principiaq; prima cognoscimus.* Argumentamur: Quicunq; liber spectat ad octo libros Acroamaticos, is aut generalia principia, aut generales affectiones corporis naturalis proponit. Liber primus spectat ad octo libros Acroamaticos. Ergò liber primus aut generalia principia, aut generales affectiones corporis naturalis proponit. Major est Autoris. Minor etiam. Conclusionem negat. Porrò: Quicunque liber de subjecti seu corporis naturalis principiis intrinsecis tractat, is principia compositionis proponit. Liber primus de subjecti seu corporis naturalis principiis intrinsecis tractat. Ergò liber primus principia compositionis proponit. Major est Autoris, qui alibi principia corporis naturalis & principia cõpositionis pro iisdem habet. Minor etiam Autoris est. Conclusionem negat. Porrò: Quicunq; liber limen Acroamaticorum librorum offert, is pro primo habendus est. Primus liber limen Acroamaticorum librorum offert. Ergò pro primo habendus est. Major per se nota, nisi præposterum laudare velis ordinem. Minor Autoris est. Conclusionem negat. Sed negat profectò coactus argumentis contra privationem formatis.

§. 67. *At mihi minimè contrarius sum. Adhuc ajo i. Aristo-*

telem

telem in lib. 1. Physic. *non egisse de corpore naturali, adeoq; neq; de ejus principiis, in quantum ipsius principia sunt, sed (quod addo jam) egisse de illis principiis, quæ corporis naturalis sunt principia, ut sunt duo illa, de quibus* cap. 7. t. 65. & 67. *præclarè docet.* Ajo 2. *Primum librum Physicorum, si strictim ordini doctrinæ insistamus, non esse primum, h.e. eum, à quo scientifica subjecti cognitio incipiat, & ubi subjecti physici, scilic. corporis naturalis essentia explicetur. Cum his nullatenus pugnant illa, quæ Autor ex* Disp. meæ 3. §. 13. & 14. *transscripsit. In summam ea contrahamus.* 1. *Pars generalis physicæ apud Aristotelem continetur octo libris Physicorum.* 2. *Pars generalis Physicæ partim subjecti & essentialium illius principiorum consideratione, partim affectionum contemplatione absolvitur.* 3. *Subjecti, ut corporis naturalis, ejusq; principiorum tractatio prioribus duobus libris exhibetur.* 4. *Id, quà principia, fit diversâ consideratione. De libro* 1. *ne dubites, cum hactenus ad oculum demonstratum sit, inibi principia constitutiva corporum naturalium ab Aristotele proposita fuisse, sicut jam jam pluribus constabit. Et annon hæc res in* Theor. C. N. Disp. 4. §. 16. sqq. *satis superq; declarata erat & confirmata?* 5. *In secundo Physicor. libro doctrina de corpore naturali ejusq; essentia de professo proposita exhibetur.*

§. 68. *Tres syllogismos ab Autore Dissertationis subjunctos, quibus hoc caput secundum claudit, quod attinet, ad primum resp. me illius conclusionem nusquàm negâsse. Nonne ego constanter assevero, in* 1. Physic. lib. *generalia principia proponi, sive compositionem spectemus, sive generationem? Suntq; hæ meæ Assertiones.* 1. *In* 1. *lib. Physic. generalia & communia omnium rerum naturalium principia proponuntur. In specie* 2 *proponuntur generalia & communia compositionis principia* tex. 65. *quæ dicuntur esse duo* t. 67. *materia scilic. & forma;* & 3. *denique proponuntur inibi communia generationis principia, subjecta materia, privatio & materia. Argumentor ex superabundanti: quicunq; liber illa proponit rerum principia, quibus nulla priora & generaliora dantur in natura, ille omnium prima & generalissima rerum naturalium proponit principia. Atqui liber primus Phys. illa rerum naturalium proponit principia, quibus nulla priora, nulla generaliora & communiora dantur. Er. liber* 1. *physic. omnium prima, generalissima & communissima rerum naturalium proponit principia. Major in confesso est: Minorem qui negat, iis priora & generaliora dare tenetur.*

§. 66. *Ad*

§. 69. *Ad alterum. 1. Affingitur mihi, quòd ego negem id, quòd Autor in Conclusione infert. Contrarium ex* Theor. Corp. Nat. Disp. 4. 5. 6. *luculentissimè patet. Constantissimè ego assero, in* l. 1. b. t. Physic. *de principiis constitutionis pariter & generationis tractari. Cui non obstat, ut Autor sibi imaginatur, quòd principalis Aristotelis scopo sit de principiis generationis agere. 2. Minor non est mea eo modo, quo Autor affert. Potest enim ea dupliciter intelligi:* vel *quantum ad rem,* vel *quantum ad intentionem & modum tractandi Aristotelicum. Priori modo asserui in* Disp. 4. th. 16. sqq. *Aristotelem in* lib. 1. Physicor. *de principiis corporis naturalis, h. e. de illis principiis, quæ corporis naturalis, principia sunt, egisse; posteriori verò sensu, qui Autoris est, non asserui; non enim mea hæc sententia, quòd Aristoteles in* l. 1. Phys. *tractarit de principiis subjecti Physici, vel de principiis corporis naturalis ut subjectum est Physicæ scientiæ; Contrarium siquidem Autor ex* Disp. mea 4. & 5. *perspexit. Ut propterea inter sensum compositum & divisum h. l. distinguendum sit.*

§. 70. *Ad tertium & ultimum syllogismum resp. Majo. propositionem limitando: Quicunq; liber limen Acromaticorum librorum offert, is pro primo in ordine habendus est; & sic concedo totum argumentum. Ubi ego negavi, primum Aristotelis librum esse primum? Stolidus essem, si id negarem. Hoc dixi & statui in* Disp. 6. th. 31. *& adhuc dico, me cum Zabarella, librum primum Physicorum non pro vero initio Physicæ agnoscere, propterea quòd non exhibeat considerationẽ subjecti, sed id in* l. b. 2. *fiat. Jam, lippis etiam perspicientibus, distinctissima sunt, 1.* librum illum de principiis, quem Aristoteles primô locô constituit, esse primum, *quod ego non nego, sed ajo, & primũ Physicorum librum saluto & nuncupo; & 2.* librum illum, qui primus numeratur, verum Physicæ initium, quod, *Autore consentiente,* in subjecti consideratione positum est, exhibere; *hoc à me negatum fuit. Ut iterum frustrà sit Autor, scripsitans, me conclusionem tertii illius syllogismi negare. Hoc autem tutò asserere possum de primo illo libro Acroamatico, quòd protheorian & paraseuen exhibeat, & januam quasi aperiat ad Scientiam Physicam.*

§. 71. *Atq; sic tandem constare arbitror, Autorem hactenus nihil contra me conclusionibus suis effeciss e, imo ne quidem me tetigisse. Et planè frustrà sibi imaginatur Dissertationis Autor,* me (*ita enim scribit in* fin. cap. 2. p. 58.) coactum argumentis contra privationem, istas conclusiones (*trium syllogismorum antecedentium*) negare. *Ast, ut patuit, illas nunquam negavi. Qui ergo eas argumẽ-*

tia contra privationem structis motus, negaverim? Figmenta sunt, suavia somnia sunt. Fortean illud argumentum coëgit, ad quod respondi sup. §. 35. *aut illa reliqua, quæ proponit in* Inst. Phys. l. 1. c. 1. q. 2. p. 35. seq. *& repetit in* Dissert. c. 1. p. 19. *Sed consideremus h. l. illa argumenta, quibus tantam vim cogendi inesse putat Autor.*

§. 72. *(1.) Varias Doctorum explicationes urget; Mendozam cum Dd. Conimbricensibus committit.* In ipso generationis puncto, *inquit*, privationem dari & perire Conimbricenses ajunt. At contradictoriè & minùs aptè. In uno instanti reali non possunt componi forma & ejus privatio, quia eadem res simul esset & non esset realiter, rectè Mendoza ait. *At 1. variæ & pugnantes Dd. de dogmate explicationes eidem nihil præjudicare, vel detrahere possunt, quod Autor ex suis dogmatibus, de quibus omnibus non unanimiter sentiunt & statuunt ipsius assecla, (ut vel unicum dogma de Traduce ostendit) conjicere facilè poterat. 2. Ego ipse Conimbricensium declarationem non probarem, illaq; mihi contradictoria esset, si ita haberet, ut Autor eam profert. Sed aliter illi. Ita enim se explicant in* l. 1. Phys. q. 8. ar. 2. col. 223. nec repugnat in eodem instanti temporis secundum aliam & aliam considerationem, dari in materia & privationem formæ & ipsam formam, licèt talis privatio in eodem instanti re ipsa ac simpliciter aboleatur. *Notetur 1. quòd illi non absolutè dicunt, in eôdem instanti dari in materia privationem formæ & formam ipsam, sed* secundùm aliam & aliam rationem sive considerationem *id accipiendum esse. 2. Iidem statuunt*, privationem eôdem instanti realiter & simpliciter aboleri. *Quæ ipsa responsio & declaratio cum Petri Hurt. de Mendoza sententia coincidit. Ita enim hic* Disp. Phys. 4. sect. 2. §. 13. p. 350. *ad quæstionem*, quando privatio sit principium, *respondet*, esse principium eôdem instanti, quô primùm est generatio, quia tunc existit generatio hominis ex non homine, quod præcessit. *Et mox subjungit, hoc principium* causare *sive principiare* per desitionem sui. *Quæ tamen Jesuitæ responsio Autori nostro non placet.*

§. 73. *Ita enim contra eam ille*: Si tunc non exstit privatio, quando existet? Si nunquam; quid de re nihili laboramus? Quod nihil est, quod non est, etiam principium est, ait Mendoza, quod per desitionem & destructionem sui causat. Ast si hoc, non entis erunt affectiones, passiones, destructiones. Quod quàm insipidum, quàm à ratione alienum! *Sed eandem exceptionem ipse P. H. de Mendoza dedit*, l. d. *ad eandem* & *respondit. Ita opponit*: dices, tunc

tunc non est privatio hominis; Er. tunc non est principium, quia principium debet existere eo instanti, quô est principium, ut patet in materia & forma. *Ita respondet:* nego consequentiam. Ad probationem dico, principium physicè influens debere tunc existere, non principium *(sive terminus)* à quo, quia causat *(latiùs voce utitur, pro principiat)* per desitionem sui: id enim est à quo, id est, à quo destructo. Requiritur ergo, ut tunc desinat esse, sicut terminus ad quem incipit esse. *Hæc Mendoza optimè.*

§. 74. *Per hanc responsionem cadunt omnia, quæ Autor Dissertationis opponendo in medium attulit. Et quæ, quæso, consequentia: privatio non existit in generationis actu. Er. ea nunquam existit?* certè priùs existit privatio in materia, *quam est instans generationis, in quo, accedente formâ esse desinit, siquidem non possunt in eodem instanti conjungi forma, & ejus privatio. Illa igitur incipiente esse hoc instanti, hæc desinit esse eodem instanti. Non ergo nunquam, ut Autor putat, existit in materia privatio, cum inibi existat ante instans generationis, quamvis non existat in instanti generationis, cum hoc sit impossibile. Non ergo est res nihili privatio. Nec id, quod principium est, nihil est,* (nec ita Mendoza habet) *sed id, quod principium est, à quo generationis fit initium, in illo actu desinit esse aliquid, &, ita loquendo, nihil evadit, cum desinat esse. Nec ibi non entis* (h.e. omnino non entis) *dantur passiones, desitiones, destructiones. Non siquidem intelligitur dari desitio illius, quod jam dudum desiit, ut privationis destructæ & jam cessantis; minimè; quomodo enim destructi dabitur destructio? sed datur desitio & destructio privationis in illo instanti, in quo forma introducitur. Scilicet privatio, quæ in hoc instanti, quod antecedit instans generationis, est aliquid, pòst sequente instanti, quod instans generationis est, desinit esse aliquid. Ut proinde nihil insipidi hîc sit, nisi illis, qui nihil sapiunt.*

§ 75. *Declaro I. sequentibus.* (1.) *principia generationis ultimò & formaliter sunt talia, quando est generatio. Est autem ea in instanti; vid.* Trad. non Trad. sect. 1. §. 14. p. 14. (2.) *Unumquodq; principiũ habet proprium & specialem modum principiandi, eum, in quô principium constitutum est.* (3.) *In qualibet mutatione terminus à quo esse desinit. Est* trium dicterium *Physicum, terminus à quo in mutatione abjicitur,* (& hoc ipso est terminus à quo) *& terminus ad quem acquiritur,* (quô ipso est terminus ad quem mutationis) *Terminus igitur à quo est principium, esse desinendo, terminus ad quem, esse inci-*

piendo; subjectum, terminum à quo amittendo, & terminum ad quem recipiendo. Conf. Trad. non Trad. sect. d. § 17. p. 19. seq. ubi hæc ex adversæ partis Scriptis ostensa fuêre.

§. 76. Declaro II. ex oppositâ corruptione. Hæc enim est ad non esse formæ, quæ mutatio æquè in momento fit, ac generatio. In instanti corruptionis forma desinit esse forma, in ejusq; locum succedit formæ ablatæ privatio sive carentia, quod materia privata sit & verè careat illa formâ, quam priùs, dum subjectum erat superstes & incorruptum, possidebat. Sicut hîc in instanti corruptionis forma desinit esse forma, & dat locum privationi, eôdem instanti formæ succedenti, ita quoq; in instanti generationis privatio desinit esse, & dat locum formæ eôipso instanti materiam occupanti. Ut nimirum hæc duo quàm diligentissimè hîc sint discernenda; quòd aliud sit, nihil vel omnimodè non ens esse principium; & aliud, aliquid esse principium, & principiare per desinere esse, ita ut ab ejus desitione progressio fiat ad novi habitus acquisitionem & possessionem. Non prius, sed posterius dicitur & asseritur.

§. 77. Pergit Autor in Instit. Phys. l. d. p. 36. & petitionem principii Aristotelicis imponit. Sed videamus, quo successu. Ita ait: instant, privationem generationis terminum esse, quæ à non esse ad esse procedat. Sed principium petunt. Nam probanda erat privatio. probant, quia in generatione à non esse ad esse fit transitus. Quærimus, à quo non esse? respondent, à non esse privativo, non negativo. En petitionem principii. Optimo jure Autorem honorificis illis verbis, si Diis placet, quibus is me excepit, excipere possem, cum hac sua instanti à nihil præter suam prodat ignorantiam. 1. Ubi nostrates talem dant instantiam? Non instantia ea est, sed est principale nostrum argumentum, à terminis generationis imò ab ipsa generationis natura desumtum. 2. Nec ibi petitio principii committitur. Videamus. Probanda est privatio, inquit; (dicere vult, probandum esse, dari privationem in generatione) Probant, pergit, (N. B. probant privationem, inquit: at primaria principalis thesios probatio qui appellabitur instantia?) quia in generatione à non esse ad esse fit transitus. Rectè; hoc est medium probandi. Quærimus, pergit, à quo non esse; respondent, à non esse privativo, non negativo. Notetur: respondent ad quæstionem, de quali nõ esse probatio, vel medius terminus intelligatur, intelligi illum de non esse privativo. Ergo ita respondendo & medium terminum explicando, committunt petitionem.

nemo principii. Judicent Viri docti. Hoc est nostrum argumentum. A quocunq; in generatione datur transitus ad aliud, tanquam à termino ad terminũ, illud in generatione datur. Termini siquidem generationis in generatione dari debent. Atqui à non esse privativo, vel, quod idem est, à privatione in generatione datur transitus ad aliud, nimirum ad formam, tanquam à termino ad terminum. Er. privatio in generatione datur. Ubi jam petitio principii?

§ 78. *Quando pergit*: hoc enim quæritur, an hoc non esse generationis principium sit? *non congruit dictis, quibus intendebatur de* an sit privationis. *Et quamvis hoc, inter alia, in hoc negotio quæratur, tamen id priùs non quærebatur Autori, sed hoc*, an in generatione detur privatio. *Ita enim habebat ille*; probanda erat privatio. *Id autem, quod probandum est, annon in quæstione versatur? Omninò. An non novit is, esse duas distinctas quæstiones: 1.* an privatio in generatione detur? *& 2.* an privatio sit generationis principium. *Distinctæ autem quæstiones distinctam requirunt probationem. Alterius quæstionis affirmativa dudum à nostratibus probata fuit*; *vid.* P. H. d. Mendoz. l. d. s. 2. §. 11. p. 250. Anto. Ruv. in 1. Phys. Tr. 3. q. 3. p. 141. *& alios; probavi & ego* supr. §. 16. *ex Autore h. m. Id unde primò est generatio, est principium illius. Privatio est id, unde primò est generatio. Er. privatio est principium illius.*

§. 79. *Aliud è nostris assumit Autor*, alia, *inquiens*, procedunt viâ, urgentq;, principia esse contraria. Jam non contraria formæ materia, nec contra, sed forma privationi, & privatio formæ. *Respondet*, peti hîc principium, principia nempe esse contraria; *& citat pro se Foxium* l. 1. de Nat. Phil. c. 7. *quòd ajat*: nec obstat huic sententiæ, (quòd privatio non sit tertium principium Physicum) quod principia rerum contraria esse dicantur, cùm in qualitatibus elementaribus id ita fiat, non in aliis rerum initiis, atq; hæc sit ignota plerisq; hominibus, præter Physicos, hypothesis. Et examinetur, *pergit Dissertationis Autor*, contrarietas hæc, ac facilè patebit, quòd nihil subsit solidi. Estne privatio contraria formæ? Respondent, contrarietate latè sumta, prout idem notat, quod privativa oppositio. Sed cur scapham non appellant scapham? præsertim in tam arduo negotio. Et contrarietas latè sumta nil nisi privativam notat oppositionem. Ergo dum probant dari privationem, hoc procedunt pactô, datur privatio, quia datur

privatio. Hic omnis probationis nervus, hic nexus. *Hæc Autor noster in Inst. Phys. p. 36. 37.*

§. 80. *Multa hic complicantur, & planè ineptè ponuntur. I. nostrates non ita probant privationem, ut is hic monstrat. II. Illud de principiorum contrarietate est Aristotelicum; igitur ex mente Aristotelis explicandum. Non docuit Aristoteles, principia esse contraria, sed inter principia quædam esse contraria, duo nimirum, formam & privationem; & ista hæc duo contraria in numerum primorum principiorũ esse cooptanda, asseruit, & id à tribus intimis principiorum conditionibus probavit.* l. 1. Phys. c. 5. t. 41. *Vid.* Theor. C. N. Disp. 5. §. 25. 26. *III. Nimis liberalis & multus est Autor in petitione principii urgenda, sed minus accuratus. Nec enim petitionem principii ibi esse, monstravit, nec unquam monstrare poterit. Principiumne petiit Aristoteles, quando asseruit, & probavit, quædam principia esse contraria? IV. Nec Foxius, ad quem provocat is, & cujus verba citat, hanc rem perspectam habuit. De aliis enim contrariis Aristoteles in* cit. lib. 1. Physicor. *de aliis Foxius loquitur. Et eam, quam in qualitatibus elementaribus contrarietatem ponit Foxius, noster Philosophus, ex quo ille didicit, eisdem attribuit in* lib. 2. de Or. int. t. 16. & 24. *Nulla autem est sequela: qualitates elementorum sunt contrariæ suo modô. Er. privatio & forma non sunt suo modô contraria. Est etenim alius & alius utrinq; modus contrarietatis. Imò plures alii contrarietatis modi apud Aristotelem inveniuntur, sicut in* Theor. C. N. Disp. 6. §. 23. *exposui. V. Autor sui suorumq; assertorum immemor, alibi nobis est* ὁμώνυμος. *Ita enim in* Tr. de or. for. p. 194. Omnis mutatio est à contrario in contrarium. *Subsumo: Atqui generatio est mutatio, ut Autor non semel in illo Tractatu habet, nec id à quopiam negari potest. Er. generatio est à contrario in contrarium. Er. habet terminum à quo & ad quem contrarios. Terminus autem à quo mutationis est principium illius, Idem* Inst. Phys. l. 1. c. 7. q. 2. p. 417. *vid. sup.* §. 16.

§. 81. *Pòst ad* privationẽ *redit Autor in verbis* §. 77. *citatis. 1. Ad quæstionẽ,* an privatio sit contraria formæ, *nemo, puto, nostratiũ respondit eô, quô positum, modô. Quæstio enim est de* an, *& responsio est de* modo. *Ad quæstionem illam nostrates respondent, affirmando, privationem esse contrariam formæ. Si vero jam quæratur, an id sit intelligendum de voce contrarii propriè acceptâ, an vero, ut quodammodô latius sumitur, tunc dicunt, quod duo illa principia prima dicantur contraria, voce contrariorum nonnihil latiùs (sicut & Aristoteles*

in

in aliis facit) acceptâ. II. Rectè; in specie contrarietas hîc notat oppositionem privativam. Nec obstat, quòd Aristoteles, aut ejus discipuli termino oppositionis privativæ non utantur, & scapham scapham non appellent; quis enim Autoribus & Scriptoribus imponet vocabula, quibus ad res tractandas & describendas utantur? Nonne quilibet Autor proprio eoq; libero loquendi stilo & stylo gaudet? Nonne in verbis debemus esse faciles, quando de re constat? Ita Autor Dissertationis in Defens. l. 2. c. 10. p. 304. & c. 12. p. 389. *Quod sibi dari petit Autor, aliis denegat. III. Ipse tandem agnoscit, vocem contrarietatis in assertione Aristotelica* l. 1. Phys. t. 42. *latiùs sumi, & notare privativam oppositionem, sicut verba ipsius* §. 79. *adscripta monstrant. IV. Non autem, ut Autor ineptissimè colligit, ita procedimus, dum privationem dari probamus:* Datur privatio, quia datur privatio. *Ego bonum istum virum, uti quidem meritus erat, non exagitabo, nec par pari referam, sed tantummodò accuratiùs suapensitare, ipsum jubebo. Confundit is* privationem *cum* oppositione privativa, *de qua tamen modò locutus fuerat; quam utramq; longissimis inter se distare parasangis, tyrones Philosophiæ nôrunt. Plura hîc non addo, quàm ut Autorem Ostentum illud ex nostris ostendere jubeam.*

§. *82. Tandem ita argutatur Dissertationis Autor* d. l. p. 37. Tandem privatio nullibi est, nisi ubi perfectio abest, quæ adesse debebat. At hoc nunquam fit in generationibus. Nam in materia nondum satis elaborata & disposita forma esse non debet, juxta propria istorum dogmata. Er. ibi etiã nulla est privatio, nulla privativa oppositio. *At contrà 1. Noto id, quod* §. antec. *privatio in materia generationis esse dicitur, non privativa oppositio; hæc enim est inter privationẽ & formam, cujus illa absentiam dicit. 2. Formemus argumentum h. m.* Ubicunq; non abest perfectio, quæ adesse debet, ibi non est privatio. Atqui in materia generationis nondum satis elaborata & disposita non abest perfectio sive forma, quæ debet adesse. Er. in materia generationis nondum satis elaborata & disposita non est privatio.

§. *83. Resp. ad Majorem, si exclusivè sumatur, negando. Limito ergo eam & compleo sic: Ubicunq; non abest perfectio, quæ adesse debet, vel adesse potest, ibi non est privatio. Jam quando subsumitur: Atqui in materia generationis nondum satis elaborata & disposita non abest perfectio sive forma, quæ adesse sive inesse debet vel potest; neg. Minor. Omninò in materia generationis nondum satis elaborata*

abs-

abest forma, quæ adesse potest, & certô temporis punctô inest, per generationem scilicèt introducta. Et hanc responsionem ipse Autor nobis suppeditat in Tr. de Or. For. p. 105. Ubi ad quæstionem de causa efficiente proxima animæ respondet; annon illa, quæ potentiam actuat, & animam actu adesse, quæ anteà actu aberat, facit? Et quæso, annon æquè sit privatio, quando perfectio, quæ abest, adesse potest, ac quando perfectio, quæ abest, adesse debet? Omninò, (utrinq; enim formalis privationis ratio, quæ est posita in absentia formæ sive perfectionis, locum invenit,) quamvis non sit ejusdem modi. Una enim species, vel unus specialis modus non excludit alterum à participatione communis alicujus naturæ vel rationis, quæ utriq; convenire potest.

§. 84. Atq; sic liquidum esse puto, quid valeant Autoris argumenta contra privationis principium opposita, & quam vim cogendi habeant, scilicet nullam. Nec est, ut principiis nostris ullam jacturam metuamus, quæ ab Autore Dissertationis illis immineat. Tantarum virium non sunt ejus argumenta, ut prosternant, ut interimant nostram sententiam. Imò ut illa sibi non constant, ita nostris non obstant, aut obsunt.

Tantum.

Bono cum Deo.

DISPUTATIO IV.

DE MATERIA PHYSICA.

§. *I.*

Vindicatâ & salvatâ principiorum divisione, deinceps, ad ductum Autoris, de materia est agendum. In limine autem dubius hæreo, an ea, quæ Autor Dissertationis c. 3. initiô p. 59. *disputat, suscipiam, cum is contra materiam primam & subjectum generationum physicarum tela dirigat, ego autem de materia, prout compositionis principium, pertractaverim, sicut* Disp. 7. Theor. C. N. *monstrat, & Autor in* anteced. c. 2. p. 50. 54. *de me testatur.*

§. 2. *Est hæc miratione dignum, quòd is audeat scribere,* (in d. c. 3. p. 63.) *me* neq; ad probationem (*sententiæ ipsius*) neq; ad declarationem, neq; ad vindicationem illius directè respondisse, *quæ omnia negationem materiæ primæ concernunt; Cum noverit, ne quidem mihi propositũ fuisse, eô nomine in* Disput. mea 7. *de materia agere, sed eam prout compositionis principium est, considerare. Æque admiratione dignum est, quod* seq. p. 98. *scriptitat,* me nulla ratione materiam primam probâsse. *At non ferebat id ea tractationis ratio, quam sequi institueram, & quam ipse Autor commendat. Materiam autem physicam, quâ res naturales constant, dari, nulla ópus habere probatione, autumavi.*

§. 3. *Sed ne videatur Autor id ignorâsse, adscribam illa, quæ* Disp. 7. §. 3. *quibus tractationem ac considerationem materiæ determinavi, proposita extant. Ita ibi:* cum autem materia variè se habeat, & varias habitudines atq; respectûs induat, sciendum est, non de omni materia, vel potiùs non de materia omni modô hîc tractationem institui, sed solum juxta primum (§. antec. expositum) prout est principiũ compositionis in rebus naturalibus, & essentialis pars compositi physici. Hæc autem materiâ in rei substantia non est alia, quàm ipsa materia prima dicta. Hæc enim & generationis & compositionis principium est, ceu Disp. ant. 6. §. 12. 37. 38. dictũ fuit & expositum. Primò autem compositionis; sunt siquidem in natura corpora quædam naturalia, quæ generationis

& corruptionis sunt expertia. Dimittentur ergo in hac Disputatione pertinentia ad ortum & interitum, tanquam à principali naturæ instituto sejuncta. *Quid his clarius dici potest?*

§. 4. *Sed demus Autori, quod petit, & materiam primam, prout subjectum primum generationis est, cum ipso consideremus. Hanc is struit thesin* in Instit. Phys. l. 1. c. 2 q. 1. p. 56. & in Dissert. c. 3. p. 59. Primam illam materiam non nisi in libris & hominum cerebellis deprehendi, facilè spectat, quicunq; à præconceptis opinionibus liber est. *Hanc thesin probat si ll. dd.* Subjectum primum generationis eam vocant, ita ut omnes generationes in ea fiant, licet ipsa non generetur. At nulla unquam generatio facta fuit in tali materia. Omnes enim generationes loco subjecti materiam, quam vocant secundam, habent. In hominis, brutorum, plantarum, metallorum, & mixtorum omnium generatione, nonne semper secunda adest materia? Semina nempe, aut corpora alia his correspondentia. Elementorum transmutatio pro tutissimo habetur asylo, quippe quam immediatè in materia prima fieri censent. Sed transeat, quod elementorum materia determinata, & per consequēs non prima, sed secunda sit. Alia enim forma, alia materia. Falsum est, ex aere fieri aquam, & ex aqua aerem. Nunquam inter se transmutantur elementa. Sic & subjectum ultimum corruptionis, male faciunt primam illam materiam. Omnes enim corruptiones subjecti loco materiam secundam habent, non primam. In hominis, brutorum, plantarum, metallorum, aliorumque mixtorum corruptionibus, res iterum plana est. Ad unam elementorum transmutationem vicissim confugiunt. Sed omnis in hac fugâ spes vana. Cum enim nulla elementorum transmutatio sit, nullum etiam hæc desperatæ rei feret auxilium.

§. 5. *Probationem hanc antequàm videamus, demonstremus Autoris materiam primam (illā intelligo materiam, quam Aristoteles docuit & statuit,) ex Doctoribus, quorum tùm autoritatem, tùm argumenta is non repudiabit. In ea probanda planè conveniunt sequentes Doctores, (ex plurimis paucos nomino) tàm Theologi, quàm Medici atq; Philosophi.* D. Grauer p. m. Disp. 8. quæst. Illust. Theol. q. 4. p. m. 193. sqq. Dn. D. Jac. Mart. *plurimis in locis, maximè* in Partit. Metaph. lib. 1. Sect. 8. q. 1. p. 343. sqq. & Exercit. Metaph. *l.* 1. Exer. 4. Theor. 3. p. 156. sqq. & Centur. 1. quæst. illust. Philos. Disp. 4 q. 4. Dn. Scheiblerus

ler l.1. Metaph. c. 22. tit. 17. artic 4. n. 214. p.m. 665. Dn. Sennert. p. m. in Epit. Nat. Sc. l.1. c.3 p.37. sqq. & in Tr. de Conf. Diss. C. cum Arist. & Gal. c.7. p.72. Dn. D. Pelshof. p.m. in Not. ad Beguin. l.1. c.2 p.37. Dn. Scharff. P. R. Par. gen. l.1. c.2. per tot. maximè Ax. 1. p. 85. *ubi ait*, necessarium esse dari materiam primam in rebus naturalibus, *idq; multis probat. Alios taceo. Tot & tam excellenter doctis Viris unus ille doctior & perspicacior erit? Potiùs audiat is judicium* Pl. Rever. Dn. D. Jac. Martini in d. Exer. Metaph. Theor. 3. p. 156. *graviter dicentis:* Materiam primam qui negat, is viri docti nomen nunquam tuebitur.

§. 6. *Singuli illam, quam rejicit is, probationem respiciunt, & ipse eandem nobis suppeditat. Ex aliquibus illam producam & diducam. Dn. Sennertus p.m. non solùm in* Epit. Nat. Sc. p. d. verùm in Tr. de C. D. p.72. *Aristotelis probatione utitur, sic concludens,* generatio & corruptio, rerumq; naturalium transmutatio negari non potest. Er. nec materia prima negari potest. *Deinde sic procedit:* Quicquid fit, fit vel ex nihilo simpliciter, vel ex aliquo. Prius hic locum habere non potest. E. fit ex aliquo, *quod nihil aliud, præter materiam, quæ privationem rei gignendæ continet, esse concludit. Et in antecedentibus in illos, qui materiam hanc primam ignominiosis titulis suspectam reddunt, aut illi ullo modo quid detrahunt, graviter invehitur, sic scribens:* Videant illi, qui hoc faciunt, ne in Deum creatorem rerum omnium injurii sint, atque id, quod illi pulcrum & bonum visum fuit, ita vituperent & insectentur. *Cum his jungatur quæstio ex* Pl. Rev. Dn D. Jacob Martin. Part. Metaphys. p. 343. *allegata, & consensus istorum Doctorum erit manifestus.*

§. 7. *Eodem modò probationem instituit* Cl. Dn. Schraff. l.d. p. 86. Prætereà inquiens, contra Ramistas ita discurrimus: quicunq; tollit omnem materiam, omnem generationem tollit. Atqui qui negat materiam primam, tollit omnem materiam. Er. is tollet quoq; generationes omnes, quod liquidò absurdum est. Minor exinde patet, quia materia secunda prærequirit primam, &c. Connexionem probamus, quia ex nihilo nihil fit naturaliter, &c. *Notetur, quod dixit Cl. Dn.* Scharffius: contra Ramistas *argumentum esse ductũ. Illos igitur, qui hodiè negant materiam primam & primum generationis subjectum, socios esse Ramistarum (quorum dogmata in Scholis nostris dudum damnata esse putabam) indigitat.*

§. 8. *Sed fundamentum hujus rei in ipso Dissertationis Au-*

eore quæramus. Statuit is de materia, quod recipiat formas, Institut. Phys. l. 1. c. 2. q. 3. p. 63. & in Defens. lib. 2. c. 10. p. 338. ubi ad generationem receptionem formæ refert, talem propositionem formans: Quæcunque accuratè loquendo non generantur, nullam etiam per generationem formam substantialem recipiunt. Optimè. Recipere autem est materiæ, in quantum ea subjectum est, unde quoquè Autor ipsam subjectivè causare affirmat Inst. Phys. l. d. c. 3. p. 69. Hinc fluit syllogismus: quidquid est potentia physicè & realiter receptiva formarum per naturalem generationem, illud est subjectum generationis. Atqui materia physica est potentia physicè & realiter receptiva formarũ per naturalem generationem. Er. materia physica est subjectum naturalis generationis. Major constat, siquidem nullibi materia recipit formam, nisi in generatione, quæ aquè ac forma, requirit subjectum; ut proinde unum utriusq; sit subjectum. Porrò sicut Philosophi rectè argumentando procedunt: Datur materia; Er. Datur materia prima, &c. ita quoq; rectè progreditur argumentãdo, qui sic progreditur: Datur subjectum physicum, formarum per naturalem generationem receptivum. Er. dabitur quoq; primum subjectum, formarum per naturalem generationem susceptivum, adeoq; primum generationis subjectum. Quâ igitur fronte Autor materiam primam negat?

§. 9. Nunc ad thesin Autoris, ejusq; probationem, §. 4. in lucem protractam. Quidnî erit jam materia prima, quæ propriè sola & una materia est, subjectum generationis, in quo omnes generationes fiant? Et quî negatur, ullam unquàm in materia prima factam fuisse generationem? Propterea, inquit Autor, quòd omnes generationes loco subjecti habeant materiam secundam. Accepto, & addo, quòd eô ipso, quô naturales generationes pro subjecto habent materiam secundã, habeant quoq; primã, quòd vel materia secunda nõ sit sine prima, vel ab ea non differat substantialiter. Imò si doctissimorũ Philosophorum vestigia sequimur, siq; rationem ipsam consulimus, propriè nulla materia physica est, quam materia prima. Ita acutissimus & de Philosophicis Scholis meritissimus Dn. D. Jac. Martini in Exer. Metaph. 4. theor. 3. p. 158. & in Part. Metaph. sect. 8. q 1. p. 344. Ita Svarez, ita quivis alii. Nihil aliud dicunt, quantum ad rem, qui statuunt unam communem materiam, quam omnia corpora naturalia participent, & quæ sit communne omnis generationis subjectum; ita B. Sennertus d. Tr. de C. D. p. 72. Sicut enim materia secunda est propria alicujus rei materia, ita mate-

materia prima est communis omnium materia, & commune omnium formarum subjectum, ita Cl. Dn. Scharff. l.d.p.101. in ax.10.& 12.

§. 10. *Not. quòd dixi:* quòd vel materia secunda non sit sine prima, vel ab ea essentialiter non differat. *Observandum enim hic, quod* Svarez Disp. Metaph. 13. s.1. n.3. p.250. *inculcat*, materiã physicam *dupliciter considerari posse*, vel *in primo suo momento*, vel *in secundo. Id quod exponam verbis Excell. nostri Sthalii. Ex materia prima non fit aut constat quidlibet simpliciter, sed oportet, ut ea certis dispositionibus sit determinata, ut hujus vel illius corporis materia actu esse possit, sic materia, ut est sub forma aeris, habet alias dispositiones & qualitates, quàm ut est sub forma aquæ; sub forma namq; aeris calore & levitate est affecta, sub aquæ verò est affecta frigore & gravitate. Hinc igitur 1. potest* materia secunda *dici ipsa materia prima, simul sumta cum his vel illis dispositionibus, vel, ut certis dispositionibus constat. Et juxta hanc explicationem materia prima & secunda non sunt duæ materiæ, sed una materia, quæ quatenùs præscindit á dispositionibus, vocatur prima, quatenus verò consideratur ut habens dispositiones, appellatur secunda. 2. Alio modò potest explicari* materia secunda, *prout sumitur pro composito ex materia prima & forma, & dicitur materia prima, quia subsitat alicui formæ ut accidentali, & ex ea componitur aliquod compositum per accidens, secunda autem dicitur, quia constat ex alia materia prima. Sic materia secunda est homo; materia quidem est, quatenus subsitat suis accidentibus, e.g. albedini, & cum albedine constituit album. Secunda autem materia dicitur, quia & ipsa ex materia constat. Juxta hanc secundam acceptionem materia prima & secunda sunt duæ secundùm rem distinctæ materiæ. Ita* Cl. Dn. Stahlius in Instit. Phys. l. 1. cap. 3. ad Præcept. 6. Et in Instit. Metaph. cap.16. dist.2.

§. 11. *Ægrè fert Dissertationis Autor, quòd materiæ primæ existentia probari soleat à transmutatione elementorum, cum tamen talis non detur, & præterea materia elementorum materia determinata, adeoq; non prima, sed secunda sit, & alius formæ alia sit materia. Ad alterum hoc ex* §. antec. *& ex* Theor. C. N. Disp. 8. §.22. *responsio patet, scilicèt materia elementorum & prima & secunda materiæ dici potest; Materia siquidem secunda physica ratione substantiæ non est alia, quàm ipsa materia prima, una & communis illa omnium rerum naturalium materia* à B. Dn. Sennert. in Tr. de c.D.c.7. p.72. Cl. Dn. Scharff. P.R. per. gen. l.1. c.2. Ax.10. & 12. p.101. *cum potissimâ*

Philosophorum Corona eô nomine commendatu. Nec video, quomodo Autor illam materiæ physicæ unitatem & communitatem negare possit, cum eandem profiteatur in Tract. de Orig. for. p. 312. ubi ad objectionẽ aliquam respondens, in hæc prorumpit verba: Omninò alia materia proxima est animãtis, & alia seminis, & alia sanguinis. Quoad materiam remotam verò argumentũ concedi nequit, aliàs ita argumentarer, &c. Et post argumentum pergit: Et hoc est, quod communiter docent, corpora naturalia materiâ convenire, formâ disconvenire. Rectissimè. Optimè. Hæc cum Dn. Sennerti, Dn. Scharffii aliorumq; Philosophorum doctrina sunt consentientissima. Scilicet alius materiæ status, alia ejus sub aliis dispositionibus, aliisq; formis conditio non reddit materiam aliam in substantia. Sed de hac re inferius plura.

§ 12. Prius (quod transmutationem elementorum concernit) ab Autore motum, sine causa ab eo negatur. Qua in re quidem non est, ut h. l. à me transmutatio elementorum probetur, (cum ex una disputatione non debeant fieri plures) sed ea hîc supponitur ut alibi probata. Interea hoc Autori suggerimus, quod ne quidem Dn. Sennertus p. m. transmutationem elementorum negaverit, sed statuerit, eamq; in natura dari probaverit, sicut videre est in Epit. N. S. lib. 3. c. 3 p. 272. sq. In eaq; sententia perstitit in Tr. de Conf. Dist. C. cum A. & G. c. 2. p. 12. Ubi transmutationem metallorum dari probaturus, aliarum rerum naturalium transmutationes inducit, & transmutationis elementorum mentionem primùm injecit, ajens: ut jam de elementorum transmutatione nihil dicam, &c. Ut sic concedat eam, cum præsupponat, & ex ea fundamentum probationis petat. Et quî negabitur elementorum transmutatiò, (ut hoc ἐν παρόδῳ addam) cùm (1.) in illis primò sint prima trãsmutationis principia, nimirum primæ qualitates, in se mutuò activæ & c. cùm 2.) alia sint transmutabilia propter elementa? Propter quod enim unumquodq; tale est, id magis est tale. Et sanè si elementa inter se non transmutentur, quî transmutatio imponi possit metallis aliisq;, non pater. Sed de hac re suo locò citiùs feliciùs.

§. 13. Ex dictis illud quoq; refellitur, quod Autor de ultimo corruptionis subjecto in medium proposuit, male, inquiens, faciunt materiam primam ultimum corruptionis subjectum, cum corruptiones subjecti loco habeant materiam secundam, non primam, &c. Resp. Certè quo jure materia prima constituitur primũ generationis subjectum, eo quoq; ultimum corruptionis subjectum. Quo jure aut-

autem & quô fundamentô materia prima constituta sit primum generationu subjectum, paragr. prioribus constitit. Scilicèt utrumq; jam verum est, materia prima est subjectum corruptionis, & materia secunda est subjectum corruptionis, cum una in substantia sit materia; cum hoc tamen discrimine, quod materia prima est ultimum subjectum, materia verò secunda non est ultimum subjectum, cùm non in hanc, sed in illam ultimò corruptio recipiatur.

§. 14. Quò facit observarè, quomodo materia prima dicatur immediatum generationis & corruptionis subjectum. 1. Notetur, quòd ibi negatio involvatur, quæ voce immediati significatur. 2. immediatum generationis & corruptionis subjectum potest dupliciter intelligi: vel intuitu materiæ, vel intuitu dispositionum in materia, h.e. vel quòd neget aliam materiam, quòd nimirum, nulla alia materia interveniente, in ipsa generatio & corruptio perficiatur; vel quòd neget dispositiones in materia, utpote quæ nullum in ea, ad generationes & corruptiones subeundas, locum habeant. Non hoc posteriori, sed priori sensu materia prima dicitur immediatum generationis & corruptionis subjectum, scilicèt quòd negetur prior & antiquior materia; unde primum generationis, & ultimum corruptionis subjectum nuncupatur. Intelligit sic Autor, quomodo intelligendum sit, elementorum transmutationem immediatè fieri in materia prima, (quod ipsi mirum videtur in verbis sup. §. 4. allatis) nempe tanquam in uno immediato subjecto, mediantibus tamen & conferentibus dispositionibus, quæ à causis generantibus descendunt, & materiam, ita loquendo, in alio & alio statu esse faciunt, aliterq; & aliter se habere jubent. Id quod etiam in artefactis videre est. Sic unum idemq; lignum à variis artificibus variè elaborari & præparari potest, ad variorum artefactorum effectionem. Sic una & eadem aqua nunc calorem recipit, nunc frigus, nunc dulcis, nunc acida redditur, nunc nigro, nunc viridi, nunc rubro aliovè colore imbuitur, &c. Ut sic pateat, unam substantiam varias dispositiones, per vices, suscipere posse.

§. 16. Pergit Autor, & quam superiùs datis & prolatis probavit sententiam, jam declarat. Declaratio his data verbis: Et qualem hic urgent materiam, quæ generationis & corruptionis subjectum sit? Quorsum huc generatio? Quorsum corruptio? Non hoc materiæ, qualiscunque etiam ea fuerit, primarium munus, subjectum generationis aut corruptionis esse. Hinc generari etiam & corrumpi non omnibus corporibus naturalibus commu-

ne

ne est, sed peculiare saltem aliquibus. *Non data fuit à natura materia*, subtilissimus habet Scaliger, *ob transmutationem ad generationem primò & per se; ut, ubicunq; sit, etiam sit generatio, sed ad subsistendum formæ corporeitatis in substantia, & recipiendi quantitatem & figuram.* Et paulò pòst: *Hæc de causis primario Dei consilio materia creata est: secundariâ verò ac minùs nobili utilitate, propter generationem.*

§. 16. *Ast non est, ut Autor de illis ullam ampliùs admirationem concipiat, cum & probata hactenus & declarata sit talis materia. Nec obstat, quòd ait Autor*, non hoc materiæ primarium munus esse, subjectum generationis & (&, *non*, aut) corruptionis esse. *Contrà*, I. *Concedit hîc Autor, esse id munus materiæ, sed non primarium.* II. *Et quis, quæso, unquàm dixit, quòd illud sit primarium materiæ munus! Cui ergo illa verba opponit? Larvis.* III. *Quid mihi opponit verba Scaligeri? Nonne ego eôdem modô hanc rem exposui, nonne in eam rem eadem verba Scaligeri in medium proposui, meoq; proposito accommodavi in* Theor. C. N. Disp. 6. §. 35. 38. IV. *Nonne Autor, dum illud Scaligeri pro se allegat, & suum facit, cum Scaligero, Aristotele & aliis veræ Philosophiæ Peripateticæ addictis, statuit unam transmutationis & constitutionis materiam? Nonne sic Scaliger:* Non data fuit à natura materia (*una & eadem materia*) ob transmutationem ad generationem primò & per se, *&c.* sed ad subsistendum formæ in substantia, & recipiendum quantitatem & figuram. *Nonne* ist hanc ob causam primariô DEI consiliô materiam (*hanc unam*) creatam esse, secundariâ verò ac minùs nobili utilitate, propter generationem, *subtilitatis Magister ait? Ita ait. De hac autem materia quæro porrò, annon, dum transmutationum physicarum est subjectum, vel, dum transmutationibus physicis subjicitur, variis quoq; agentium naturalium dispositionibus subjiciatur? Negari id non potest? Porrò potestne dici de illis dispositionibus, quòd immutent substantiam materiæ hujus, quæ transmutationis & generationis subjectum est. Non potest id dici.*

§. 17. Declarationi *Autor subjungit* vindicationem *in* p. 61. seq. *his verbis:* Neque ullius sunt valoris, quas objectant rationes. Prima (de mutua transmutatione) fundamenti loco Elementorum ponit transmutationem. At dubiũ per æquè dubium, falsum per æquè falsum monstratur. Secunda (de generatione) nil nisi materiam probat, non autem eam, quam primam vocant.

Cor-

Corpora quæ generantur, sanè ex materiâ aliquâ generantur. At quænam illa? Semina scilicet, quæ pro primâ Atistotelis materiâ nemo habuerit. Tertia (de puro actu & purâ potentiâ) Metaphysico innititur Canoni, *dato uno oppositorum, datur alterum.* Verùm si ex mentis conceptu res ipsæ æstimandæ, quid non absurdi tandem invehendum in naturam? Unde & Zabarella rationem hanc Metaphysicam repudiat, eamque Dialecticam, infirmam, nulliusque momenti esse, ac nihil habere necessitatis, ait. Quarta (de compositione corporum) itidem materiam, & quidem simplicem probat. Ex materiâ scilicet & forma oriuntur composita Physica: materia verò semper ex materiâ aliâ composita non est, sed tandem in simplici aliquâ, quæ compositionem omnem respuat, acquiescendum. Quinta (de contrarietate principiorum) sibi parum constat. Contrarietas enim illa in oppositionem privativam degenerat. Quæ privatio cum non detur, nihil probat. Ultima ratio (de essentiali principiorum subordinatione) à negatione divisionis ad negationem rei procedit. Manet materia, quamvis hæc tollatur divisio. Et si ita procedendum, facilitate eadem prima probata esset forma. At negant illi hanc; negent ergò etiam illam sequelam. Essentialis quæ subest subordinatio, quendam materiarum infert ordinem, primam autem, prout descripta & explicata fuit, non probat materiam. Præter rationes has nonnulli provocant ad consensum Patrum & Scholasticorum. Sed vanum id est. Physicus enim Naturam & Scripturam admittit, cætera parvi æstimat.

§. 18. *Nimirùm Autor in* Inst. Phys. l. 1. c. 2. q. 1. p. 50. *sex probationes Aristotelicorum in medium attulerat, hoc ordine, his verbis:* esse materiam hanc primam, probare satagunt è mutua transmutatione, è generatione, è puro actu è compositione, è principiorum contrarietate, ex eorundem essentiali subordinatione; *quas ex multis Autoribus collegit, sicut* l. d. p. 50. 51. 52. *videre est. Ad has probationes respondit* in quæst. seq. p. 58. seqq. *illasq; responsiones, sub titulo vindicationis, huc transtulit. Sed illæ nostræ in probationes vendicandæ & salvandæ nobis sunt.*

§. 19. *Responsionem ad I. probationem quod attinet, negat ea & rejicit id, super quod argumentum extructum est, elementorum nimirùm transmutationem. At contrà I. non tantùm de elementorum, verùm aliarum rerum naturalium transmutatione argumentum for-*

mandum venit h. m. Dantur rerum naturalium transmutationes. Er. datur commune subjectum eas in se recipiens. Antecedens, praterquàm quòd sit verissimum, & experientiâ satis comprobatum, est Dn. Sennerti in Tr. de C. D. c. 2. p. 12. Consequentia quoq; est Dn. Sennerti in d. Tr c. 7. p. 72. Sicut superiùs constitit. 2. Elementorum in specie transmutationem quod concernit, eam §. 16. pauculis attigi, ejus q; fundamentum breviter exposui; ea suo locô cum Deo & die pluribus probabitur, & ad opposita argumenta respondebitur. Ut sic omninò suus prima nostræ probationi stet vigor. Vel formetur argumentum ex loco Scaligeri ab Autore citato, sic: Quicquid in se recipit omnes transmutationes naturales, id est primum & commune earum subjectum. Atq; materia Physica recipit in se omnes transmutationes physicas. Er. materia physica est primum & commune earum subjectum. Res eôdem recidit. Atq; h. m. videmus etiam consensum Scaligeri & Sennerti.

§. 20. II. Alteram rationem à generatione naturali desumtam, convellere nititur (1) eô, quod nil nisi materiam probet, non autem eam, quam primam vocant Aristotelici. At contrà si materiam probat, aut primam, aut secundam. Si primam, habemus, quod volumus. Si secundam, & quidem, qualè Autor noster ponit, compositam; Er. ea componitur ex aliqua priori. De hac iterum quæro; vel est materia prima & simplex, vel secunda & composita. Si dicatur, quòd secunda, dabitur progressus in infinitum. Ut sic omninò validum & efficax sit illud argumentum, quod etiam Clar. Dn. Scharffio placet in l. sup. d. p. 86. qui p. 85. sic arguit: Datur materia physica. Ergo etiam danda materia prima &c. Vid ibid. Imò si doctissimis Philosophis credimus, non est alia materia physica propriè dicta, praterquàm hac prima, ita Suarez, pl. Rev. Dn. Jac. Martini (quem vid. ll. sup. §. 4. dict.) Mendoza, & cæteri. (2) Aliam materiam, quæ generationum physicarum principium sit, Autor substituit. Quænam est illa? Semina scilicet. At contrà 1. generantur ne omnia ex seminibus? Negat Dn. Senner. p. m. in Hyp. 1. ca. 2. p. 12. Cl. Dn. Scharff. P. R. par. Spec. l. 6. c. 5. p. 875. Ignota naturæ vox est, omnia, quæ generantur & fiunt, ex semine generari. 2. Quin ipsa semina generantur; Dn. Senner. Hyp. 4. ca. 4. p. 164. & ca. 6. p. 187 188. Cl. Dn. Sperl. Tr. d. Or. for p. 314. resp. ad 2. & p. 371. resp. ad 5. Er. generantur ex aliqua materia. Er. datur

ex

materia prior ipsis seminibus, ex qua isthæc generentur. Nonne subsistendum nobis in aliqua prima materia, sive in aliquo primo subjecto, ex quo omnia generentur? Stat igitur & argumentum nostrum à generatione desumtum.

§. 21. III. Tertium argumentum quod attinet, quod est Conimbricensium; dico 1. quamvis illud non eâ gaudeat firmitate, quâ cætera, nihil obstat; sunt siquidem alia nobis satis valida, ad quæ Autor, scio, non respondebit. Nec argumentorum numerô, sed ponderе res agendæ sunt, ut propterеà ratione & probatione istâ carere queamus. 2. Nec omnes probationes Dialecticæ rejiciendæ sunt, aliàs plurimæ Autoris abjiciendæ essent, cum plurimæ ex Topicis fontibus fluant, paucissimæ, penè dixerim, nullæ ex Analyticis. 3. Nec quando ex naturâ oppositorum fit argumentatio, ex solo & puro mentis conceptu, ut Autor putat, res æstimantur.

§. 22. IV. Ad responsionem quarti regero, illa Autorem materiam nostram primam indigitare, & indigitando statuminare. Quam enim is materiam simplicem dicit, nos primam nominamus. Estq; idem id nostrum argumentum, cujus summam breviter propono: Datur materia, ex qua componuntur & constant corpora naturalia. Er. oportet dari materiam aliquam primam, simplicem & incompositam. Imò addo, materiam compositam propriè non esse materiam, sed ipsam illam esse propriè materiam, ex qua, & proportionata forma, materia composita, quæ dicitur, ita est composita, ut non detur prior & simplicior materia, ex qua illa sit composita. Et huic rei cautum est in nostra principiorum definitione, quâ dicitur, principia non debere esse ex aliis. Er. illa erit vera materia physica, & verum principium rerũ naturalium compositivum, quod ex alia materia non est compositum. Conf. Theor. C. N. Disp. 5. §. 45. Illud autem, quantum ad hoc, est materia prima, vel, ut Autori salutatur, simplex. Ut propterеà illud argumentum nostrum maneat.

§. 23. V. Quintam nostratium probationem elidere conatur eô, quòd contrarietas illa, à qua petitur argumentum, in oppositionem privativam degeneret; quæ privatio autem hîc non detur. Contrà 1. Privatio & privativa oppositio (quæ duo Autor, indicante pronomine quæ, iterùm confundere videtur; vid. Disp. antec. §. 79. & 81.) sunt distincta. 2. aquè privantia commune subjectum postulant, ac contraria propriè dicta. Sic visus & cæcitas sunt in oculo, scientia & inscitia, virtus &

vitium in animo. 3. Privationem hanc, formæ substantialis physicæ oppositam, non dari, frustrà dicitur. Contrarium Disp. antec. satis superq; probatum dedimus. Ut propterea argumento manu at suum robur: privatio formæ & forma postulant commune subjectum physicum. Er. tale subjectum in Natura dabitur. Id autem non est aliud, quàm materia prima, qua commune generationis & corruptionis subjectum est, in quo forma & ejus privatio per vices insunt, vel, ut Piccolomineus habet, quòd modò sub hac, modò sub illa sit. Stat igitur & hoc argumentum.

§. 24. VI. Probatio sexta non est desumta, ut Autor putat, à negatione divisionis ad negationem rei, sed à subordinatione; nec, dum in hac quæritur probationis fundamentum, quæri potest in illa. Hoc enim est argumentum: Si dantur materiæ secundæ & speciales, dabitur etiam materia prima; aut si hæc non datur, neq; erunt aliæ materiæ sub illa; materiæ siquidem secundæ & posteriores sunt ex illa, & sustentantur ab illa. Cui subjungitur argumentum ab inconvenienti; Si dantur materiæ secundæ & speciales, non autem prima aliqua, erunt infinitæ materiæ in rebus naturalibus. Deinde si à divisione argumentum petatur, cur à positione unius membri dividentis ad positionem alterius non sequatur collectio, ego non video. Autori datur materia simplex, quia datur composita, (vid. ejus Instit. Phys. l. d. p. 47. 49.) aliis autem non dabitur materia prima, quia datur secunda. Nec est, ut Autor pergit, quòd eâdem facilitate probata sit forma prima. Minimè. Neque enim forma dividitur in primam & secundam, sicut materia in primam & secundam. De hacre vid. sup. Disput. 1. §. 24. 25. Non igitur datis responsionibus enervata fuit Pererii probatio.

§. 25. Vindicationi exceptionem Autor subjungit in Disser. p. 63. ausu plane irrito. Neq; enim ego, ut & sup. §. 2. protestatus fui, animum induxi, quidquam de materia primâ, ut subjectum generationis est, disputare, sed tantùm in considerandâ & explicandâ materia compositionis occupatus esse volui, ut ipse Autor fatetur cap. 2. p. 50. 54. Et hic (d. p. 63.) etiam scribit, me neque ad probationem, neque ad declarationem, neq; ad vindicationem ipsius directè respondisse. Quin imò nullo modò, h. e. neq; directè neq; indirectè, ad illa ab Autore in Instituto suis disputata, & hactenus examinata, regerere quid volui, sed illa omnia planè intacta reliqui, & alii commodiori loco atq; occasioni reservavi. Ut proinde illa, quæ Autor in Dissert. pag dict. subjungit, minimè sint exceptiones ad ipsius responsa, sed excerpta quædam:

dam ex Disput. mea 8. *quæ ipsa huic non inferam Disputationi, de illis* seq. Disp. *acturus.*

§. 26. *Sed quædam circa finem* cap. 3. *ab Autore proposita video, quæ commodiùs ad hanc revocantur Disputationem, quàm ut sequenti immisceantur, cùm ea concernant vel maximè* τὸ *an sit materia prima & quid sit illius. Ea leguntur* p. 96. 97 sq. *& incipiunt ab illis verbis:* Zabarella aliàs nullam esse aliam viam dicit, quâ ad primæ materiæ notitiam pervenire possimus, nisi illam unam, quâ Aristoteles in illo primo libro usus est, sumptam à mutatione substantiali: & hoc uno medio ostendi posse primam materiam dari, & nullo alio. Autor etiam in principiorum probatione ait, Aristotelem docuisse principia investigare ex rerum naturalium generationibus & corruptionibus. Declarationis gratiâ addit: *Cogitet quispiam & nobis edisserat, unde quotidianus rerum interitus, & succedanea earundem generatio, nisi daretur subjectum, ex quo fierent, & quod per vices illud transmutaret, cum per generationem, hoc est, productione physicâ ex nihilo nihil fiat.*

§. 27. *Rectè. Zabarellam quod attinet, non loquitur is de qualibet probatione, quasi nullo alio modò probari materia prima possit, sed loquitur is de demonstratione, sicut expressa docet litera in* Ejus lib. 1. de mat. pr. ca. 3. col. 134. & ca. 5. col. 138. *Nec ego declarationis gratiâ, ut Autor habet, sed probationis locô illa, ex* Disp. 5. §. 7. *repetita, posui, uti attenti ùs ea legenti patebit. Est & ipsum illud argumentum, quo materiam à posteriori ostendi Zabarella dixerat.*

§. 28. *Sed quid ad hæc Dissertationis Autor?* Sed responsum est, *inquit* p. 97. omnes generationes, omnesque corruptiones, in materiâ secundâ fieri. Quod responsum non nisi obliquè tangit Autor, putans differre parum materiam secundam à primâ, nec aliam materiam naturam noviisse, quàm primam illam Aristotelis. Tanta scilicet vis opinionum præconceptarum est. Sed multùm differunt Peripatetici is prima & secunda materia, quanquâ alii aliter loquantur. Ita de re hac in Institutionibus l. 1. c. 2. q. 1. *Materiâ secundâ nunc corpus, nunc vel corpus, vel formam esse ajunt. Corpus hoc in tres dividunt gradus: primum Elementa tenent, secundum partes similares, tertium partes dissimilares.* Quâ ratione omninò materia secunda à primâ realiter differt. Et si Elementorum materia, secunda est, ut concedit Autor, dico universam naturam non noviisse aliam materiam, quàm secundam. Argumentor. Quam-

cunq; materiam in omnibus mundi speciebus natura nobis obfert, ea sola naturæ materia est. Atqui materiam secundam in omnibus mundi speciebus natura nobis obfert. Ergò materia secunda sola naturæ materia est. Major clara. Minor Autoris est.

§. 29. *Contrà I. Dictum suprà & evictum est, omnes generationes & corruptiones eô ipsô, quòd fiunt in materia secunda, fieri quoq; in materia prima, per abjectionem prioris formæ, & amissionem dispositionum formæ illi inservientium. Ut proinde relinquatur, nullo modô substantialiter, sed tantum accidentaliter differre materiam primam & secundam, juxta primam eamq; propriam acceptionem. Etenim* (1) *unam esse materiam, quæ sit commune subjectum omnium mutationum physicarum, omniumq; formarum, quæ generatione introducuntur, ex Dn. Sennerto, Dn. Scharffio, Dn. Sperlingio supr. fuit ostensum.* (2.) *Omnes dispositiones (sicut & ipsæ formæ substantiales) accidunt materiæ, suntq; extra essentiam illius. Materia enim sicut secundùm se à formis denudata est, ita & à dispositionibus. Et illud, si expedirè loqui velimus, est materia, quod simpliciter distingvitur ab omni forma, & à quo excluditur omnis forma, sive cui nulla inest forma propriè loquendo, & ex qua omnia corpora physica, junctione formæ, composita existunt. Hoc quidem verum est, quòd materia in natura non existit sine formis, adeoq; nec sine dispositionibus, cùm sine certis & specificis dispositionibus forma nulla sit in materia; sed aliud est, loqui de essentia materiæ, aliud, loqui de ejus statu, cui in natura subjecta est. Et vi hujus, materia sicut multis & ferè infinitis stipata est formis, ita quoq; quamplurimis & infinitis ferè dispositionum gaudet varietatibus. Hîc quomodo dispositiones, quomodo ipsæ formæ attinebunt materiæ physicæ substantiam? Substantia materiæ simplex est & incomposita. Ex quo tandem colligitur, materiam primam, quæ est materia simplex, secundum se omnibus vacans dispositionibus, & materiam secundam, quæ est eadem illa materia sub certis dispositionibus, accidentaliter tantùm, nullo modò ratione substantiæ sive entitatis, differre.*

§. 30. *Sed hanc rem ex aliis Doctoribus Autori manifestam faciamus. E multis tres eligo.* Plur. Rever. Dn. D. Jac. Martin. in Exer. Metaph. lib. 2. Exer. 3. Theor. 10. p. 622. *ita:* quocirca sola materia, prout materia est, recipit: sed tamen ut certa forma recipiatur, oportet adesse materiæ certam conditionem & dispositionem, non secus ac lumen in aëre recipitur, sed non sine conditione illa, ut sit aër διαφανὴς. E materia itaque prima nihil ge-

nc-

nerari potest, licèt ex ejus gremio educantur omnes formæ, nempe hac lege, ut habeat certum apparatum, quô evasit materia secunda & proxima. Er. ex proxima materia generantur omnia, quæ generantur. *Consentiunt his illa, quæ Autor habet* Tr. de Or. For. p. 312. Omninò, *inquiens*, alia materia proxima est animantis, alia feminis, alia sanguinis. *Et mox ait*, in materia (*scil.* remotâ) omnia corpora convenire, formâ verô, *adeoq; & materiâ proximâ (cum alius forma alia materia sit)* disconvenire. *Addo Cl. Dn. Scharffium, qui in* P. R. l. d. ax. 12. p. 101. *sic hanc rem exponit:* Prima materia est eadem & comunis, non v. secunda. Hæc enim quia (NB. quia) est & stat sub certa & determinata quadam formâ, & determinata quadam dispositione ad eam formam necessariò requisitâ, omninò est diversissima. *Ubi diversitas illa dispositionibus alius & aliis adscribitur. Pertinet huc* tot. cap. 2. Hypom. 1. Dn. Sennerti p. 38. sqq. *in quo materia secunda (materiam enim primam in sæpè allegato* Tr. de C. D. c. 12. p. 72. *explicuit) conditio eôdem modô exponitur, quô benevolum Lectorem amandatum cupio.*

§. 31. *Pergo II. ad reliqua. Ea, quæ Autor subjungit de materia secunda, alio & alio modò sunt intelligenda. Elementa, quæ corpora sunt determinatarum specierum, propriè non sunt materia secunda; nec ea ingrediuntur constitutionem misti. Quod autem partes similares & dissimilares attinet, sunt illa materia prima sub talibus dispositionibus, & sub tali structura. Unumquodq; enim generans præparat materiam pro formæ, quam vult introducere, accommodatione. Et sicut præparatio materiæ in metallorum, in lapidum aliorumq; generatione effectivè est à generante, in materiam autem recipitur; ita quoq; in generatione viventium præparatio materiæ, quæ est organica constructio, à generante provenit, & in materiam recipitur, receptaq; in ea sustinetur. Viventia enim sicut sunt nobiliora inanimatis, ita quoq; nobiliorem virtutem agendi habent; ita quoq; nobiliori modò generant, adeoq; nobiliori modò materiam suæ generationi subjectam disponunt & elaborant, prout nimirùm unicuiq; viventium speciei conveniens est. Et hoc est, quod Autor* h. cap. 3. p. 60. *dixit*, aliam materiam esse alius formæ.

§. 32. *Tandem III. Non si elementorum materia secunda est, ut indigito in* Theor. C. N. Disp. 8. §. 39. *universam Naturam non aliam novisse materiam, quàm secundam, eò quidem, quo Autor putat, modô, consequitur. Ita enim statuo, illorum materiam esse secundam,*

ut

ut statuam quoq; esse primam. Videatur dicta mea Disputatio, & res liquidò patebit. Et rem eò modò se habere, liquidius jam efficiam. Materiam elementorum esse materiam primam, statuit Pl. Rev. Dn. Jac. Martin. in Exer. Metaph. l. 1. Exer. 4. Theor. 3. p. 158. & in Partit. Metaphys. l. 1. sect. 8. q. 1. p. 454. Dn. D. Senner. p. m. in d. Tract. d. p. 72. Cum sola forma, inquit, etiam in elementis, totam rei essentiam non compleat, necesse est adhuc aliquid &c. quod quid aliud esse possit in elementis, quam materia prima, non video. Imò Clar. Dn. Scharffius in P. R. par. gen. l. 1. c. 2. p. 81. materiam primam propriè elementorum materiam esse pronunciat. Similiter in part. spec. l. 1. c. 5. p. 453. Autor verò Dissertationis statuit materiam elementorum esse materiam secundam, vid. h. c. 3. p. 60. 74. & 98. Anne jam hi Autores pugnant? Aut fortean ego mihi non consto, qui materiam elementorum & primam & secundam materiam esse statuo? Minimè. Minimè. Nulla ibi pugna, nulla in mea assertione involuta contradictio. Modò attentè legantur & perpendantur illa, quæ Autor Dissertationis h. l. p. 64. 65. 66. ex Theor. C. N. Disp. 8. §. 22. 23. 39. sqq. transscripsit; de quibus judicium docto & candido lectori ego submitto.

§. 33. Ex dictis jam claret, quid ad argumentum ab Autore p. 89. subjunctum, & sup. §. 28. adscriptum, sit respondendum. Supponit illud, ac si materia prima & secunda sint realiter distinctæ materiæ; quod esse falsissimum, ex dictis manifestum est. Potiùs ita argumentum informandum venit: Quamcunq; materiam nobis Natura primò (NB. primò) in omnibus rebus naturalibus offert, ea sola propriè & verè Natura materia est. Atqui materiam primam Natura nobis primò in omnibus rebus naturalibus offert. Er. materia prima sola propriè & verè materia est. Vel hoc modo: Quamcunq; materiam Natura nobis in rebus naturalibus offert, illa sola materia physica est. Atqui materiam primam, communem illam à Dn. Sennerto ipsoq; Autore inculcatam materiam, sub certis & determinatis (pro qualibet re naturali) dispositionibus, Natura nobis in omnibus rebus naturalibus offert. Er. illa sola, materia nimirum prima, communis illa rerum naturalium materia, sub certis & determinatis (pro qualibet re naturali) dispositionibus, erit materia physica.

§. 34. His expeditis sequentia Autoris verba consideremus. Ita ib. p. 98. Notandum autem, non sufficere ad primam Aristotelis materiam, ipsam materiæ substantiam. Hanc nemo negat, cum cor-

corpus sine materiâ animatum sine animâ sit. Controversiæ status ille est, an Materia prima, prout describi solet, in rerum naturâ sit? Hinc semper limitatio à me facta. Dico: Primam illam (tribus paginis antecedentibus descriptam) materiam non nisi in libris & hominum cerebellis deprehendi, facilè spectat, quicunque à præconceptis opinionibus liber est. Porrò: Deum mundum primitus produxisse, & rebus corruptibilibus potentiam sese multiplicandi concessisse, qui ignorant, illi suam materiam primam formarum diatricem obferant. Rectiùs verò informati, rectiùs sentient.

§. 35. *Contrà 1. ubi nostræ Scholæ docent, aut ubi ego statuo, vel tacitè saltem innuo, ad materiam primam sufficere substantiam materiæ? Nullibi Substãtia sive entitas ejus substernitur, officium formale, in quo est materia prima, ei quasi innititur, sic quòd materia substantiâ suâ se exhibet omnibus compositis physicis, omnibusq; mutationibus physicis, quas in se recipit, &c.* 2. *Non est ea limitatio, sed præcisa quæstionis negatio, quàm mox sequentibus verbis repetit. Ast contrà: Materiæ primæ, ut eam ex Aristotele definimus, existentiam nostrates pluribus probare solent, quorum probationes superiùs à nobis vindicatæ fuêre. Et aliam, quàm fictitiam materiam, illi nobis offerunt, ejusmodi nimirum, quæ sit subjectum omnium formarum physicarum substantialium, cùm illis composita physica constituens, quæq; sit subjectum reale physicum generationis & corruptionis, quæ non nisi in ipsa fieri possunt.* 3. *Quòd ultimò admiscet potentiam se multiplicandi à Deo rebus creatis concessam, h. l. valdè impertinenter fit, nihilq; ad præsentem tractationem facit. Non etenim de formarum origine hic est disputatio. Et de ea alibi mentem meam exposui.*

§. 36. *Pergit:* Eò ergò tandem res redit. Materia prima describitur, massa aliqua communis, infimus entis gradus, subjectum generationis, subjectum corruptionis, habens quantitatem indeterminatam, potentiam ad omnes formas, appetitum ad formas præsentes & absentes, amorem concupiscentiæ, desiderii, & complacentiæ, omniq; formâ cùm substantiali, tùm accidentali destituta. Hanc materiam dico, nullibi haberi in rerum naturâ. Nequit applicari cœlo, nequit stellis, nequit elementis, nequit mixtis. Quid ergò laboramus de re nihili? Tutius est, præeuntem sequi naturam, quæ explicat seipsam.

§. 37. *Qualis ista descriptio materiæ? 1. Si omnia illa, quæ in re sive objecto considerantur, conferenda & referenda ad ejus descri-*

ptionem, mirabiles omnium rerum descriptiones prodibunt. Conglomeremus illa, quæ de Homine, quæ de Mundo, quæ de Natura cognoscuntur, & descriptiones inde conficiamus, nonne quodlibetaria (liceat jam mihi ita loqui) conficientur descriptiones? Sed missis his, dicamus cum Autore: Eò ergo tandem res redit cum traduce. Tradux describitur præsentia formæ in materia, quâ forma, quæ seipsam multiplicat, promovet & propagat, propagatur à genitoribus, ab eorum anima decisa, ab eorum anima producta, fitque forma in & cum semine ex forma, à forma & per formam, atque in & cum semine in genitū transvehitur. *Quàm bella hæc traducis descriptio!* 2. *Illa, quæ Autor de materia prima attulit, in ea omninò locum habent, & de ea verificantur, ut loquuntur, sive probantur ab Aristotelis Interpretibus, ut in eorum Commentariis videre est; illa autem, ex quibus descriptio Traducis conflata est, (quæ sunt asserta Traducianorum) minimè de illo probari possunt, nec in eo locum inveniunt, ut ei maximè repugnent, sicut in Trad. non-Trad. monstravi.* 3. *Novit Autor, discrimen faciendum esse inter definitionem rei & varia ejus attributa, aliaq; quæ circa eam consideranda veniunt, unde variæ speciales doctrinæ enasci possunt præter illa, quæ definitione vel descriptione exprimuntur.* 4. *Illa, quæ Autor hîc consarcinavit, specialia sunt asserta de materia, quæ cum de professo non pertractet, nec contrarium probet, meritò quoq; ea intacta relinquo. Hoc certum est, difficilia quædam continet doctrina de materia prima. Non autem propterea quòd nos non possumus omnia intelligere, vel capere, ea protinùs neganda sunt.*

§ 38. *Isthanc materiam nullibi haberi in rerum natura* scribit *Autor. Quod hoc ait, non aliunde est, quàm quòd rem, ob difficultatem, non intelligit, & materiæ primæ abyssum penetrare nequit. Falsum est, materiam illam non posse accommodari cœlo, stellis, elementis, mixtis. Falsum, inquam, cum sit verum compositionis physicæ principium, utpote quod, ut cum Scaligero & Autore (sup. p. 61.) loquar, non datum fuit primò ob transmutationem ad generationem, sed ob compositionem, ad subsistendum forma in ipso &c. Quid hoc effatò clarius esse potest? Vult illud, materiam compositionis & generationis non nisi unam eandemq; in substantia esse. Accedat B. Melaneri (quæ aliorum quoq; est doctiorum Philosophorum) sententia. Ita ille in* par. 1. Philos. lobr. sect. 3. c. 2. q. 2. p. m. 723. studiosè hîc notandum, quòd divisio materiæ in materiam componentem & generantem (*sive compositionis & generationis*) non sit divisio generis in diversas species, sed duntaxat extrinseca distinctio unius ejusdemque ma-

materiæ, ratione officii & proprietatis diversimodè consideratæ.

§ 39. *Eandem hanc materiam tanquàm principium* generationis & compositionis *introduxit* B. Dn. Sennertus in d. Tr. de C. & D. Chim. cum A. & G. c. 7. p. 72. generationis *quidem (liceat iterum tanti viri adscribere verba:* δὶς καὶ τρὶς τὸ καλὸν) *dum sic scribit & colligit:* cum generatio & corruptio, rerumq; naturalium transmutatio negari non possit, nec materia prima negari potest. *Et mox:* Quicquid fit, fit vel ex nihilo simpliciter, vel ex aliquo. Prius hîc locum habere non potest. Er. fit ex aliquo. *Et illud statim dicit esse* materiam, quæ habeat privationem rei, quæ gignitur. Compositionis v. materiam *ipsam eandem inculcat his verbis:* Cùm enim sola forma, etiam in elementis, totam rei essentiam non compleat, nec, ut res sit quanta, à forma habeat, necesse est, aliquid adhuc in rebus materialibus inesse, quod cum forma totum constituit, formamque sustinet, quod quid aliud esse possit, quàm materia prima, non video.

§. 40. *Non ergo laboramus de re nihili, non fictitiam, non in cerebris hominum natam habemus & docemus materiam, sed, præeuntem sequentes naturam, illam docemus, quæ reverà tùm compositionis tùm generationis principium in Natura existit. Audiat Autor B. Dn. Sennerti verba, quæ* sup. *§. 6. in medium sunt proposita, illisq; moneri & moveri se patiatur, ut materiam primam unam veram & bonam pulchramq; habeat, nec ipsam vituperet, aut, nescio, quibus verbis temerè proscindat & prostituat.*

§. 41. *Denig; Autor, colophonem capiti impositurus, repetit nonnulla ex prioribus, & in summam redigit, sic scriptitans:* Singularia corpora singulares habent materias. At non de his disputat Physicus, sicut non de Petro, non de hoc cane, non de hoc equo. Species verò corporum speciales habent materias, ad specificas formas ordinatas. Hæ materiæ, vel sunt simplices, vel compositæ: sicut ipsa corpora vel simplicia, vel composita. De his tractat pars Specialis Physicæ. In Generali verò parte, de materiâ in genere agendum, ut & de formâ in genere, de quantitate in genere, de qualitate in genere. Hæc doctrina ut facilima, ut evidentissima: ita & certissima, ac naturæ convenientissima est. Sequatur illam alteram, qui volet decipi.

§. 42. *Ast contrà (1) singularia corpora accuratè loquendo, non habent singulares i. e. individuas materias, sed singula corpora abscin-*

dunt

dunt partem de communi illa materia; nec species corporum habent speciales materias, logicè intelligendo, sed physicè, i.e. propriam suam vel formis specificis convenientem materiam, vel, ut Autor loquitur, ad specificas formas ordinatam. (2.) Quamvis non de singulis singulorum corporum materiis disputet Physicus, disputat tamen de singulari illa materia, quæ communis (communitate Physicâ) omnium materia est. Nec inconveniens aut absurdum est, à nobis institui disputationes de rebus singularibus. Deus Ens singulare est; de eo non solùm SS Theologia, verùm & præcipua Philosophiæ pars pertractat atq; disputat. Quin imò Mathematici & Physici de stellis miraculosis, ut de stella, quam viderunt Magi tempore Nativitatis Christi, de stella, quæ anno 1572. apparuit in signo Cassiopeæ, de Cometa, qui visus fuit anno 1618. &c. quæ omnes sunt singulares stellæ, disputant. Alia hîc taceo, & ad sequentem Disputationem, in qua de professo hæc considerabuntur, amando.

§. 43. (3.) Divisio, quam Autor subjungit, geminò impingit modò 1. quòd supponit materiam primam sive genericam, & illi contradistinctam specialem, cum tamen nulla ejusmodi (neutrius modi) materia detur, sicut ex seq. Disput. luculenter patebit. 2. quòd subdivisio specialis materiæ ponitur, quæ tamen non est illius divisio, (cum talis materia, materiæ genericæ contradistincta, nulla detur,) sed divisio materiæ physicæ juxta latitudinem ejus, coinciditq; cum illa, quâ aliàs in materiam primam & secundam (materiam secundam non primô, ut nos sumimus, sed alterô, sup. §. 10. expositô, ess piendo) dispesci solet. Nec materiam compositam pro materia propriè dicta agnoscimus, cum nullam aliam materiam physicam, accuratè loquendo, habeamus, præterquam illam primam, quæ est commune omnium formarum Physicarum, omniumq;, pro cujuslibet formæ conditione, dispositionum receptaculum, in quo Dn. Jac. Martin. Dn. Sennertum p. m. Dn. Scharffium nobiscum consentientes suprà citavimus, ipsorumq; verbis rem præsentem explicuimus.

§. 44. Nec ultima, quibus Autor caput claudit, verba intacta relinquenda. Commendat is suum dogma à facilitate, evidentia, certitudine, & convenientia cum natura. Facilitas rem totam facit suspectam. Doctrina non quia perceptu facilis est, sed quia cum re sive objecto consentit, probanda & acceptanda est. Difficilia, quæ pulchra, quæ vera. Reliqua commendationis argumenta nulla sunt. Svavia somnia sunt, ut illi, qui solidæ Philosophiæ solidam novant operam, perspectum habent. Tantum.

Disput.

BONO CVM DEO!

DISPUTATIO V.

DE MATERIA.

PRæcedente Disputatione initium & finem cap. 3. *consideravimus; hac mediam dicti cap. partem, quam* exceptionis & solutionis *titulò (sed immeritò, siquidem ego ne quidquam contra ipsum in Disputat. mea gemina de materia in medium proposui, cum ne quidem tractationis meæ limites id permiserint) Autor venditat, perpendendam suscipiamus. Primò is aliquid præfatur, deinde septem classes excerptorum constituit. In præfatione scribit* 1. me neq; ad declarationem, neq; ad vindicationem (*de qua utraq;* Disput. anteced.) directè respondisse; me ipsius verba citâsse in antecedentibus, nunc autem manũ me cohibere. *At resp. non erat animus, in Disput. de materia quidquã ex ipsius scriptis physicis in mediũ afferre, aut contra ipsũ disputare, cum in hac tractatione, quæ erat de materia compositionis, nõ viderem, quod meis adversaretur. Neq; memini, me quidquam ex ipso, quod tractationem de materia compositionis concerneret, citâsse. Quæ in prioribus citavi Disputationibus, de illis quoq; ibidem meam sententiam dixi. Non igitur doctrinæ, nec Disputationes sunt confundendæ. Non ergo urgendus sum, ubi nihil debeo.* 2. *Ait,* me statum controversiæ implicare, ut, an & ubi me ipsi opponam, primô intuitu videri non possit. *Ast frustrà hæc dicuntur. Ut enim professus fui, neq; volui, neq; commodè potui ex Autoris Institutionibus Physicis quidquam, mihi quod adversaretur, in lucem protrahere, cum doctrinæ Aristotelicæ, quam mihi explicandam sumseram, nihil ab ipso oppositum viderem. Sed proprius ad rem accessus faciendus.*

§. 2. *Autor primùm proponit ea, in quibus consentire, pòst illa, in quibus dissentire videmur.* Præcedant ea, *inquit*, in quibus videtur consentire. *Quà consensum primò* p. 63. seq. *ex* Disp. meæ 7. §. 2. *triplicem materiæ considerationem affert, meamq; assertionem, quòd h. l. non sit agendum de materia, prout generationis, sed prout compositionis principium existit, exponit. Modò observandum,* Autorem in p. 64. *ultimis* §. 1. *verbis rem non proponere, ut ego proposui, & ut proponenda erat. Ita scribit:* Aristotelem autem non intendere hoc locô agere de compositione & compositionis principiis, sed

de generatione & transmutatione physica. *Etenim 1. ego non sic; 2. est ambigua ista locutio,* hoc loco (N. B. hoc loco) non intendere de compositione. *Ita posui ego:* Aristotelem in 1. Phys. libro non intendere de compositione &c. *Aliud certè est, loqui de tractatione Aristotelica, & primo Aristotelicæ tractationis libro, aliud, loqui* de loco, *in quo vel Dissertationis Autor, vel ego de materia, prout compositionis principium est, tractationem instituimus. Conf.* Disp. anteced. 3. §. 62.

§. 3. *Aditam meam assertionem ita Autor in* Dissert. p. 73. Pro me est Autor, non contra me. Hæc erat declaratio: Qualem hîc urgent materiam, quæ generationis & corruptionis subjectum sit? Quorsum hùc generatio? Quorsum corruptio? Idem dicit Autor, contra communem sententiam, & contra primum Aristotelis librum. Primas enim huic concedere recusat, quia generationis & corruptionis principia tradit. Manet ergò argumentum immotum. Quicquid non omnibus competit corporibus naturalibus, illius principia ad partem generalem Physicæ non spectant. Generatio non omnibus competit corporibus naturalibus. Ergo generationis principia ad partem generalem Physicæ non spectant. Tollenda ergò è generali parte privatio: aliter etiam ibi describenda materia.

§. 4. Ad *posita dico* 1. *non volui contra Autorem esse. Gratum mihi accidit, in hoc puncto, quamvis non arduo, nos consentire.* 2. Ad *omnia* Disput. antec. *responsum fuit. Omninò hîc urgenda est illa materia, quæ primum generationis & corruptionis subjectum est. Est enim illa ipsa sola & unica vera materia physica. Non autè hîc, ubi de corpore naturali est tractatio, ea urgenda & docenda est, prout generationis & corruptionis subjectum est; eò enim modò de ea agendum in doctrina de generatione & corruptione. Scilicèt una est materia, & diversa ejus officia,* (*ut ipse nobis concessit, vid.* Disp. antec. 4. §. 16. & 38.) *adeoq; & diversa ejus considerantio.* 3. *Modestè nominat h. l.* communem sententiam, *quam alibi* vulgarem *sive vulgatam appellat,* & vulgò ita statui *ait, in* Instit. Phys. l. 1. c. 2. q. 1. p. 50. *& alibi omnium frequentissimè* vulgò ita statui *scribit, quando Aristotelis & Aristotelicorum sententias proponit.* 4. *Quidquid autem sit de communi sententia, contra primum* Aristotelis *librum à me nihil fuit assertum, ego q; primas ei libenter concedo, imò & tribuo, eò consilio, quò Philosophus illum primum esse voluit. Vid.* Disp. antec. 3. §. 58. sqq. 5. Argumentum

Auto-

Autoris non manet immotum. Ad illud Disp. antec. §. 41. iqq. *responsio data fuit, cujus summa hùc redit: Quamvis generatio & corruptio non omnibus competant corporibus naturalibus, competere tamen possunt, siquidem omnes res naturales sunt generabiles & corruptibiles. Igitur de generabilitate & corruptibilitate, utpote quæ de corpore per materiam demonstrantur, (sicut ex oppositio incorruptibilitas de spiritibus demonstratur per carentiam materiæ, &c.) agitur in Physicis primò & per se, per reductionem autem de generatione & corruptione, sicut & de motu post mobilitatem, de loco post locabilitatem agitur. 6. Non igitur tollenda ex parte generali privatio, quamvis tollenda ex illa sede, quâ de corpore naturali ejusq; principiis constitutivis pertractatur, id quod Autorem intendere video, ut etiam in hac causa me pro ipso esse anteà professus fuerit. 7. Rectè; aliter hîc describenda materia, prout nimirum compositionis principium est, aliter alibi, in doctrina de generatione, prout generationis & corruptionis principium est.*

§. 5. *Deinde ex* Disp. mea 8. *affert, quod statuerim, materiam elementorum esse secundam, quòd aliter disposita sit, ac materia cœli, & aliter materia ignis, ac materia terræ, &c. Vid.* d. Disp. 8. §. 22. seq. & §. 39. sqq. & *Autoris* Dissert. c. 3. p. 64. 65. *Qua in re me iterum suum facit.* Pro me est Autor, *inquit*, non contra me. *Et pergit p. 74.* Hæc erat probatio. Omnes generationes loco subjecti materiam, quam vocant, secundam habent. Omnes etiam corruptiones loco subjecti materiam secundam habent. Ipsorum elementorum etiam materia, non prima, sed secunda est. Idem dicit Autor contra communem sententiam. Manet ergò argumentum immotum. Quæcunq; materia determinata est, secunda est. Elementorum materia determinata est. Ergò Elementorum materia secunda est. Item. Ubicunq; peculiaris datur forma, ibi etiam peculiaris datur materia. In cœlo peculiaris datur forma. Ergò in cœlo etiam peculiaris datur materia.

§. 6. At *observandum* (1.) *De generatione loquitur Autor, ego autem de conditione materiæ, quam habet in diversis compositis, disserui.* (2.) *Sed esto! admitto, omnes generationes & corruptiones habere locò subjecti materiam secundam.* At *sequiturne inde; Er. non habent locò subjecti materiam primam? Minimè; eò ipso enim quòd habent materiam secundam, habent quoq; materiam primam, sicut ex* Disput. antec. *constat. Falsum ergo est, quod inquit Autor*, me idem dicere quantum ad illa verba: ipsorum elementorum etiam materia

non prima, sed secunda est. *Falsò hoc mihi tribuitur. Contrarium liquidum est ex* Disp. 8. § 22. 23. §. 39. seq. & ex Disp. antec. tot. *(3.) Quantum ad argumentationes subjunctas, concedo id, quod illis infertur. Non siquidem quidquam contra me, concluditur.*

§. 7. *Conatur nunc Autor nostrum fundamentum evertere, ita pergens* p. 74. Nec valet exceptio, eandem ubique esse materiæ substantiam, licet alia atque alia adsit dispositio. De corporibus simplicibus concedo, sed non de mixtis. Estne eadem materiæ substantia in lapide, & in aere? In lapide materiæ substantia ex quatuor elementis est conflata, non item in aere. Estnè eadem materiæ substantia in quercu & igne? Organicum corpus quercus materia est, quod in igne quærere dementis foret.

§. 8. *Omninò ita est, quod ubiq; eadem materiæ sit substantia & entitas in omnibus corporibus, sub aliis & aliis dispositionibus, aliisq; & aliis formis substantialibus. Nec id solùm in corporibus simplicibus, sed & mixtis. Eadem materiæ substantia est in lapide & in aëre, eadem materiæ entitas est in quercu & in igne. Addo; eadem est materiæ physicæ entitas in homine & in igne, & in terra, &c. Non aliter ac eadem est manetq; aquæ entitas, cùm frigore concreta est, cùm farinæ; cùm calci, cum luto aliisq; admiscetur, cum carnibus, piscibus, herbis, arborumq; fructibus coquendis, conficiendisq; variis artefactis applicatur, ubi certè varias vicissitudines aqua subit, variasq; & infinitas ferè dispositiones sustinet. Similiter se res quoq; habet in aliis.*

§. 9. *Consulat de hac re Autor suum Scaligerum. Ita is in* Exerc. 17. p. 86. Est enim (materia) unum principium Naturæ cum alio, & sub alio; & pars compositi; & per se formarum fundamentum; & subjectum materialium substantiarum; & per se causa compositi; &c. & Exer. 61. p. 218. *ubi subtilitatum Magister de unitate & identitate materiæ in natura rebusq; naturalibus de professo pertractat. Inter alia sic* p. 219. Neq; intelligo, quomodo materia una ab alia diversa sit, nisi per advenientem formam, quâ fit hoc aliquid. *Et* pag. seq. 220. Et profecto non intelligo, *inquit*, materiam hujusce compositi, quod humanum corpus appellamus, aliam esse materiam à materia stercoris vel asini vel crocodili, *&c. Sic materiam compositionis humanæ, vel, quæ hominis compositionem ingreditur, esse materiam primam*, Pet. Hurt. de Mendoz. Disp. 1. de An. s. 1. §. 1. & 2. p. 6. *rectè statuit. De materia generationis humanæ vid. similem locum in* Jacchæi Instit.

Inst. Phys. l. 6 c. 8. p. 464. *Conf.* Not. p. 472. sq. *Et hæc est una eadem̃q; illa materia à Cl. Dn. Scharffio in* Phys. Rec. par. gen. lib. 1. c. 2. *monstrata; hæc est communis illa materia, à Dn. Sennerto, p. m. in* Tr. de Cons. & Diss. Chim. cum G. & A. c. 7. *Naturæ scrutatoribus commenduta. Ut Autor Dissertationis egregium suorum cum aliis in hac re consensum videat.*

§. 10. *Ad rationes Autoris in contrarium respondeo breviter. Ad I. de lapide, quòd materia ejus ex quatuor elementis sit conflata, aëris verò minimè, dico* 1. *si intelligat de elementis ratione substantiæ, vel quæ substantialiter mixti constitutionem ingrediantur, tanquàm falsum & absurdum rejicio; si verò de elementis, quæ in generatione mixti intereant, &, formis suis abjectis, formæ mixti locum concedant, concedo.* 2. *Quidquid autem sit hujus rei, eadem ibi est materia ratione entitatis, quæ nunc formis elementorum, nunc formis mixtorum substat, adeoq; quæ nunc sustinet dispositiones pro formis elementorum, nunc pro formis mixtorum. Dispositiones enim aliæ & aliæ in materia non mutant ejus substantiam.* Disp. ant. §. 29. *Quid igitur opus multiplicare entia, & multas ponere materias, cum nulla cogat necessitas,* Scalig. ex. 61. p. 219. *Una entitas multis formis substerni, in multas particulas dividi, varieq; elaborari & disponi potest. Ad II. similis est responsio. Quercus materia est corpus organicum, in igne non; quia nimirum materia ita pro forma quercus disposita esse debebat, non autem pro forma ignis. Nobiliores enim formæ nobiliorem materiæ postulant dispositionem; ita Dn.* Sennert. p. m. in Hyp. 1. c. 6. p 39. sq. & Scalig. d. ex. 61. p. 221.

§. 11. *Ut propterea emergat, alietatem materiæ physicæ non in substantia, sed in dispositionibus ejus positam esse, id quod exemplô aquæ, ligni, farinæ, lanæ, ceræ, &c. quæ variorum artefactorum materia fieri possunt, declarari potest. quarum quælibet est res & entitas in se una; quælibet autem variis modis affici, præparari & disponi potest, ut aliis & aliis rebus conficiendis adaptetur vel accommodetur.* Audiamus iterum Scaligerum d. Exer. 61. p. 219. nihil prohibet in materiæ parte una esse formam cum qualitatibus, quæ habent contrarium, (*ut in elementis*) & in alia parte formam, sine ulla istarum qualitatum, (*ut in cœlestibus.*) *Et materia per generationum atq; corruptionum vicissitudines mutat habitum, h. e. variè & multiformiter disposita, varioq; variorum accidentium apparatu instructa conspicitur; alium ea habet habitum, quando est sub forma canis, alium, quando sub forma vermis, alium, quando sub forma terræ, &c. De quare iterũ*

subtilis Scaliger Exer. 17. p. 85. æquè desinit esse forma hæc, si materia desinit esse sub ea, atqui materia desinit esse materia hęc, si forma abeat, &c.

§. 12. *Pergit Autor Dissertationis* p. 75. Nunc quæritur de subjecto generationis & corruptionis. Quamdiu elementa nec generantur, nec corrumpuntur, tamdiu materia elementorum etiam nec generationis, nec corruptionis subjectum est. Non autem generari, nec corrumpi elementa probatum à me. Nec quicquam hactenus ab Autore pro sententia contrariâ allatum. Poterit facere periculum, & sensui, ac rationi reclamare. *Resp. 1. non solùm de subjecto generationis & corruptionis, sed & de materia constitutionis. Utrinq; una est entitas, una substantia, quæ in compositione subjacet formis cum debita & congruente dispositionum harmonia, in generatione actioni & elaborationi agentis, ipsiq; formarũ introductioni, quam utramq; sustinet. 2. Positò, elementa non generari, nec corrũpi, tamen eorum materia est primũ generationis & corruptionis subjectũ materialiter loquendo, h. e. illa materia, quæ est primũ generationis & corruptionis subjectum. Sic & materia cœli est subjectũ generationis & corruptionis; non siquidem aliam in natura habemus materiam, quàm eam, quæ primũ generationis & corruptionis subjectum est, quamvis non omnes res, quæ materiâ illa constant, generentur & corrumpantur. 3. Esse quoq; materiam in elementis subjectum generationis & corruptionis actualis, quòd ea secundùm partes, mutuâ transmutatione, ex se invicem generentur, naturæ documentis comprobatum habemus, ut fruſtrà sit Autor, scribens, id asserentem & sensui & rationi reclamare. De quare suo loco.*

§. 13. *Tertiò Autor ex* d. Disp. 8. §. 45. *hoc quoq; affert* p. 67. *quòd statuerim, materias secundas, h. e. specificas & proprias materiæ rationes & conditiones Naturæ Autori acceptas esse ferendas. Ubi notandum, quòd* Autor, *meam sententiam recensens, ait*, materias secundas à Deo fuisse creatas. *At ego, sicut verba mea adscripta testantur, ita non fui locutus, nihil de creatione materiæ secundæ habeo, utpote quæ ne quidem, propriè & accuratè loquendo, creata dici potest. Ponit siquidem ea certam materiæ creatæ conditionem & statum. Quin ipse Autor in hujus rei ἐξηγήσει, quæ legitur* p. 75. sq. *aliter de hac reloquitur, sic scribens:* Pro me est autor, non contra me. Ipse Deus gloriosus in primâ mundi creatione, aliam dedit materiam igni, aliam terræ, aliam cœlo. Requirebat id formarum diversitas. Neque enim fas erat, ignobili formæ nobile tribuere subjectum Requi-

quirebant hoc affectiones diversæ, & diversæ operationes. Non lucere posset ignis, si terræ materiâ constaret. Non aqua posset humectare, si materiâ ignis gauderet. Omnia hæc dicit Robiscum Autor. Tot facit diversas materias, quot formas diversas invenit. Et istas omnes in primâ creatione ita conditas statuit. Atq; non de compositis saltem corporibus, sed & de simplicibus hoc vult intellectum. Ut planissimè consentiat cum iis, quæ scripsimus. Ut in compositis alia materia leonis, alia canis, alia querci, alia hirundinis, alia auri est: ita & in simplicibus, alia cœli, alia ignis, alia aëris, asia aquæ, alia terræ est. Eadem enim ubique ratio, proportio nempè inter materiam & formam, inter actum, ut loquuntur, & potentiam. Non forma quælibet, quamlibet informat materiam, sed certa certam.

§. 14. *Ast (1.) dubius hæreo, an ego Autori Dissertationis, an is mihi consentiat. Lætor autem, nos in his doctrinæ Physicæ capitibus esse consentientes. De consensu etiam in aliis gravioribus cogitemus. (2.) Rem præsentem quod concernit, nulla difficultas, nullum dubium amplius relinquitur, si Autor verba sua, ut nos, non de alietate substantiæ, sed de alietate dispositionum intellecta voluerit. Formarum certè diversitas non requirit multas diversas substantias, quæ sint materiæ hujus, illius aliusve formæ, sed requirit solùm diversas materiæ, ad aliam & aliam formam suscipiendam, dispositiones. Hoc enim est, quod dicitur, non quidlibet recipere quodvis, nec quidvis fieri ex quovis, sed determinata ex determinatis. Habentq; se ferè formæ ad materiâ, sicut se habẽt ædiũ inhabitatores ad ædes, ubi ex eadem materia aliæ & aliæ ædes, alia & alia domicilia præparantur, sub alia & alia forma sive figurâ, cum alio & alio apparatu, pro conditione & dignitate inhabitantium.*

§. 15. *Quartò* Autor Dissert. p. 68. *producit ex* Theor. C. N. Disp. 7. §. 4. *distinctionem de* materia *datam, quòd ea possit dupliciter considerari:* vel absolutè, *prout in se nudè, h. e. ratione entitatis suæ consideratur; vel* respectivè, *maximè respectu formarum naturalium, quarum est susceptiva, & ipsarum rerum naturalium, quarum est principium constitutivum, &c. Post ex* d. Disp. 7. §. 34. *quædam verba subjungit, quibus actum materiæ descripsi, quòd sit valdè imperfectus, cum potentia conjunctus, ut materiam relinquat perfectibilem à principio diviniori, quod est forma, unde materia formarum naturaliter sit appetitiva, &c. vid. loca jam allegata.*

§. 16. *Sed quid ad hæc Autor Dissertationis? Non licet hîc legere verba superiùs posita*: pro me est Autor; *sed virgulâ censoriâ utitur Philosophus, ita scribens* p. 76. Confundit Autor Metaphysicam cum Physicâ. Non est Physici materiam considerare ratione entitatis. Hic enim modus considerandi Metaphysicorum est. Physicus considerat eam Respectivè, non Absolutè. Respectu scilicet compositi,& respectu affectionum. Unde argumentum: Quicunq; mutat modum considerandi Physicum in Metaphysicum, malè agit. Autor mutat modum considerandi Physicum in Metaphysicum. Ergò malè agit. Ita alibi habet. *Sedulò est discrimen faciendum inter materiam ratione entitatis suæ, & prout concretim quasi se habet, sub multis dispositionibus, multisq; formis in naturâ existens.* Argumentor hinc: Quicunq; materiam in Physicis tractat Metaphysicè, is non facit sedulò discrimen inter materiam ratione entitatis, & ratione subjecti cõsideratam. Autor materiam in Physicis tractat Metaphysicé. Ergò Autor non facit sedulò discrimen inter materiam ratione entitatis, & ratione subjecti consideratam. Major constat, quia factâ confusione tòllitur discrimen. Minor probatur, quia occupatissimus est in describendâ materiæ entitate, unitate, identitate. &c. Parum admodum physici nectaris nobis dat, sed inanibus & umbratilibus speculationibus se macerat. Ut prorsus horridam & monstrosam nobis faciat Physicam amœnissimam & jucundissimam.

§. 17. *Ast intempestiva, non dicam, iciuna est ista censura, quâ se ipsum notat Dissertationis Autor. Etenim* 1. *quidni esse absolutum materiæ physicæ considerabit Physicus, utpote quod substratum est formis physicis, secundùm se autem ab illis denudatum? Quidni Physicus considerabit entitatem materiæ, quâ se exhibet omnibus compositis physicis, quâ omnibus mutationibus physicis subsiat, illorum constitutionem substantiâ sua ingrediendo, his substantiâ sua se subjiciendo, easq; in se recipiendo? Est siquidem materia physica nihil aliud, quàm entitas incompleta, omnium formarum susceptiva, ut inde tertium, nempe compositum physicum, resultet; omnium pariter mutationum physicarum susceptiva, quarum beneficio formas, quibus de se caret, recipiat, ad tertii essentialis physici constitutionem. Et annon, quæso, Physicus explicare debet, qualis entitas sit materia, an simplex, an composita, an genita, an ingenita, an corruptibilis, an incorruptibilis, an formâ*

ali-

aliqua determinata sit, an non, &c. Omninò, hæc exponere tenetur Physicus. Hæc autem attinent entitatem absolutam materiæ. Et ad hanc considerationem nos 1. ducit definitio principiorum, quæ vult, principia non debere esse ex aliis principiis, nec ex se invicem; 2. nos ad hanc considerationem ducunt proprietates materiæ, quod sit ingenita, incorruptibilis, informis. Ubi tàm istæ duæ conditiones, quàm hæ proprietates principiorum, concernunt esse absolutum materiæ; & primum ejus momentum, ut in Scholis loquimur, in quo est entitas naturaliter improducibilis, & secundùm se indeterminata, de se & quà proprium suum esse nullam in se habens formam, omnibus tamen subjicibilis, omnesq; recipere apta nata. Nonne hìc rectè argumentatur Physicus ex Arist. l. 7. Phil. Pr. c. 3. t. 8. *quidquid materia per motum sive mutationem physicam accipit, id materia secundùm se non habet, sed eô caret. Atqui* τὸ *quid,* τὸ *quale, &c. i.e. formas tàm substantiales, quàm accidentales, materia per motum sive mutationem physicam accipit. Er. materia* τὸ *quid,* τὸ *quale &c. secundùm se non habet, sed eô caret.*

§. 18. *Deinde, Autor cum Dn. Sennerto p. m. in formæ considerat ejus actum entitativum, in* Tr. de or. for. p. 112. sq. *& in* Defens. p. 100. sq. *& alibi. Actus autem entitativus attinet entitatem rei, ejusq; esse absolutum. Imò entitatem formæ attinet, quandam formam necessariò in materia esse & fieri, quandam verò à materiâ liberam esse; quorum illud de forma materiali, hoc de immateriali Autor Dissertationis proponit in* Inst. Phys. l. 1. c. 3. q. 5. p. 140. *Quî jam forma substantialis physica ratione entitatis seu ratione esse sui in Physicis considerabitur, non autem materia? Formam nonne respective considerare debet Physica? omninò. An solùm respectivè? non concedit id Dissertationis Autor, quia etiam ratione sui esse, & ratione sui ortus, qui ad esse formæ refertur, in Physica consideratur. Quidni eôdem jure materia id sibi vendicabit, ut Physicus de ea dicat, ipsam esse ens primum physicum, simplex & incompositum, nullam in se formam habens, nec ortum Physicum agnoscens, &c.*

§. 19. *Monstratô eò, quod monstrandum erat, Autoris discursûs §. 16. propositum videamus. Non esse Physici, materiam considerare ratione entitatis suæ, nego. Rationẽ additã quod attinet, quod is modus considerãdi Metaphysicorũ sit, cõsiderando rerũ in particulari entitates, nego.* Aliud *est, omnia sub communi ratione essendi considerare, & quat: aliquid in natura entis cõveniat; vel illã participet, mõstrare;* aliud *est, specialem entitatem explicare:* aliud *est, rem considerare ratione en-*

itatis in quantum entitas est, aliud *considerare rem ratione hujus entitatis*, *& quatenus hæc est*. Prius *ad Metaphysicam spectat, non* posterius. *In argumento igitur* 1. pag.76. *formato, nego Minorem, quam Autor non probavit, nec probare potest.*

§. 20. *Quà alterum syllogismum, quem* p.77. *ex meis se fabricâsse verbis putat, ipsum ex illis non esse deductum, ostendo. Ita habent mea ab ipso adscripta:* sedulò est discrimen faciendum inter materiam (1.) ratione entitatis suæ; (N.B. suæ) & prout (2.) concretim quasi se habet, sub multis dispositionibus, multisq; formis in natura existens. *Quomodo jam illud argumentum* §. *16. ex Autore transcriptum, exinde confici potuit? Minor* (Autor materiam in Physicis tractat Metaphysicè) *est falsissima. Majorem quod attinet, supponit ea, ac consideratio materiæ physicæ ratione entitatis suæ pertineat ad Metaphysicam, quod falsum est. Nihil de materia Physica de se novit Metaphysica. Immò materiæ physicæ tàm esse quàm officia & respectus in Physica considero & explico. Dein ad probationem Minoris dico, nullam esse consequentiam: Autor occupatus est in describenda materiæ entitate, unitate, identitate. Er. Autor materiam tractat Metaphysicè. Argumentor similiter* 1. *Theologus occupatus est in describenda Dei entitate sive essentia, in asserenda Dei unitate, in monstrandâ summa omnium Divinorum identitate & simplicitate. Er. Theologus de Deo tractat Metaphysicè. 2. Dn. Sennertus, Dn. Scharffius, Dn. Sperlingius occupantur in describenda materiæ entitate, unitate & identitate. Er. & ipsi illam tractant Metaphysicè. Antecedens patet; Dn. Sperlingius statuit in* Inst. Phys. l. 1. c. 2. q. 3. p. 61. *materiam primam esse ens universalissimũ, quô ipso de entitate & de unitate ejus disputat. Dn. Scharffius unitatem & identitatem materiæ per totum* cap. 2. l. 1. par. gen. *adstruit & explicat. Dn. Sennertus p. m. in* Epit. N. S. l. 1. c. 3. p. 42. *materiam primam unam esse asserit, cujus verba inferiùs in ultimo hujus Disput. membro adscribam. Eandem unitatem exprimit in* Tr. de C. D. Chim. cum A. & G. c. 7. p. 72. *ubi communitatem materiæ in natura ostendit. Commune enim est quid unum ad multa pertinens.*

§. 24. *Nunc contrarietatem mihi affingit Dissertationis Autor, ita progrediens* p. 77. Interim sibi ipsi contrarius est, dum ita scribit: *De materiâ physicâ possumus loqui dupliciter: vel uti spectatur in ratione principii interni physici constitutivi, vel ut consideratur in ratione subjecti mutationum physicarum, præcipuè autem generationis.* Profectò tripliciter loqueris de materiâ physicâ, non dupliciter.

Primô

Primò, ratione entitatis: secundò, ratione principii constitutivi: tertiò, ratione mutationum. Neque aliter defendere potes primam tuam materiam, quàm primo illo considerandi modo. Unde argumentum: Quicunq; & factis & verbis sibi contrariatur, malè agit. Autor & factis & verbis sibi contrariatur. Ergò Autor male agit.

§. 22. *O utinam mihi hîc crenâ uti liceat Autoris! An mihi sim contrarius, docti & cordati judicent. Hîc scribo, de materia physica nos loqui posse dupliciter; alibi scribo, de eadem nos loqui posse, vel, (quod perinde est) illam considerari posse tripliciter. Er. mihi sum contrarius. Nullo modò. Quid si jam dicerem, me de materia prima sive physica loqui posse quadrupliciter, imò quintupliciter illam pro re natâ considerari posse. Er. mihi essem contrarius. Minimè. Hoc loco, pro hac tractatione, vel occasione hujus tractationis dico, materiam posse dupliciter considerari; alibi, occasione illius tractationis, dico, materiam posse tripliciter considerari. &c. Nec enim fuit dictum à me, quòd materia solummodò possit dupliciter considerari, vel quòd ita loquar de ea dupliciter, ut non possim quoq; tripliciter aut quadrupliciter de ea loqui. Ut propterea in subjuncto syllogismo, quem ego nolo, Autoris morem secutus, miserabilem appellare, neganda veniat propositio Minor, quam Autor ex meis, omnium doctorum consensu, in æternum non probabit.*

§. 23. *Illa verba non sunt prætercunda, quibus ait*; Neq; aliter defendere potes materiam tuam primam, quàm primô illo considerandi modô. *Contrà (1.) Er. concedit, materiam primam juxta primum illum modum defendi posse? Sat habeo, si hoc habeo. Sic enim habeo entitatem physicam incompletam, in se unam, ad plura entia completa physica constituenda ordinatam, &c. (2.) Nec solùm primò isto, sed aliis vel maximè modis eam defendere possumus*; *vid.* Disp. antec. 4. §. 18. sqq. *Cum Scaligero, Sennerto, Scharffio probamus 1. ex compositione, 2. ex generatione. Una est materia communis, omnium formarum susceptiva, quæ ab omnibus informari potest; unum est subjectum primum, omnis generationis & corruptionis susceptivum, &c. vid.* l. d. 3. *Repetamus dictum Scaligeri, quod* Autor mihi objecit in Dissert. p. 61. *& exinde sic argumentemur: quidquid non solùm datum ob transmutationem, sed vel maximè & primò ob compositionem, id ob utramq; datum sit oportet. Atqui materia prima non solùm data fuit ob transmutationem, sed vel maximè & primò ob compositionem. Er. materia prima ob utramq; data sit oportet. Major vera est & for-*

ma; Minorem Autor Dissertationis ex Scaligero suppeditat. Ex quo jam illud relinquitur, compositionem & transmutationem rerum naturalium esse fundamentum probandi materiam. Eódem modò materiam primam à Dn. Sennerto p. m. & Cl. Dn. Scharffio, Ipsoq; Dissertationis Autore probatam fuisse, Disp. antec. §. 6. 7. 8. ostendi, ut sic gravissimorum horum Doctorum, Scaligeri, Sennertî, Sperlingij, hac in re consensus luculenter pateat. Conf. Disp. antec. §. 16.

§. 24. *Pergit Autor* p. 78. & quædam ex Disp. 7. §. 34. *verba excerpit, ita scribens:* Neque illud omittendum, quod addit. *Deus qui est indivisibilis, non instituit multiplicationem entium in natura, nisi constituto prius divisibili, quod secundùm partes posset variis modis divinitatem participare.* Argumentor. Quicunq; materias distinctas in & cum distinctis corporibus creavit, is non priùs produxit divisibilem & partibilem materiam. Atqui Deus in prima creatione materias distinctas in & cum distinctis corporibus creavit. Ergò Deus in primâ creatione non prius produxit divisibilem & partibilem materiam. Major constat, quia distinctione illâ reali factâ, non amplius præstò est totum divisibile ac partibile. Minor Autoris est.

§. 25. *Resp. ad Minor. negando. Nec ea mea est, ut Autor scribit. Monstretur mihi. Forte an ex illis eam monstrabit, quæ* sup. classe 3. pag. 67. ex Disput. 8. §. 45. *proposuit. In illis ego nihil de creatione. Vid. sup. §. 16. Neq; enim propriè & accuratè loquendo illa corporum, ut herbarum, arborum, piscium, avium, &c. productio creatio est, cum non sit productio ex nihilo, sed ex aliquo præjacente, jam dum ex nihilo producto sive creato.* Aliud *proinde est, alicui dare & tribuere materiam, ipsi, vel formæ ejus convenientem,* aliud, *materiam creare. Prius dixi, posterius nullatenus. Videantur loca allegata.*

§. 26. *Deniq; sub finem quarti hujus paragraphi alia mea verba taxat. Ita ea proponit* p. 78. sq. Deniq; & ista verba merentur limam. *Mediante conversione cœli formæ omnes, exceptâ animâ rationali, gignuntur in inferioribus.* Fovere videtur sententiam de creatione animæ humanæ. Contra Scripturam, contra naturam. Sed nunc non omnia. Transeat figmentum de appetitu materiæ, quem putat fundamentum esse conservationis rerum naturalium. Pauca è Scaligero notamus. *Qui materiam condidit, formas q; illas condidit, voluit suæ quamq; cuiq; acquiescere. Neq; posuit appetitum in materiâ mutationis, sed perfectionis tantum. Per-*

ficitur

ficitur autem sub qualibet formâ quælibet pars, & tota sub omnibus. Non est igitur ei opus mutatione: nihil enim potest vel omittere, vel recipere. Hæc Scaliger. Nobis appetitus sequitur formam, non materiam. Appetitus rationalis, animam rationalem: sensitivus animam sensitivam: naturalis, formam quamvis.

§. 27. *Contrà* (1.) *Omninò teneo creationem animæ rationalis; ea an & quatenus ex S. Scriptura, quomodo ex naturali ratione, ipsiusq; Autoris hypothesibus probetur, suo loco ostendam.* (2.) *Dogma de appetitu materiæ non est figmentum. Scaliger quæ contrà opposuit, dudum ab aliis sunt refutata. Vid.* Cl. Dn. Sthalii Reg. Phil. tit. 4. Reg. 4. p. 140. sq. Cl. Dn. Scharffii Phys. Rec. par. gen. l. 1 c. 2. ax. 6. p. 95. iq. (3.) *Quantum ad hæc verba ab Autore ex Scaligero citata, illa nobis non obsunt, ut potiùs sententiæ nostræ faveant. Repetamus ea: qui materiam condidit, formasq; illas condidit, voluit suæ quãq; cuiq; acquiescere. Et hic est appetitus complacentiæ, quò fertur materia in formas, quas habet, ut eas debitè amplectatur & servet.* Neq; posuit appetitum in materia mutationis, sed perfectionis tãtùm. *Hic concedit Scaliger appetitum desiderij in materia; qui sit perfectionis. Rectè! hoc volumus, hoc est nostrum argumentum: Omne imperfectum perfectibile appetit (sive fertur in) suam perfectionem. Materia est quid imperfectum perfectibile. Er. materia appetit suam perfectionem, quæ formæ est, faciens materiam de ente potentiâ ens actu, ut ipse Scaliger* exer. 12. p. 85. 86. *& alibi de materia docet.* Perficitur autem, *pergit Scaliger*, sub qualibet forma quælibet materiæ pars, *scilic. dum & quam diu eam habet; dum autem hanc formam amittit, & aliã acquirit, ab aliæ quoq; perficitur, uti Scaliger* l. d. *concedit, qui generationis & corruptionis mutuas vicissitudines statuit. Nec est opus materiæ mutatione, quat. scilicet ex se est; neq; enim ea mutatur ut quod, sed compositum physicum; materia verò tantùm est subjectum mutationis, nunc privationem formæ, nunc formam ipsam, nunc iterum formæ privationem, quando scilic. compositum interit, sustinens.*

§. 28. *Ad ultima verba dico* 1. *appetitus non omnis vel quomodolibet se habens sequitur formam.* 2. *appetitus propriè dictus non sequitur omnem formam. Appetitus propriè dictus, qui est vel sensitivus, vel rationalis, sequitur formam sive animam, ille quidem sensitivam, hîc rationalem. Appetitus naturalis propriè nullus est. Appetitus propriè dictus præsupponit cognitionem. Hæc ubi deest, deest quoq; appetitus propriè dictus. Atqui in rebus naturalibus infra animalia*

deest cognitio. Er. in illis quoq; deest appetitus propriè dictus. Appetitum materiæ quod concernit, est & is impropriè dictus appetitus, notatq; nihil aliud, quàm inclinationem naturalem, quâ res naturales in suas perfectiones feruntur. Conf. Cl. Dn. Stalium & Cl. Dn. Scharffium ll. dd.

§. 29. *Quintò* Autor *Dissertationis improbat responsionem meam, quam in* Theor. C. N. Disp. 8. §. 18. *ad 2. object. dedi, ubi asserui, materiam cœli subjectum generationis & corruptionis esse. Hinc in* Dissert. c. 3. p. 69. 70. *quædam ex dict. Disput. excerpta exhibet, de illisq; in sequentibus paginâ nimirum 79. sq. suam fert sententiam, ita scribens* : Autor malè dicit, materiam cœli etiam esse subjectum generationis & corruptionis, licet cœlum non generetur, nec corrumpatur. Falsum hoc est, & ineptum. Cerebrum vacuum non est subjectum sapientiæ. Subjectum respectum habet ad adjunctum. Eatenus aliquid subjectum est, quatenus aliquid recipit. Substantia illa subjectum accidentium est, quæ habet accidentia. Anima illa subjectum sapientiæ est, quæ habet sapientiam. Cera illa subjectum imaginis est, quæ habet imaginem. Materia illa subjectum formæ est, quæ habet formam. Materia illa subjectum generationis est, in quâ subjectatur, ut loquuntur barbari, generatio. Materia illa subjectum corruptionis est, in quâ fit corruptio. Hinc argumentor de cœlo: In quacunq; materiâ nulla unquam facta est generatio, nulla corruptio, ea non est subjectum generationis & corruptionis. In materiâ cœli nulla unquam facta est generatio, nulla corruptio. Ergò materia cœli non est subjectum generationis & corruptionis. Major constat, quia esse subjectum, notat habere adjunctum. Minor concessa est.

§. 30. *Initiò mirari quis posset, cur* Autor *hanc tantùm responsionem, quam ad secundam dedi objectionem, examinandam susceperit, reliquas autem intactas reliquerit. Indiciò id est, si non argumentò, reliquis argumentis, quæ contra identitatem materiæ cœlestium & inferiorum afferri solent, à me respondendo fuisse satisfactum, adeoq; thesin meam sartam tectam servatam fuisse. Et videtur is hac in parte mecum consentire, siquidē in* Instit. Phys. l. 3. c. 3. q. 1. p. 470. *asserit materiam cœli esse materiam simplicem, quam etiam elementorum materiam esse ait in* d. Inst. l. 1. c. 2. p. 47. 49. *quæ materia simplex in substantia rei non est alia, quàm materia nostra prima,*

prima; quæ nullam agnoscit priorem, ex qua constare possit. Deinde in d. lib. 3. Inst. Phys. c. 3. q. 1. p. 472. *statuit, cœlum non habere eandem materiam cum corporibus inferioribus; quod assertum non potest intelligi de materia ratione substantiæ, aliàs Autor sibi contradiceret, cum materiam simplicem communem cœlo & elementis, quæ sunt corpora inferiora, jam concesserit; sed de alietate & diversitate quà materia statum & conditionem, ita loquendo, quæ variat in cœlo & elementis, cum quælibet forma peculiarem & propriam requirat materiam, h.e. sibi appropriatam & proportionatam, quæ appropriationis & proportionis ratio non consistit in alio, quàm in alia & alia unius ejusdemq; quà substantiam materiæ dispositione.*

§. 31. *Deinceps Philosopho isti, non esse falsum, nec ineptum, quod statuo, sed ineptè ipsum tum de hac re disserere, tùm ad idem argumentũ respondere, manifestum faciam. Hæc est mea thesis:* materia cœli (& cujusvis rei naturalis materia) est subjectum primum generationis & corruptionis. *Eam refellere laborat sic:* cerebrum vacuum non est subjectum sapientiæ, subjectum respectum habet ad adjunctum, *&c. Scilicet non intelligit Autor, quid in Physicis per primum generationis & corruptionis subjectum (de eo enim tota hæc res accipienda, monente definitione materiæ primæ, ubi per vocem,* primum, *materia prima distinguitur à secundâ vulgò dictâ, sive à subjecto accidentium, sic ignis e.g. est subjectum caloris, sed non est materia prima, quia non est subjectum primum, quandoquidem ipse ex alio subjecto, sive ex alia materia constat,) intelligatur. Nimirum subjectum primum physicæ generationis non notat subjectum inhæsionis, aut subjectum, ut ordinem dicit ad adjunctum, sed notat principium, ex quo aliquid generari potest, ita ut ei, quod generatur, per se insit, &c. Confundit igitur Autor materiã cũ rebus naturalibus. Harum adjunctũ est generatio, est & corruptio, si corpora elementaria respiciamus, nõ verò materiæ. Sensus ergo mei asserti est, materia cœli est subjectum primũ generationis & corruptionis, i.e. principiũ subjectivũ generationis & corruptionis, quod ita substernitur utriq;, ut genitũ primò & per se ex ipso fiat, adeoq; ex ipso substantialiter constet, in idq;, si intereat, resolvatur; nõ verò sensus est, quòd materia sit id, quod afficitur generatione & corruptione, sicut affici videmus corpora, quæ generationi & corruptioni sunt obnoxia. Ut proinde, sicut jam dictum, generatio & corruptio non sint adjunctum materiæ, sed ejus consequens, ejusquè principiatum, sicuti in* Theor. C. N. Disp. 5. §. 21. *ostendi; Materiam*

enim

ēnim secundùm se est ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον. Imò neq; aliam, quantū ad rem, habemus materiā, quàm eā, quæ principiū generationis & corruptionis est, ut proinde hanc in omnibus corporibus dari oporteat, quāvis non omnia, in quibus est, vel, quæ ex ea constant, generentur & corrumpantur. Anima in muto loquendi, in surdo audiendi est principiū. De se anima, in muto atq; in surdo existens, est loquendi & audiendi principiū, quāvis ille non loquatur, nec hic audiat. Neq; aliā habemus animā, quàm eam, quæ principium loquendi existit. Omnis enim loquela omnisq; auditio ab anima est, ut à principio activo interno. Pariter modo omnis generatio & corruptio à materia physica, ut principio subjectivo primo, dependet.

§. 32. Notetur, quod dictum quantum ad rem, vel, quantū ad substantiam rei, i. e. materiæ. Quæ res ut explicetur, observandum, quòd illa propositio, materia cœli est primum generationis & corruptionis, subjectum, possit intelligi vel de potentia vel de actu. Hoc certum est, quòd ratio subjecti primi physici primò non sit posita in actu, sed in potentia, ut subjectum primum generationis & corruptionis dicat potentiam ad generationem corruptionemve sustinendam. Imò subjectum generationis nihil aliud est, quam potentia passiva sive receptiva formæ per generationē, & deperditiva formæ per corruptionē, quamvis non omnes res, quæ potentiâ illa constant, actu generentur aut corrumpantur, non aliter ac sicut forma, e.g. anima est principium & potentia activa loquendi, audiendi, videndi, ridendi in illis, qui non loquuntur, qui non audiunt, qui non vident, qui non rident. Utrobiq; una substantia, ibi una potentia passiva, hîc una potentia activa, quidquid sit, quod in omnibus actus non sequatur. Sic homo, si in statu Integritatis perstitisset, neq; per lapsum dotes Imaginis Divinæ amisisset, eandē in substantia materiam, eandē, inquā, illam, quæ in rebus naturalibus principium generationis & corruptionis est, habuisset, nec tamen interitui sivē morti expositus fuisset.

§. 33. Si vero quis illam propositionem de actu accipiat, duplex ejus sensus distinguendus venit: Compositus & divisus. Non in isto, sed in hoc propositio acceptanda, hoc modô: illa materia, quæ est generationis & corruptionis subjectum, est materia cœli, non vero; materia generationis & corruptionis, prout generationis & corruptionis materia sive subjectū, est materia cœli. Vel sic: Materia cœli est illa materia, quæ in Natura generationis & corruptionis subjectū est; non verò; materia cœli est subjectū generationis & corruptionis, prout utriq; hujq

subje-

subjectum est. Sumamus exemplum de primô homine in statu integritatis. Materia sanè illius erat ipsa illa materia, quam hodiè gestamus, (neq; enim aliam materiam habuit homo ante lapsum, & aliam post lapsum) adeoq; ipsa illa, quæ est nativum corruptionis subjectum, quamvis in statu integritatis persistens, corruptioni atq; morti non fuerit subjectus. Estq; hæc propositio vera: Materia primi & integri hominis est nativum corruptionis subjectum. Quidni & illa erit vera: Materia cœli est nativum corruptionis subjectum? Sic in aliis. Anima senis decrepiti est nativũ augmentationis & generationis principium; anima maris infœcundi est verum & nativum generationis principium; ubi tamen nec decrepitus senex, nec mas infœcundus prolem progenerant.

§. 34. *Ex dictis patet responsio ad Syllogismum Autoris, Neg. propositio Major rectè intellecta. Potest enim illa duplicem gignere sensum, unum in cerebro Autoris, alterum in Schola Aristotelis. Si enim ita formes: In quacunque materia nulla facta est generatio, nulla corruptio, ea non est subjectum actualis generationis & corruptionis; Sic conceditur totum, nec argumentum contra me directum est, nec incidit illud nervum Aristotelicum. Si vero ita formes propositionem; in quacunq; materia nulla facta fuit generatio & corruptio, illa non est primum & nativum generationis atq; corruptionis subjectum; jam ea negatur; benè siquidem potest esse subjectum primum h. e. principium passivum generationis & corruptionis in aliquo, quamvis in illud nulla recepta fuerit, aut unquam recipiatur generatio, nullave corruptio, non aliter, ac se res habet in potentia activa. Majoris probatio nulla est. Nec ad rhombum ea. Non siquidem, ut §. 31. dictum, vox subjecti h. l. sumitur strictim pro subjecto accidentium, & prout ordinem dicit ad adjunctum, vel ad accidens; sed sumitur, pro principio generationis, primò per ordinem ad suum actum substantialem, scil. ad formam, h. e. quat. ex materia, adscitâ & unitâ formâ, compositum generatur. Definitur enim ea, quòd sit subjectum primum, ex quo inexistente aliquid primò & per se fit; Quæ definitio geminum materiæ respectum nobis subindicat: unum habet ad compositum physicum, & sic dicitur materia & pars, quia intrinsecè constituit corpus naturale; alterum respectum habet ad formam ejusq;, quæ generationem fit, receptionem, & sic dicitur subjectum; est enim subjectum formæ & generationis.*

§. 35. II. *His expeditis videamus, quomodo Autor ad hanc difficultatẽ de incorruptibilitate responderit. Ita in* Inst. Phys. l. 3. c. 3. q. 1. p.

472. Major (quidquid incorruptibile est, illi neganda materia) nulla est. Ratio, quia corruptionem infert non materia quæ-vis, sed composita. Hæc è diversis conflata est corporibus, quæ fœdere ruptô, & induciis finitis, prorumpunt in interitum. *Contrà 1. Objectio loquitur de potentia, de corruptibilitate & incorruptibilitate; Autor respondet de actu, de corruptione. 2. Ratio addita toleranda non est; quia ne quidem materia composita corruptionem infert. In homine integro, prout erat ante lapsum, erat materia composita. Ergo ea in ipso inferebat corruptionẽ? Quid hîc dicent Theologi?* Zabarel. de Gener. & inter. c. 11. col. 424. B. Meisner. in par. 1. Phil. Sob. sect. 3. c. 4. q. 2. p m. 816. & p. sq. 817. *alia, præter materiam, ad mutationem substantialem requiri tradunt. 3. Omninò h. m. respondendum est ad argumentum illud: Quidquid intrinsecè & sua naturâ incorruptibile est, illi deneganda materia est. Materia siquidem est prima radix corruptibilitatis. Et in hoc jam est discrimen inter substantias materiales & immateriales, quòd illæ, ob materiæ participationem, sunt corruptibiles, hæ verò, ob materiæ carentiam, sunt incorruptibiles. Jam subsumatur: Atqui cœlum intrinsecè & naturâ sua est incorruptibile; neg. Min. Soli siquidem Spiritus sive substantiæ spirituales intrinsecè & naturâ sua sunt incorruptibiles, est q. incorruptibilitas essentialis Spirituũ proprietas, ex ipsorum essentia fluens. Igitur ejusmodi incorruptibilitas non potest esse proprietas ullius corporis. Relinquitur igitur, cœlum esse incorruptibile extrinsecè, ob defectum causarum alterantium, quæ nullæ sunt, quæ in cœlum agant, & corruptibile intrinsecè, ob materiæ conditionem, sicut expositum fuit.*

§. 36. *Nunc fundamentum meæ responsionis adoritur Autor, & illud evertere laborat. Ita habent mea in* Theor. C. N. Disp. 8. §. 18. *A negatione actus secundi ad negationem actus primi non valet consequentia. Subjectum generationis primò & de se de potentiâ intelligendum est, undè etiam materia potentiæ subjectivæ nomen & rationem sortita est. Ad hæc ita excipit in* Dissert. p. 80. sq. Hæccine vestra philosophia prima est? Ut subjectum tribuatis illi, quod non fuit, non est, non erit. Generatio in cœlo non fuit, non est, non erit: & tamen cœli materiam pro subjecto habet. Corruptio in cœlo non fuit, non erit: & tamen cœli materiam pro subjecto habet. Ita quod non est, in subjecto est. Estné hodiè in aëre lumen diei crastini? Recipitné mendicus nummum, qui in potentiâ est? Aut ventriculus vacuus

& je-

& jejunus carnem in potentiâ? Sed tamen inquit, à negatione actus secundi ad negationem actus primi non valet consequentia. At ostende actum primum. Canon suam habet veritatem, sed fallit applicatio. Actus primus notat rei essentiam, à quâ operatio prodit. Actus secundus notat ipsam operationem, quæ essentiam sequitur. Non ergò debemus negare illi potentiam loquendi, qui non loquitur: illi potentiam ambulandi, qui non ambulat: illi potentiam generandi, qui non generat. Sed quid hoc ad corruptibilitatem? Quid hoc ad subjectum? Actus primus de potentiâ activâ intelligendus est, non de potentiâ passivâ. Non ergò ad corruptibilitatem spectat. Et subjectum actum infert, ac ipsam, ut loquuntur, subjectationem. Non opus habent subjecto entia in potentiâ. Sed ait, inde materiam potentiæ subjectivæ nomen & rationem sortitam esse. Falsum hoc est. Non propterea materia potentia subjectiva vocatur, quia potest fieri subjectum corruptionis. Alia subest causa, quia nempè formam recipit.

§. 37. *Omninò, mi Amice, hæc nostra Philosophia Prima est, quæ eorum, quæ ego in meis proposui, fundamenta suppeditat. Tu verò ab illa abludis, quando, nescio, quid mihi affingis. Quà primum, (duo enim agit; 1. prosequitur antè habitum discursum, 2. directè ad verba meæ responsionis excipit.) ubi subjectum ego tribuo illi, quod non fuit, non est, nec erit? Ubi ego habeo, vel indigito saltem, quòd cœlum materiã suam habeat pro subjecto generationis & corruptionis in ipso? Ostende, id, si vir es. Si meo jam stares locó, si tibi hæc refutanda essent, ignorantiam meam allegares, meq; rem non intelligere clamares. Sed ego Clar. Virum non prostituam. Rem ipsam tractabo. Scilicèt distinctissima confunduntur. I. Aliud est dicere, materiam, quæ est materia cœli, materia hominis primi & integri, materia terræ in centro &c. esse subjectum primum & radicale omnis corruptionis, quod ego asseró; aliud est dicere, cœlum, hominem primum & integrum, &c. materiam suam pro subjecto corruptionis habere, quod ille Philosophus dicit. Hæc assertio supponit corruptionem in cœlo, illa prior minimè. Sit simile exemplum: Anima, quæ est forma hominis grandævi, est principium augmentationis & generationis, quod rectè asseritur; minus rectè verò, homo grandævus formam sive animam suam habet pro principio augmentationis & generationis, quasi homo grandævus adhuc augmentetur & generet. II. Fiat collectio 1. corruptio in cœlo non fuit, nec est, nec erit.*

Er. cœlum non est subjectum corruptionis, & corruptio non est adjunctum ejus; concedo, tanquàm legitimè illatum. (2.) Corruptio in cœlo non fuit, nec est, nec erit. Er. materia cœli non est primum corruptionis principium, materialiter loquendo, h.e. Er. materia cœli non est materia, quæ est primum & radicale corruptionis principium; hîc consequentiam nego. Sicut enim non ipsi cælo, sed materiæ cæli potentiam ad plures formas tribuimus, ita quoq; subjectum primum corrumpendi de materia cæli intelligendum venit, non de ipso cælo. III. Reassumat Autor hîc dictum Scaligeri, quo sup. p. 61. contra me fuit usus, & exinde structum ponderet argumentum: Illa materia, quæ non solùm ob transmutationem, sed & ob compositionem data fuit, est materia cæli. Atqui illa materia, quæ in Natura est primum subjectum generationis & corruptionis, est illa materia, quæ non solùm ob transmutationem, sed & ob compositionem data fuit. Er. illa materia, quæ in Natura est primum generationis & corruptionis subjectum, est materia cæli. Major & Minor est Scaligeri in exer. 61.

§. 38. Deinde petit Autor ostendi actum primum in præsente negotio. Ille est corruptibilitas. Inquit. 1. Actus primus notat rei essentiam, à qua operatio prodit. Contrà, nego, actum primum, physicè, uti par est, eum sumendo, notare rei essentiam. Alteram partem essentialem notat, nimirum formam substantialem, sive formã informantem, quæ est principium operandi in re. Inquit. 2. Actus primus de potentia activa intelligendus venit. Contrà; nego & hoc. Formaliter loquendo, multùm dissident actus primus & potentia activa, ut nec ille de hac, nec hæc de illo intelligi possit, si accuratè & sentire & loqui velimus. Sumamus e.g. potentiam volendi, quæ est potentia activa; dicat jam, an ea sit actus primus? non dixerit. De reigitur præsente hoc tenendum, quòd strictim & proprietate physicâ actus primus notet ipsam formam, prout materiam informat & actuat; Sic definitur anima actus primus corporis organici, ut materiæ suæ &c. Nihilominus tamẽ latiùs quoq; se extendit actus primi appellatio & applicatio, illisq; tribuitur, quæ in potentia posita sunt, sive potentia illa activa fuerit, sive passiva. Et hæc usurpatio apud Doctores est frequentissima. Et patet; corruptio est actus secundus, quia non est actus primus; sicut & generatio est actus secundus. Er. generatio & corruptio supponunt aliquem actum primum.

§. 39. Sed quid ego multus & operosus sum in hoc ostendendo, cum Autor idem, in quo se hîc mihi opponit, alibi habeat sacrosanctum,

&

& eodem modò sentiat loquaturq;. In hujus Dissert. cap. 4. p. *116. Mobilitatem pro actu primo habet. Ita ibi legimus:* Minor probatur, quia actus primus seu mobilitas latet, & tantùm per actum secundum (*qui est motus*) cognoscitur. *Certè quâ ratione mobilitas habetur pro actu primo in ordine ad motum, ut actum secundum, eâdem ratione corruptibilitas habenda est pro actu primo, in ordine ad corruptionem, ut actum secundum. Alia taceo.*

§. 40. *Quæ ultimò locò Autor de subjecto affert, breviter ruminanda sunt. 1. Nego, subjectum in præcisa sua ratione primò importare actū, vel ipsam subjectationē; multò magis id nego de subjecto primo physico, ceu ex dictis liquet, quod primò potentiam designare, indeq; potentiæ subjectivæ nomen & rationem patere, constanter assevero. Ait Autor,* hoc assertum falsum esse. Non propterea, *addens,* materia potentia subjectiva vocatur, quia potest fieri subjectum corruptionis; (*ubi hæc habeo?*) sed propterea, quia formam recipit. *Ast, quæso, quid diversum ego ab Autore dixi? Ita ego in allegatis meis* p. 80. subjectum generationis (N. B. generationis) primò & de se de potentia intelligendum, inde etiam materia potentiæ subjectivæ nomen & rationem sortita est. *Quæro, quando materia formam recipiat? nonne eo instanti, quò subjectum generationis est? Et vicissim, quando materia subjectum generationis est? nonne eô instanti, quô formam recipit? Nonne generatio in introductione & receptione formæ posita est? Est autem materia primò subjectum generationis, secundariò verò & consequenter subjectum corruptionis.*

§. 41. *Nunc Autor Dissertationis alia sibi taxanda sumit. Ita inter alia ad objectionē de corruptibilitate cœli responderam in* Disp. *8. §. 18. Aut si de actu (definitionem materiæ) intelligere velis, hoc sensu intelligenda est, quòd materia sit subjectum seu principium actualis generationis in illis, quæ actu generantur, & actualis corruptionis in illis, quæ actu corrumpuntur. Nunc infit ille* p. 82. Rebus suis diffidit, unde pro primâ ratione aliam substituit. Sed neutiquam dubio facit satis. Ita habebat dubium: Materia Physica Aristoteli definitur subjectum primum generationis & corruptionis, *l. 1. Phys. t. 82.* Jam verò non omnia corpora generantur & corrumpuntur, utpote cœlestia. Ergò nec omnia habebunt illam materiam, sed requirunt aliam diversam. Vult respondere ad Majorem, materiam esse subjectum generationis, in illis, quæ generantur: & esse subjectum corruptionis, in illis, quæ

his, quæ corrumpuntur. Materia ergò est subjectum, & non est subjectum. Et tamen per subjectum generationis & corruptionis definitur. Argumentor: Quæcunq; definitio non est universalis, sed particularis, ea vitiosa est. Materiæ definitio non est universalis, sed particularis. Ergò materiæ definitio vitiosa est. Major constat, quia definitio competere debet omni contento sub definito. Minor patet è dictis, quia materia cœli est materia, & tamen non est subjectum generationis & corruptionis.

§. 42. *Ast sciat* Autor, *sibiq; persuasum habeat, me rebus meis non diffidere. Nec pro prima responsione aliam substituo, sed secundam responsionem subjicio, & rem præsentem etiam aliter posse explicari, significo. Et novit* Autor, *ad unam objectionem plures una dari posse & solere responsiones, imò & unũ idemq; non unô strictim, sed geminô modô explicari posse, ut tamẽ rei ipsi nihil decedat, nec veritas stragẽ patiatur. Patebit in præsenti negotio. Quod ut clarius effulgeat, ita propono: Quæcunq; corpora actu non generantur, nec actu corrumpũtur, illa habent materiam substantialiter diversam ab illis, quæ actuali generationi & corruptioni sunt obnoxia. Atqui corpora cœlestia actu non generantur, nec actu corrumpuntur. Er. &c. Resp. neg. Mai. propositi. benè siquidem una & eadem materia est principium actualis generationis & corruptionis in his corporibus, ut non sit utriusq; illius, aut alterutrius principium in aliis, quæ actu non generantur nec corrumpuntur; ut propterea materia physica sit subjectum actualis generationis in illis, quæ actu generantur, & actualis corruptionis in illis, quæ actu corrumpuntur; quæ altera mea erat responsio, in qua quid* Autor *desiderare possit, equidem non video.*

§. 43. *At sequiturne ex hac mea responsione id, quod* Autor d. p. 82. *inde elicere conatur, scilicet* materiam esse subjectum & non esse subjectum? *Judicent eruditi, an id sequatur. Ego interea similiter in aliis procedo, duo præsupponens;* 1. *Anima vegetativa est principium generandi;* 2. *non omnia viventia actu generant. Nonne jam, rectè dico: anima vegetativa est principium & caussa actualis generationis in illis, quæ actu generant, non verò est causa actualis generationis in illis, quæ non generant actu. Licetnè jam inde inferre: Er. anima vegetativa est principium & non est principium? Utinam jam mihi ad manum esset Disputatoris illius calamus, quô excipere eum possem pro merito suo, qui me, præter meum meritum, excepit & tractavit contumeliosissimè! Sed succurram Disputatori. Hoc fortean, vòlust*

voluit elicere: Materia ergo est subjectum actualis generationis & corruptionis, & non est subjectum actualis generationis & corruptionis? Rectissimè. Ubi nulla latet contradictio, siquidem respectu diversorum id de materia dicitur. Similiter: Anima ergo vegetativa *est principium actualis generationis, & non est principium actualis generationis. Rectè; principium est actualis generationis in illis viventibus, quæ actu generant, non est principium actualis generationis in illis, quæ actu non generant. Nihilominus tamen sicut anima, quæ non est principium actualis generationis in omnibus viventibus, est principium vitale in omnibus viventibus, ita quoq; materia physica, quæ non est subjectum actualis generationis, aut corruptionis in omnibus rebus naturalibus, est subjectum primum in omnibus rebus naturalibus; & quãvis non subjectum actualis generationis, tamen subjectum formarum existit, potentiam ad omnes formas habens, in quacunq; re naturali illa fuerit. Est enim id de natura materiæ physicæ, quæ mutari nequit.*

§. 44. *Urget Autor, quòd* materia prima per subjectum generationis & corruptionis definiatur. *At hoc urgere amplius non potest; clarissimè id hactenus exposui, ut pueri etiam capere possint. Syllogismum adjunctum quod spectat, majorem ad Logicos remitto, qui, an definitio proprie & accuratè universalis vocetur, judicent; ad Minorẽ ejusq; probationem resp. negando. Contrarium ex dictis sufficientissimè liquet, cujus summa est in his, quòd 1. materia physica est potentia subjectiva in omnibus rebus naturalibus, 2. quòd materia, quæ est subjectum sive principium generationis & corruptionis, est in omnibus rebus naturalibus.*

§. 45. *Ad aliam meam responsionem de corruptibilitate cœli jam excipit. Ita habet mea responsio in* Disp. 8. §. 20. & 24. *Cœlum est corruptibile intrinsece & naturæ conditione, estq; corruptibilitas communis affectio rerum naturalium. Unde propositio universalis:* omne corpus naturale est corruptibile. *Excipit Autor, sic scribens:* Falsissimam tenet sententiam. Argumentor: Cujuscunq; corporis materia destituta est omni contrarietate, illud intrinsecè & naturæ suæ conditione est incorruptibile. Atqui cœli materia destituta est omni contrarietate. Ergò cœlum intrinsecè & naturæ suæ conditione est incorruptibile. Major per se clara. Minor Autoris est. *Materia eo ipso, quo est sub formâ cœli proprias suas habet dispositiones, quibus primò destituitur omni contrarietate, deinde gaudet summâ simplicitate* &c.

porrò

Porrô. In quocunq; corpore materiæ disposítiones sunt stabiles, illud intrinsecè est in corruptibile. In cœlo materiæ disposítiones sunt stabiles. Ergô cœlum intrinsecè est incorruptibile. Major manifesta. Minor Autoris est. *In quibusdam corporibus disposítiones in materia sunt stabiles & invariabiles, in illis nimirum, in quibus formæ perennant, uti sunt corpora cælestia.* Porrô. Cujuscunq; corporis materia immunis est à qualitatibus alteratricibus, illud intrinsecè incorruptibile est. Cœli materia immunis est à qualitatibus alteratricibus. Ergò cœlum intrinsecè incorruptibile est. Major in Philosophiâ Peripateticâ non eget probatione. Minor est Autoris. *Potest hoc insuper in materia dictorum corporum spectari & attendi quod cæli omniumque cælestium materia à qualitatibus alteratricibus est immunis.* Atq; sic cœlum neq; actu corrumpitur, neq; potentiam ad corruptionem habet.

§. 46. *Minimè falsa ista hæc mea est sententia, cujus probationem dedi* sup. §. 35. *Et repeto nunc breviter, quòd incorruptibilitas sit idioma Spirituum, & fluat ex immaterialitate, per eamq; de Spiritu demonstretur, corruptibilitas verò sit propria affectio corporum, materiam pro fonte habens, unde etiam per materiam de corptoribus demonstratur. Corpus enim & Spiritus sicut habent oppositas differentias, ita quoq; habent oppositas proprietates, sic: Omnis Spiritus est substantia immaterialis, adeoq; quantitatis expers, incorruptibilis, illocabilis, &c. Contrà: omne corpus est substantia materialis, adeoq; quantitate prædita, locabilis, corruptibilis, &c. Ita Pneumatica & Physica oppositas affectiones de suis subjectis demonstrant. Videat.* Pneumatica Clariss. Dn. Scharffii.

§ 47. *Nunc ad Autoris (cujus velocitatem & felicitatem incudendis argumentis miror) tres sillogismos ordine respondeo. Ad I. negando majorem propositionem, quæ non per se clara, ut Autor suaviter sibi imaginatur. Sciat is (1.) quòd prima radix corruptibilitatis nõ sit cõtrarietas, sed materia & materiæ potentialitas, δύναμις τῆς ἀνυπάρξεως, quam materia physica formaliter implicat. Unde hæc propositio physica: omne participans materiam physicam naturâ sua (quantum ad generalem naturæ cooditionẽ, omnibus rebus naturalibꝰ eõmunẽ) est corruptibile. (2.) Sciendum, quòd contrarietas sit materiæ extrinseca, eiq; accidat,* Disp. anteced. 4. §. 16. *Materia enim physica secundùm se denudata est ab omnibus qualitatibus, sicut secundùm se denuda-*

ta

ta est ab omni forma, unde ea informis salutatur. Rectè proinde Scaliger docet in d. Exer. 61. p. 219. eam indifferentem esse ad standum sub qualitatibus, & sine qualitatibus, ut benè aliqua materiæ pars habeat formam cum qualitatibus, alia ejus pars habeat formam sine qualitatibus. Ut propterea contrarietas non præstet rem intrinsecè, sed extrinsecè corruptibilem, & carentia contrarietatis rem non intrinsecè, sed extrinsecè incorruptibilem monstret.

§. 48. Illud igitur, ut plenius rem proponam, & planius explicem, dicitur incorruptibile ex se & intrinsecè, quod quantum ex se est, nullius mutationis vel corruptionis capax est; & sic substantiæ Spirituales dicuntur incorruptibiles. Ubi incorruptibilitatis fons est immaterialitas. 2. illud dicitur incorruptibile extrinsecè, sive propter extrinseca, quod ex se & sua natura corruptibile est, quod autem corruptioni non est obnoxium, id unicè fit propter defectum agentis, vel contrariarum qualitatum. Impedit absentia vel impotentia agentis, ut res, quæ intrinsecâ naturæ conditione corruptibilis est, corrumpatur nunquàm. Sic quamvis aqua sit in rerum natura, non autem detur agens, quod in eam agere possit, nunquàm corrumpetur, non quasi ex se non sit corruptibilis, sed propter extrinseca, defectum nimirum agentis & corrumpentis. Quæ declaratio Majorem syllogismi propositionem negandam, & hoc modô reformandam esse monstrat: Cujuscunq; corporis materia destituta est omni contrarietate, illud extrinsecè & peculiari naturæ suæ conditione est incorruptibile. Ponit siquidem contrarietas materiam physicam in certa conditione sive statu, quem habet in aliquibus corporibus, non in omnibus.

§. 49. Denig; ad majorem responsionis reig; ipsius dilucidationem notandum, dici aliquid corruptibile dupliciter: 1. per potentiam primam & incompletam; & h. m. cœlum corruptibile statuimus. Est siquidem in cœlo eadem materia, quæ in corporibus aliis, quæ materia continet in se potentiam contradictionis, h. e. ad esse & non esse, & propter hanc corpora naturalia habent primam & radicalem potentiam ad corruptionem. 2. dicitur aliquid corruptibile per potentiam completam & proximam, quæ priori potentiæ superaddit dispositiones & qualitates contrarias qualitatibus aliorum agentium, ratione quarum ab illis pati potest, & ejus forma expelli; & hoc modô cœlum nobis non statuitur corruptibile. Etsi enim cœli materia habeat potentiam recipiendi aliam formam, tamen quia in cœlo

non sunt qualitates elementares, ratione quarum aliquid in cælum agat, & aliam formam, priori expulsâ, introducat, inde est, quòd cælum nunquàm actu corrumpi potest. Ex qua distinctione iterum respondeo ad argumentum 1. Cujuscunq; corporis materia destituta est omni contrarietate, illud intrinsecâ naturæ conditione est incorruptibile, incorruptibilitatẽ sumendo, prout opponitur corruptibilitati juxta potentiam primam & radicalem; nego Major. propositionem 2. Cujuscunq; corporis materia destituta est omni contrarietate, illud speciali naturæ suæ conditione incorruptibile est, incorruptibilitatem sumendo, prout opponitur corruptibilitati juxta potentiam proximam & completam; concedo Majorem, & totum argumentum, quo ipso nihil contra me concluditur.

§. 50. *Ad alterum syllogismum similiter resp. per negationem Majoris proposit. quæ minimè manifesta est. Ita Major constituenda: In quocunq; corpore dispositiones materiæ sunt stabiles, illud corpus extrinsecè est incorruptibile, vel, non est obnoxium corruptioni; ratio, quia non inducuntur ab agente aliquo dispositiones contrariæ. Dispositionum enim stabilitas & firmamentum in aliquo corpore non aliunde est, quàm ex defectu agentis, quod illas turbet, & contrarias dispositiones corpori imprimat.*

§. 51. *Ad ultimum argumentum, quod ferè non est diversum à primo, similis est responsio. Neg. Major, quæ omnio in Philosophia Peripatetica, ut quæ illam ignorat, operosa opus habebat probatione. A defectu & carentia qualitatum alteratricium nihil aliud, quàm extrinseca incorruptibilitas concluditur; sunt siquidem illæ materiæ physicæ, prout materia physica est, extrinsecæ; nec primam corrumpendi potentiã, sed secundam, quæ ad actualem corruptionem quàm proximè ducat, inducunt. Et hæc responsio fundamentum habet in textu* Aristot. lib. 1. cœl. c. 3. *Ita* ibid. t. 20. natura rectè à contrariis excepisse videtur, quod ingenerabile & incorruptibile est, (ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον, *h. e. ingenitum & incorruptum*) *rationem addit:* generatio namq; & corruptio in contrariis sunt. *Et pergit Philosophus ostendere, cœlestia nec incrementa sumere, nec decrementa, nec alterationi ea subjecta esse.* Quod si neq; accrescere, neq; corrumpi potest, *pergit*, ejusdem est profectò sententiæ, & alterationibus ipsum subjici non posse putare. *Et* tex. seq. 22. *item* §. 100. *Cœlum nullo pactò mutatum fuisse asserit. Et hæc est sententia Aristotelis.*

§. 52. *Audiamus hac de re alios de coronâ Philosophorum.*

Ita

Ita Zabarella lib. de gen. & inter. ca. ult. col. 424. F. *egregiè* Cum enim aliud sit potestas, aliud sit actus, neq; eadem sit causa utriusq;, ut resibilitatis & risus; ideò ut generatio esse possit, causa est materia, ut autem actu sit, causa est agens generans. *Similis est est ratio de corruptione. Ita* Dn. Scheibler in Topic. ca. 20. num. 70. p. m. 506. *ad objectionem respondit*, incorruptibile vocatur cœlum solum, quia non datur causa naturalis, quæ activitate suacorrumpat cœlum. Nihilominus corruptibile est, intuendo, quòd etiam materia (cœlestis) propter generalem suam potentiam ad formas omnes naturales, potest informari ab alia forma. *Rectissimè. Et hoc est, quod suprà assertum fuit, materiam cæli habere potentiam ad alias formas, (hæc enim est natura materiæ physicæ) quamvis de ipso cælo id non possit affiramari. Vid. §. 37. Optimè de hac re quoq; disserit* Titelmannus lib. 1. Compend. Nat. Philos. c. 24. & 25. fol. 14. & 15. *sic inter alia scribens:* formæ substantiales cœlestium corporum, cum sint perfectissimæ in informando suam materiam, sic eam sua perfectione implent, & licèt ex se indifferentem, solidissimâ dispositione, validissimisq; qualitatibus stabiliunt, tamq; potentes sunt ad se servandum in ea, sub qua ab initio creatæ sunt, materia, ut nullum sit agens naturale creatum tantæ virtutis, quod adversùs ipsarum aliquam possit prævalere. *Conferantur reliqua.*

§. 53. *Concludit Autor quintam exceptorum classem sequentibus* p. 84. 85. concludit, non frustrà esse potentias, quæ in actum non deducuntur. Ex parte verum est. De passivis scilicet potentiis, non de activis. Potentia ridendi frustrà nobis data esset, si non ad actum foret reducenda. Quid prodessent nobis potentiæ, loquendi, intelligendi, videndi, audiendi, si non ad actum deducendæ? Valeat de his illud Toleti: *Frustrà esset potentia illa, quæ nunquam ad actum esset reducenda.* De passivâ verò potentiâ res habet secus. Sed in cœlo neq; actum, neq; potentiam esse, probatum antè.

§. 54. *Nimirum ego in* Theor. C. N. Disp. 8. §. 24. *posui*, non frustrà esse illas potentias, quæ in actum non deducuntur. *Concedit illud de passivis, non de activis. Resp. 1. sic habeo, quod volo. Igitur, Autoris iudiciô, potentia corrumpendi passiva in cælo non est frustanea. Sed ait ille in ultimis verbis*, in cœlo neq; a-

actum neq; potentiam esse, *à se probatum fuisse. At minimè fuit probatum, quidquid sit quod aliquot syllogismos protulerit, & probare id conatus fuerit. Syllogismi illi jam fuêre refutati. 2. Mirum autem esse videtur, quòd illud meum assertum concedit de passiva potentia, & non de activa. Estne potentia loquendi in muto frustranea, aut potentia videndi in cœco? Ego non dixerim. Cur non par utriusq; potentiæ ratio? nonne ad utramq; dirigitur actus, tanquam perfectivum ad suum perfectibile? Finitur siquidem* actus *esse*, qui dirigitur ad potentiam, eamq; perficit, Plur. Rever. Dn. Jac. Martin. Exer. Metaph. l. 1. Exer. 3. Theor. 10. p. 130. *& in* Partit. Metaph. l. 1. sect. 2. p. 69. §. 42. & p. 70. §. 48. *Denig; nonne eodẽ modò possum quærere de potentia passiva, sicut de activa;* ad quid prodesset, *sive ad quid esset* potentia passiva, si non ad actum reducenda? *Fruſtrà ergo data potentia passiva? Minimè. Relinquitur igitur, quod de utraq; potentia assertum meum sit intelligendum.*

§. 55. *Atq; sic sartum tectum illud manet, quod ego in* Theor. C. N. Disp. *8. de materia cœli & cœlestium corporum asserui, quòd nimirum ea in illis potentiam corrumpendi ponat. Nec est, ut Autor hac assertione moveatur. Audiat is a me jam meam assertionem de corporibus glorificatis, quam ego hic loci sæpissimè proposui, nec ullum contradicentem (ne quidem de plurimùm venerandâ Theologorum coronâ) ullo tempore audivi. Ita rem proposui in Corollariis ad* Disp. 8. Theor. Corp. Nat. *annexis. I.* Materia rerum naturalium ita una est & eadem in rebus naturalibus, ut eadem maneat in corporibus nostris in altera vita. Habebit enim quilibet nostrùm animam suam; cur non etiam corpus suum organicum; quod est materia hominis, sicut ex definitione animæ constat. II. Nec potentiam contradictionis, quæ est in materia, obstare, quo minùs corporibus nostris eadem, quam hic habeamus, materia in altera vita conveniat, nôrunt illi, qui inter potentiam & actum distinguere nôrunt. III. Nec potentia illa in materia imperfectionem dicit, absolutè eam spectando. Est enim ea de essentia materiæ. Essentia autem materiæ, quæcunq; etiam fuerit, bona est, cum à Deo originem traxerit. Quòd verò materia in comparatione ad alia, maximè ad formam, à qua ipsi perfectio, imperfecta dicitur, essentiæ ejus nihil præjudicat. IV. Sicut nulla sua naturâ sunt corpora spiritualia, ita quoq; nulla sunt corpora sua naturâ, quantum ad generalem

ralem naturæ conditionem, incorruptibilia. Quòd si verò incorruptibilia dantur corpora, uti dari non negamus, erit id ex alio principio. V. Naturalia in rebus naturâ cõstantibus per supernaturalia non tolluntur quà potentiam suam primam, sed tantùm quò actum &c.

§. 56. *Sexta classis excerptorum sequitur, quæ Autor Dissertationis proponit* p. 70. 71. *ex* Diss. 8. §. 25. *ubi statui, quòd* eadem sit materia compositionis & generationis. *Videantur loca jam allegata. Assertionem autem istam meam evertere conatur* seq. p. 85. *sic discurrens:* Non simpliciter verum est, unam eandemq; quà substantiam esse materiam, quæ est principium compositionis, & quæ est subjectum generationis. Habet homo materiam compositionis, habet etiam materiam generationis. Illa est, corpus organicum; hæc, semen. Idem de brutis, plantis, & metallis, dicendum. Ut non eadem substantiæ ratio sit, in utraq; istâ materiâ. Deindè, latius se diffundit materia compositionis, quàm generationis. Illa est, materia quævis; hæc tantùm corpora sunt. Ut ergò corpus à nudâ materiâ differt substantialiter, sic materia generationis à materiâ compositionis in genere sumtâ. Hinc falsa est propositio hæc: Ubi datur materia compositionis, ibi etiam datur materia generationis. Sed inquit, non attinere hoc substantiam materiæ, esse subjectum generationis. Sit ita. Neque etiam illud attinet substantiam materiæ, esse principium compositionis. Utrumq; concernit officium, non substantiam. Sed cum hoc discrimine, ut concurrere ad compositionem, commune & nobile materiæ officium; concurrere ad generationem, speciale & ignobile istius munus, exprimat.

§. 57. *Verùm simpliciter verum esse, quòd una eademq; quà substantiam sive entitatem materia sit in natura, Autori, quod spero, liquidissimum reddam. Primò assertio illa non est nova, sed vetus. Ita de principijs primis physicis in genere (alios ut taceam)* Dn. Senner. p. m. Epit. N. S. l. 1. c. 3. p. 33. Cl. Dn. Scharff. P. R. par. gen. l. 1. c. 1. p. 47. *de materia in specie* P. Meisner. par. 1. Phil. Sob. p. 3. c. 2. q. 2. p. 223. *Qui Autores consulantur. Deinde ex Autore ipso rem manifestã faciam. 1. Quæro ex ipso, an dictum Scaligeri, quod suum facit, eog; (sed irritò conatu) contra me utitur in* Dissert. p. 61. *loquatur de una secundùm substantiam materia, an verò de duabus vel pluribus? Ita habet dictum:* non data fuit à natura materia ob transmutationem

ad generationem primò & per se, ut ubicunq; fit, etiam sit generatio, sed ad subsistendum formæ corporeitatis in substantia, & recipiendum quantitatem & figuram. *Et paulò post:* hisce de causis primariò DEI consiliò materia creata est, secundariò verò & minùs nobili utilitate propter generationem. *Nonne quilibet sanus exinde confiteit hoc argumentum: quidquid primò non ob generationem, sed ob compositionem datum est, illi quidem minùs nobili, huic verò magis nobili utilitate inserviens, illud in se & sua entitate unum est. Atqui materia primò non fuit data ob generationem, sed ob compositionem, illi quidem minùs nobili, huic verò magis nobili utilitate inserviens. Er. materia in se & sua entitate est una.*

§. 58. *Et in hoc ipso loco, quo illud assertum vult destruere, idem nobis integrum relinquit, his suis verbis, quæ ultimò leguntur:* p. 85. 86. Sed inquit, non attinere hoc substantiam materiæ, esse subjectum generationis. Sit ita. Neq; etiam illud attinet substantiam materiæ, esse principium compositionis. *Sit ita.* Utrumq; concernit officium, non substantiam. *Resp. Rectissimè.* Sed cum hoc discrimine, ut concurrere ad compositionem commune & nobile materiæ officium, concurrere ad generationem speciale & ignobile istius munus exprimat. *Resp. Rectissimè omnia. Hic quæro, an ista duo materiæ munera varient vel immutent materiæ substantiam? Non potest id affirmari. Nonne limpidissimè inde fluit nostra assertio? Nimirum, materiæ in Natura geminum est munus, unum in compositione, quod generale & commune est, ad omnia corpora naturalia spectans; alterum in generatione, & est speciale, aliqua solummodò corpora concernens. At verò geminum istud munus materiam non variat aut mutat in substantia, sicut aliàs & de se nullum munq; nullumve officiũ mutat aut diversicat substantiã rei, cujus est munus aut officium. Ergo geminum illud materiæ physicæ munus relinquit ipsam in suâ substantia unam & eandem. Ergo una in substantia materia, quæ est materia compositionis & generationis. Utriq; ergò officio una substat entitas, una substantia, sicut etiam in aliis cernere est. Conf. sup.* Disp. 4. §. 16. & 38. *Et hæc doctrina tandem concordat cum* Scalig. in Exerc. 61. & B. Sennert. in Tr. de C. D. C. cum A. G. c. 7. p. 72. *& aliorum* §. antec. *allegatorum doctrina.*

§. 59. *Sed quomodo ista hæc Autoris assertæ, & exinde deducta conclusio concordant cum illo enunciato, quod antè* paragr. 56. *ex* Disert. p. 85. *propositum fuit:* Non simpliciter verum est, unam ean-

eandemq; quà substantiam esse materiam, quæ est principium compositionis, & quæ est subjectum generationis. *Certè, vi dictorum & evictorum*, simpliciter verum est, unam eandemque quà substantiam (*NB. qua substantiam*) esse materiam, quæ est principium compositionis, & quæ est subjectum generationis. *Est enim differentia solummodò in diversis officiis, quæ substantiam non variant*, §. antec. 58. *sed unam eandemq; pro compositione & transmutatione reliquunt*, §. antec. 57. *unde ob compositionem, materiæ & partis, ob formam & generationem*, subjecti, *ob utramq; verò*, principii (*est siquidem materia principium compositi pariter & generationis*) *nomen sibi vendicat. Sicut autē muneris diversitas, ita quoq; appellationis varietas substantiam materiæ non variat. Est q; observatu dignum, quòd Autor adhibuit illum modum loquendi, qui hanc rem optimè declarat, quiq; optimè in tali doctrinæ genere adhibetur*, materiam unam eandemq; quà substantiam, quæ sit, (N.B. quæ sit) compositionis principium, & quæ sit (N.B. quæ sit) generationis subjectum, *nuncupans.*

§. 60. *Sed quid Autorem movit, ut id non simpliciter verum esse arbitraretur? Duo opponit.* (1.) Habet homo materiam compositionis, habet etiam materiam generationis; illa est corpus organicum, hæc semen. Ut non eadem substantiæ ratio sit in utraq; ista materia. *Resp. Non probatur diversa entitas in materia compositionis & generationis. Nec enim semen & corpus organicum, quantum ad rationem materiæ, aliter, quàm accidentaliter differunt, formis nimirum & accidentibus sive dispositionibus, quæ materiæ accidunt, sicut* antec. Disput. 4. §. 29. *explicui. Nimirum materia aliis gaudet dispositionibus, dum est sub forma seminis, aliis, dum est sub forma corporis animati in corpore organico, quæ forma est anima. Scilicet formæ accedunt & recedunt, uniuntur materiæ, & ab eâ sejunguntur; prius fit in generatione, posterius in corruptione. Hinc est, quod, asserente Viro Clariss. in* Tr. de Mor. T. S. p. 132. & in Tr. de Or. for. p. 300. 312. 325. *semen non manet semen, sed mutatur, quando est generatio animantis ex ipso. Non autem aliter mutatur, quàm ratione formæ & dispositionum, quod nimirum seminis formam abijcit, & viventis formam sive animam assumit, pro cujus receptione aliis quoq; in materia, quæ remanet, & utriq; formæ substernitur, (fit enim mutatio in materia) dispositionibus est opus, quàm habebat, dum erat sub forma seminis. Has autem dispositiones materia accipit ab agente, sive à generante,*

mante, cujus est materiam debitè construere, illamq; dignis formâ introducendâ dispositionibus imbuere. Sicut igitur generans communicat formam, & materia recipit eam, ita quoq; generans imprimit materiæ dispositiones, debitamq; & convenientem qualitatum contemperationem, materia verò easdem in se recipit & tenet, quam diu formam tenet. Ex quibus iterum inclarescit, quòd formæ & dispositiones aliæ atq; aliæ in materia non efficiant illam substantialiter, (de substantia physica sive de entitate materiæ, in quantũ materia est, loquendo) sed solummodò accidentaliter diversam, sicut Disp. antec. 4. §. 29. *expositum fuit.*

§. 61. Not. quod dixi, de substantia physica & entitate materiæ loquendo. *Per hæc enim verba respondetur ad sequentia Autoris verba, quæ sunt ambigua, quando* non eandem substantiæ rationem dicit esse in utraq; ista materia. *Logicè hoc verum est. Alia est ratio substantiæ h.e. alia est definitio seminis, alia corporis organici; inde autem entitas physica materiæ, vel, ut ea à parte rei est, non diversificatur, nec multiplicatur. Sic alia est ratio substantiæ (λόγος τῆς οὐσίας) in actione, alia in passione, cum aliter illa, aliter hæc definiatur; actio autem & passio non sunt duæ entitates physicæ, sed una entitas. Vel, potest etiam illa phrasis accipi vulgariter pro conditione & statu rei, h.e. materiæ. Et tunc etiam verum est, aliam esse substantiæ rationem i.e. conditionem in utraq; materia e.g. aliam in semine, aliam in corpore organico, eô modô, quô Disp. antec. expositum fuit.*

§. 52. Sed, antequam progrediar, occasio cavillandi Autori præscindenda est. Inquiat enim ille, contradictionem latere in his responsis. Prius enim §. 60. dictum fuit, semen & corpus organicum accidentaliter, non verò substantialiter differre; pòst §. 61. conceditur, aliam rationem substantiæ esse in semine & in corpore organico. Er. non accidentaliter, sed substantialiter differunt. Resp. nulla contradictio. Et in dictis responsio latet. Etenim 1. *dictum fuit §. 60. quòd semen & corpus organicum, quantum ad id, quod ex parte materiæ est, non nisi accidentaliter differant.* 2. *Dictum fuit §. 61. quòd alia sit ratio substantiæ logicè loquendo, h.e. alius λόγος τῆς οὐσίας, non verò alietas substantiæ physicæ h.e. entitatis materiæ, inquantum materia est. Declaro. Possunt* semen & corpus organicum *dupliciter considerari: vel quatenus talia, quatenus nimirum semen, & quat. corpus organicum;*

eum; vel quat. ut materia proxima subsit vel generationi, ut semen, vel compositioni, ut corpus organicũ, cũ hoc discrimine, quod illud sit materia transiens in generatione, hoc materia immanens & compositionis. Primori modò admitto, quòd alia utrinq; sit ratio substantiæ, logicè accipiendo; posteriori modò nego, quòd alia sit ratio materiæ quà substantiam ejus, physicè accipiendo, h.e. quòd alia sit materiæ entitas in semine & in corpore organico, quidquid sit, quòd ibi sub aliis & aliis formis tàm substantialibus, quàm accidentalibus appareat, sicut sup. §. ant. 60. dictum fuit.

§. 63. Nec te offendat, quod dixi, materiæ entitatem non esse aliam in semine & corpore organico. Formæ siquidem, ut sæpiùs dixi, non diversificant substantialiter materiã, cujus sunt formæ, quãq; informãt, sed diversificant essentialiter corpora naturalia, quæ essentialiter constituũt; materiæ siquidẽ, ut materia est, accidunt, & extra ejus essentiã sunt, corporibus verò non accidunt, sed ad illorum essentiam spectant. Nec formæ faciunt aliã & aliã materiã, si vel substantiã spectes, vel dispositiones in ea; sed formæ constituunt alia & alia secundùm speciẽ corpora, & præsupponũt aliã & aliã materiã, â generantibus præparatã & dispositã. Nec semẽ est materia generationis secundùm formã, sed quà corporaturã sive massã corpoream, quæ formâ seminis abjectâ, formã viventis, sive animã, in generationis actu introductã, recipere potest. Ibi corpus seminis alias dispositiones, a generante profectas, adsumit, aliũq; habitũ induit, qui formæ viventis sive animæ proportionetur & conveniat. Nimirum tunc corporatura seminis assumit organa, & abit in corpus organicũ, non substantiã. Sed habitũ mutando; forma verò seminis in generatione recedit, & dat locum animæ. Unde tandem conspicitur, quòd materia seminis maneat sub forma seminis & sub anima, sub alio & alio corporis habitu, qui priùs, ubi erat materia seminis, erat inorganicus, nunc autẽ, ubi redditũ materia viventis, effectus organicus. Ubi sicut organica & inorganica structura non mutant substantiam materiæ viventiũ, sive generationis, sive constitutionis materiam spectes, ita alias dispositiones, aliasq; mutationes, quæ in materia contingunt, ejus ut subjecti physici, substantiã non mutare, sed ei solum per dispositionũ vicissitudines, aliũ & aliũ habitum imprimere, putandum est.

§. 64. Tota res huc tandẽ redit: materia in semine nõ est alia substantia, quàm in corpore organico, sicut aqua non est alius substantiæ res, dum farinæ vel luto admista est, & dum concreta est in glaciem, &c. sic lanæ in panno rubro & pileo nigro est ejusdem substantiæ; eadem-

cera candelæ formam gerit, & simulacri, quô simili utuntur Scaliger & Sennertus, ille Exer. 61. p. *222. hic in* Epit. N. S. l. 1. c. 3. p. 42. *Summa:* quidquid generatur in natura, generatur ex materia primâ; *est enim hæc commune cujusvis generationis subjectum;* & quidquid componitur, vel compositum existit in natura, illud materiâ ista primâ constat. *Ita Dn. Senner. p. m. in sæpè laudato* Tract. de C. D. C. cum G. A. c. 7. p. 72. ita Scal. ex. 61. p. 220. *ubi ait*, se non posse intelligere, quomodo alia sit materia corporis humani & stercoris vel asini vel crocodili. *Nec sententiæ Scaligeri obstat, quòd alia sit ratio substantiæ in corpore humano, & alia in stercore asini; loquitur is, sicut decet, de unitate & identitate substantiæ materiæ physicæ.*

§. 65. *Objicit* 2. latiùs se diffundere materiam compositionis, quàm generationis. *Verùm Resp.* 1. *inde non sequitur. Er. materia compositionis quà substantiam est alia à materia generationis. Nimirum id concernit officium materiæ, quòd ea se exhibet omnibus corporibus quantum ad compositionem, non verò quantum ad generationem. Est enim illud primarium & nobilissimum ejus officium, quô in substantialem rerum naturalium compositionem venit, uti Autor noster ex Scaligero proposuit in* Dissert. ca. 3. p. 60. 61. & Instit. Phys. l. 1. c. 2. q. 2. p. 57. *Vid.* Disp. antec. 4. §. 16. & hujus §. 58. *Quid verò* 2. *cum sequentibus Autoris verbis?* Illa (*materia sc. compositionis*) est materia quævis; hæc tantùm corpora sunt. *Ecce* primò; *si materia compositionis est materia quævis, ut expressis Autor ponit verbis; Er. quoq; materia generationis erit materia compositionis, quia & illa est aliqua materia.* Deinde *falsum est, materiam generationis esse tantùm corpora. Aliter nos instruit B. Sennertus in sæpè laudato* Tr. de C. D. C. cum G. & A. c. 7. p. 72. *& contrarium* Disp. antec. *probatum fuit. Hic argumentor breviter: illa corpora aut genita sunt, aut non sunt genita. Hoc non potest dici; nec hoc vult Autor, siquidem se in* Instit. Phys. l. 1. c. 2. q. 2. p. 56. *& in* Dissert. c. 3. p. 59. *explicat, semina nempe, aut corpora alia his correspondentia, materiam generationis constituens. Er. intelliguntur corpora genita. Si hoc; ergo ex alia materia erunt genita, quæ non est, nec potest esse alia, quàm materia nostra prima, quæ est commune generationis subjectum, uti Dn. Sennertus cum Schola Peripatetica agnovit. Er. datur alia generationis materia præter corpora, adeoq; non tantùm corpora sunt materia generationis, sed prior & antiquior illis corporibus materia, ex qua corpora*

omnia

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786449799/phys_0198
DFG

omnia, quæcunq; fuerint, tanquam ex subjecto primo, naturali generatione producuntur, concedenda est.

§. 66. *Hinc perspicitur, quid dicendum ad subsequentia verba*: Ut ergo corpus à nuda materia differt substantialiter, sic materia generationis à materia compositionis in genere sumta. *Contrà 1. supponit declaratio, materiam generationis esse corpus, quod hactenus satis refutatum fuit, ut proinde declaratio hæc falsò innitatur fundamentô. 2. nec hoc pactô materia generationis à materia compositionis rectè distriminatur, cum materia compositionis in genere non detur, nisi in conceptu, adeoq; nec composita sit, nec incomposita, sed ab utraq; præscindat; debet autem contradistinctio fieri materiæ generationis, ut corporis, adeoq; ut materiæ compositæ, à materia non composita sive simplici, quod ab Autore non fieri videmus. Sufficit ergo, quòd sit aliqua materia constitutionis, quæ & ipsa sit cōposita. sicut dari Autor statuit in* Instit. Phys. l. 1. c. 2. p. 47. *adeoq; corpus; ut proinde materia generationis à materia compositionis in eo non possit distingui, quod illa sit corpus, hæc non, cum etiam aliqua materia compositionis detur, quæ corpus sit. 3. Similiter quoq; de materia generationis dici potest, quod non omnis sit composita, vel corpus, siquidem, uti §. 53. probatum, danda aliqua materia generationis ingenita, adeoq; & incomposita sive simplex. 4. Imò nulla in Natura rerum datur materia nuda, sive generationis sive compositionis materiã sumas, sed semper materia sub certis formis, adeoq; & certis dispositionibus existit. Ut proinde materiam generationis, quæ corpus sit, à nuda materia distinguere haut queamus, cum in eo utraq; materia, h. e. tàm generationis, quam compositionis conveniant, & par utriusq; sit ratio, ut etiam modò dicta testantur 5. Imò & materia prima doctissimis Philosophis, certâ vocis acceptione, corpus salutatur, uti videre est apud* Zabarell. *l. 2. de Mat. Prim. c. 17. & alios. Quam sententiam ego quoq; teneo.*

§. 67. *Quantum deniq; ad ultimam propositionem in* p. 85. *quam Autor falsam esse dicit*: ubi datur materia compositionis, ibi datur materia generationis, *falsa ea est in sensu composito, vera autem est in sensu diviso, ut* sup. §. 33. seqq. *pluribus fuit expositum. Nimirum ubi datur materia compositionis, ibi datur materia generationis quantum ad rem, h. e. illa materia, quæ generationis principium est, non verò quantum ad officium, h. e. ut ibi generationis principium sit, adeoq; res illa generationi subjiciatur.*

§. 68. *Pergit Autor, & discursum suum pertexit* p. 86. *sic scribens*: Præterea & illud falsum est, „unam eandemq; quà sub-

stantiam materiam esse, quæ sit principium compositionis, & quæ sit subjectum omnium formarum. Sanè non est eadem quâ substantiam materia in homine & Lunâ, in asino & cœlo, in rana & igne, cane & auro. Unde & id cadit, *non esse multas & specie distinctas materias in rerum natura.* Differt omninò specie materia canis à materia Solis, materia equi à materiâ cœli. Corpora enim sunt istæ, hæ neutiquam. Nec valet ratio, quia materiæ omnes componunt, propterea omnes specie convenire. Ad genericam convenientiam id facit, non ad specificam. Etiam omnes formæ informant, & tamen multæ ac specie distinctæ in rerum naturâ sunt. Sed *omnis distinctio* inquit, *est per aliquem actum.* Et adest actus alius in materiâ corporum mixtorum, quàm simplicium. Alia essentia est materiæ canis, quàm Solis. Ait, *hoc esse externum quid.* Externum est ratione materiæ ut sic, sed non ratione materiæ canis. Ad hujus enim essentiam spectant elementa, quæ non requiruntur ad materiam Solis aut cœli. Sed illa materia ut sic, inquiat, quid aliud quàm materia prima? Risum teneatis amici.

§. 69. *Sed quid ad ista respondendum sit, ex antè dictis non potest non esse manifestum. 1. Quidni eadem quâ substantiam erit materia compositionis & subjectum omnium formarum, cum unâ quâ substantiam esse materiam, evictum sit, & officia, quæ materia sustinet, ipsam substantialiter non reddere diversam, jam liquidò constet? Imo eò ipso, quò est compositionis principium, omnia composita physica, tàm quæ speciem, quàm quæ numerum, concernit, adeoq; omnium formarũ est subjectum, siquidem in quolibet composito forma subjicitur, ut eam in se sustentet, unde domicilium & sustentaculum formarum dici meruit. Nec enim est compositio sine receptione formæ. Et sanè eandem quâ substantiam materiam in homine esse & in luna, in asino & cœlo, &c. in antecedentibus ex Scaligero & ipso Dissertationis Autore probatum fuit. Et quidni materia in cœlo, in sole, in luna &c. aquè erit subjectum formarum, ac in auro, in cane, in asino? Aut fortean forma cœli est extra materiam cœli, & forma solis extra materiam solis? Vid.* Theor. C. N. Disp. 8. §. 14. 15. *2. Non cadit illud nostrum assertum, non esse multas & specie distinctas materias in rerum natura, quod in* Theor. C. N. Disp. d. §. 10. sq. *probatum fuit, ad probationes autem ab Autore nihil responsum. Non specie differunt materia canis & materia solis, materia equi & materia cœli, ex eo, quòd materiæ istæ sint corpora, hæ neutiquam. Etenim*

1. sunt

1. *sunt & istæ materiæ corpora; imò & ipsa materia prima corpus est, ut nuper ex* Zabarel. l. 2. de Mat. Prim. c. 17. *citavimus. Et differunt saltem, quòd corpora, quæ sunt materia canis, equi, &c. sunt instructiora, ita loquendo, & accidentibus refertiora, majorem q; apparatum habent, (quæ omnia materiæ accidunt, eamq; substantialiter nõ variant, ut non solùm in hac, verùm antec. Disp. dictũ fuit) quam materia aliorũ, nempe inanimatorũ mixtorũ, aut etiá simpliciũ corporũ. 2. corpora ista, quæ sunt materia canis, equi, &c. æquè sunt entia incõpleta, ad actus suos substantiales ordinata, ac materia solis, lunæ, &c. ut cum illis entia completa physica, & corpora certarum specierum constituant. Loquatur hic iterum Scaliger, qui se non intelligere ait, quomodo alia sit materia corporis humani, & alia stercoris vel asini vel crocodili,* exer. 61. p. 220.

§. 70. *Non autem ego eâ, quam* Autor *addit, ratione me usú fuisse memini,* materias omnes ejusdem esse speciei, quia omnes componunt. *Imò potiùs dicendum, quia materia physica in omnibus corporibus naturalibus est compositiva, & quod res naturales compositæ sunt, juxta formam adscribere debent materiæ. (2.) Nego, id ad genericam convenientiam esse referendum. Quî enim non ad specificam materiæ rationem spectet, existere principium compositionis omnibus rebus naturalibus, ego non video. Imò una numerò entitas sufficit omnium corporum naturalium compositioni, quæ sicut in primo rerum molimine, ita etiamnum hodiè in ordinaria rerum naturalium generatione, divisim se exhibet omnibus compositis physicis, sicut* Disp. seq. *explicabitur. Videatur & confertur.* Theor. C.N. Disp. 7. §. 34. & Disp. 8. §. ult. *(3.) Nec licet à conditione formæ ad conditionẽ materiæ argumentari. Ibi enim 1. revera & citra ullam contradictionẽ multæ sunt formæ substantiales, pro multitudine speciorum in rebus naturalibus; 2. formæ eô ipso, quô materiam informant, speciem constituunt, ut loquuntur, vel esse specificum rebus naturalibus conferunt. Hinc 3. materia, quantum ad rem, est communis omnibus rebus naturalibus, & commune omnium formarum substantialium subjectum, forma verò specifica est cuilibet rei naturali propria, & dat proprium esse ab aliis q; distinctum. Ut proinde liqueat, propter multitudinem specierum in rebus naturalibus multas debere esse formas specie & essentialiter diversas, non verò substantialiter diversas materias, siquidem à materia nulla differentia, sed solummodò à forma: Imò sicut à formis est differentia in rebus naturalibus, ita in materia est convenientia, quod ipse Autor agnoscit*

in Tract. de or. for. p. 312. Et hoc est, *inquiens*, quod communiter docent, corpora naturalia materiâ convenire, formâ disconvenire.

§. 71. *Propterea probans ego, non esse multas materias specie distinctas, usus fui principiô hoc*, quod omnis distinctio sit per aliquem actum, *id est, per formam. Materia verò, ut materia est, nullum admittit actum in se, præter quam entitativum, à quo nulla est distinctio. Regerit ille*; & adest actus alius in materia corporum mixtorum, quàm simplicium. *Resp.* 1. κατ' ἄνθρωπον; *inde esset distinctio inter corpora simplicia & mixta, quia alius actus alius materiæ, & alia forma pro alia materia*, Autor *Dissert.* Inst. Phys. l. 1. c. 3. q. 1. p. 470. *& in* Tr. de Mor. Tot. subst. p. 70. *distinctio autem rerum propriè est per formam, Autor in* Tr. de Or. for. p. 115. 247. *Ut proinde ista Autoris exceptio mihi non obsit. Nec enim ibi sunt actus substantialiter diversificantes materiam, cum illi materiæ sint accidentales, & extra essentiam ejus, sed diversificantes corpora, quæ ex materia, constant, quibus non sunt accidentales, sed essentiales, ad essentiam earum spectantes.* 2. κατ' ἀλήθειαν. *Materia corporum simplicium, ut & mixtorum, non habet aliquem actum specificum vel speciem dantem, sed in materia elementorum, uti & in materia mixtorum, sunt plures actus, ei aliud & aliud esse, vel aliam & aliam speciem tribuentes, quia pars illius materiæ informatur formâ ignis, pars formâ aëris, &c. & in materia mixtorũ sunt plurimi actus substantiales, eam multifariam perficientes, & plurimas species ibi constituentes, uti alibi explicatur.*

§. 72. *Ut modò alium actum materiæ elementorum, alium materiæ mixtorum adjudicavit* Autor, *ita nunc* aliam essentiam esse materiæ canis, quàm solis, *pronunciat. Fortean etiam, quia illa habet alium actum, quàm hæc.* Alius enim actus aliud largitur esse. *Dico igitur*, materiam solis, materiam elementorum, *materiam mixtorum, materiam canis &c. posse dupliciter considerari*; 1. in quantum materia est, *præcisâ omni formâ, tàm substantiali, quàm accidentali*; *& sic nego, aliam esse essentiam materiæ in illis aliisve corporibus; in omnibus siquidem materia est potentia receptiva formæ, & cum ipsa, ut actu primo substantiali, constitutiva compositi; vel consideratur* 2. ut substat certis dispositionibus, *ad aliam & aliam formam fovendam ordinatis; sic materia aliter comparata est, prout substat formæ solis, ac est, prout substat formæ cœli; sic materia aliter præparata est, & aliis prædita qualitatibus, prout est materia terræ, & prout est materiæ*

via ignis; iterum aliter elaborata, & aliis instructa dispositionibus, prout subsistat formæ auri, aliis, prout subsistat formæ magnetis, &c. aliter quoq; se habet materia, & nobiliori gaudet dispositione & structurâ, quando subiici debet formæ viventis, & sic deinceps. Hæc est nativa conditio materiæ, hæc ejus, ratione dispositionum & structuræ, varietas, unde materia non aliam accipit essentiam, sed aliter & aliter se habet ratione modi existendi in rerum natura, quòd nimirum sub variis existit dispositionibus & formis. Quàm rem superius exemplo aquæ aliarumq; rerum, quæ variis modis disponi & affici possunt, exposui.

§. 73. Hoc (i.e. hanc conditionem materiæ, quâ alia efficitur) dixi esse materiæ extrinsecum. Autor assertionem meam limitare laborat, externum est, inquiens, ratione materiæ ut sic, sed non ratione materiæ canis. At consideret mecum Autor, quòd materia canis, in quantum materia est, sit dispositionum certarum subjectum, quibus caret, antequàm à generante inducantur. Imò sive materiam generationis, quæ est semen, corpus spirituosum ex sanguine genitum; sive materiam compositionis, quæ est corpus organicum canis, spectemus, quascunq; vel illud, vel hoc habet dispositionum & structuræ varietates, utrinq; à generante illas pendere, & in materiam induci, nemo negaverit. Non siquidem eas materia effectivè à seipsa habet. Unde argumentum conficio hoc: quidquid materia generationis de se non habet, sed à generante ei inducitur, illud ipsi ejusq; entitati est extrinsecum. Atqui dispositiones aliumq; præparationis apparatum materia de se non habet, sed à generante accipit. Er. apparatus dispositionũ & præparationis est materiæ extrinsecus. Minor constat, videmus enim, nullam materiam, ex qua naturaliter aliquid generari debet, de se habere, quibus ad formæ receptionem opus est, dispositiones. Et præterea, omnia, quæ fiunt & conficiuntur, ab aliquo agente confici debent.

§. 74. Non solùm falsum, sed & absurdum est, ad essentiam materiæ canis spectare elementa. Elementa certè nullius rei naturalis essentiam ingrediuntur, nec ingredi possunt, siquidem non unum per se physicum, sed unum per accidens inde prodiret. Dispositiones elementares requiruntur ad materiam illam, ut necessaria conditio; illæ autem non faciunt aliam materiæ physicæ essentiam, ut ex dictis liquidum est. Et quantum ad substantiam rei, materia elementorum, h.e. illa materia, quæ est elementorum materia, ipsorumq; formis, cum debita qualitatum συζυγίᾳ, subjecta est, est quoq; materia cœli, materia canis aliorumq; corporum, per omnia, inquam, corpora naturalia dispersa & diffusa, divisim omnium rerum naturalium formas in-

in se continens & sustinens, cum illis corpora naturalia secundùm species suas perfecta constituens.

§. 75. *Tandem de materia physica in sua essentia nudè consideratâ Autor meo nomine quæstionem instituit, & suo nomine respondet. Ita quærit:* Sed illa materia ut sic, inquiat, quid aliud quàm materia prima? *Ita respondet:* risum teneatis amici. *Bella responsio, tantò Philosophò digna. In quæstione dubium est, quid intelligat per* materiam ut sic? *an materiam suam genericam, (chimaricam penè dixerim) quæ corpus genericum constituat, an verò materiam physicam nudè & in se spectatam, quæ subjectum sit dispositionum & formarum ipsarum physicarum? Priori modò nulla est materia physica, ut sequens Disputatio monstrabit, & ex ipso quoq; Autore haut difficulter percipi potest. In verbis enim proximè præcedentibus illa phrasi distinxit materiam indispositam à disposita, quando dixit:* externum est (*nimirum variis dispositionibus scatere*) ratione materiæ ut sic, non ratione materiæ canis; *nimirum materia canis suis prædita & stipata est (esse debet) dispositionibus; illa ergo materia, quam huic contradistinguit, non est imbuta dispositionibus, quod, propriè loquendo, non potest intelligi de alia materia, quàm de materia physicè existente, non aliter ac quando dico, lanam filatam textamve, rubram vel nigram, distare à lana ut sic, h. e. in sua entitate sine ejusmodi affectione; & aquam salsam, rubram, luteam aliisve modis affectam, differre ab aqua ut sic, hoc est, quæ suæ simplici entitati relicta est.*

§. 76. *Isto modò intellecta materia physica quî alia sit, quàm materia prima, in sua entitate simplex, commune omnium formarum subjectum & domicilium, doctissimi Philosophi ad hæc usq; tempora perspicere non potuerunt. Risum ergo meritus Pl. Rev. Dn. Jac. Martini, B. Dn. Sennertus, Cl. Dn. Scharffius, alios ut hic silentiò pretereã, qui materiam illam physicam materiam primam salutârunt, nosq; in nostra sententia egregiè confirmârunt, quibus etiam eò nomine gratias immortales agimus, illis non solùm in hac mortalitate, verùm in altera vita benè esse jubentes!*

§. 77. *De illis, quæ Autor in septima excerptorum classe de unitate materiæ disputat, cum Chartæ huic Disputationi destinatæ omnia capere non possint, sequente Disputione sexta agetur. Hic ergo subsistimus.*

Disput

BONO CUM DEO.

DISPUTATIO VI.

DE UNITATE MATERIÆ.

§. I.

Num restat, quod Autor Dissertationis contra Theor. Corp. Nat. Disp. 8. *excepit, in eoq; se mihi strenuè opposuit, de quo peculiari hac Disputatione agere institui. Scilicèt ego materiam primam ens singulare esse statuo, ipse verò, Keckermanni & Wendelini vestigiis insistens, eam ens universale esse arbitratur, & hanc controversiam in septima excerptorum classe proponit.*

§. 2. *Priùs autem quam principalem controversiam aggrediar, præfationem Autoris considerandam, & alia quædam observanda præmitto. Itaq; in* Disser. c. 3. p. 87. Autor malè statuit materiam Physicam, quam primam vocat, esse ens singulare, non universale. Non est nostrum, Physicas quæstiones cum Metaphysicis confundere, & de unitate numericâ aut specifica disputare. Imperitia est, Physicam materiam tractare non Physicè. Cogimur tamen sequi præeuntem, & monstrare Autori errorem fœdum.

§. 3. *At uter fœdè erraverit, hæc Disputatio monstrabit. In limine Autori sua reddo verba, & dico:* Autor Dissertationis malè statuit materiam physicam esse ens universale, non singulare. Non est nostrum, physicas quæstiones cum Metaphysicis confundere, & de unitate universali disputare. Imperitia est materiam physicam tractare non-physicè. *Dicat enim sanus quispiam, annon sententia de entitate & unitate universali materiæ, quam is dudum in Inst. suis Physicis proposuit, æquè sit Metaphysica, ac est altera de entitate & unitate singulari materiæ? Aut fortean is, qui statuit, materiam physicam esse ens singulare, materiam physicam tractat non physicè, qui verò statuit, materiam physicam esse ens universale, ipsam tractat physicè? Er. singulare est terminus Metaphysicus, universale non est terminus Metaphysicus? Fateor, me hoc non*

ntelligere. Cogitet insuper Autor, quòd causas corporis naturalis definiverit Metaphysicè. De qua re alibi.

§. 4. *Deinde observandum propono I. me in unitate materiæ asserendâ secutum fuisse Aristotelem & Aristotelicos Doctores, quos allegavi, è multis,* (in d. Disp. 8. §. 31.) Perer. lib. 5. de princ. rer. nat. c. 17. p. 322. Piccolom. in Univ. Sc. Natur. l. 2. de Mat. Pr. c. 7. p. 962. Suarez Disp. Metaph. 5. s. 6. nu. 2. & Disp. 13. s. 2. nu. 8. p. 253. Arnisæ. Epit. Phys. p. 71. Anton. Ruv. in 1. Phys. tr. 1. de mat. q. 1. part. 2. p. 94. 95. *quibus jam jungo Scaligerum, Sennertum, Scharffium, Sperlingium, eorumq; tùm inter se, tùm cum Aristotelicis consensum, paucis præmissis, ostendo.*

§. 5. *Observetur II. & repetatur ex* Disp. 8. §. 32. & 33. *quomodo materiam physicam singularem vel unam numero statuam. Quomodo enim id intelligam, & quomodo explicem, Autor Dissertationis non exposuit, sed consilio ut præcipite, ita irritò ad unius atq; alterius mei argumenti refutationem contendit. Ita rem exposui ex* Suarez l. d. quòd unitas & distinctio in materia talis sit, qualis solet esse in rebus homogeneis, quarum partes integrantes si sint actu divisæ, sunt etiam plura individua simpliciter, & actu distincta numerò, si verò non sint disjunctæ, sed continuæ actu, sunt unum numerò actu, & plura in potentia, sicut e. g. aqua, item terra, possunt esse una numerò, & plures una, si continuata producatur, vel postquam producta est, continuetur. *Hæc Suarez. Ego verò expressi hanc rem sequente modo in §. 33.* Materia prima intrinsecè ex se & sua natura est, vel petit esse una numerò, est autem multa numerò extrinsecè, ex divisione agentium, illam inter varias res distribuentium, *&c. reliqua ibid. videantur.*

§. 6. *Hanc rem jam ita explico. Sit lignum numerò unum; hoc, indivisum existens, est unum numerò actu, multum autem numerò potentiâ, quia in plurimas particulas potest secari. Si secetur jam in mille particulas, recte dico de eo dissecto, quòd sit multa numerò ligna, vel multæ ligni partes, numerò distinctæ, potentiâ verò unum numerò lignum, utpote, quod suâ naturâ erat actu unum numerò ante divisionem; imò sibi suæq; integritati si relinqueretur, non aliter haberet, quàm quòd unum esset numerò. Est igitur lignum sibi relictum intrinsecè & propriâ naturæ suæ conditione unum numerò, divisum verò & dissectum est multa numerò extrinsecè & planè accidentaliter,*

quia

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786449799/phys_0206
DFG

quia ipsi divisio accidit, & infertur ab extraneo agente. Parili modò se res habet cum materia physica, quæ, in se spectata & sibi relicta, (utpote quæ & per absolutam Dei potentiam potest sine formis existere,) præcisâ plurimarum rerum productione, foret una numerô entitas actu; postquam autem, sapientissimo Conditoris consilio, inter species Mundi (ut hîc cum aliis loquar) distributa est, actu multa effecta est, potentiâ tamen numero una, siquidem posset Deus eam, omnibus formis abolitis, aut separatis, potentiâ suâ absolutâ, in unam massam reducere, & entitatem numero unam & simplicem constituere.

§. 7. *Pertinent huc illa verba, quæ posui in* Theor. C.N. Disp. 7. §. 34. Nimirum Deus, qui est indivisibilis, non constituit multiplicationem entium in Natura, nisi constituto priùs divisibili, quòd secundùm partes posset variis modis divinitatem (*i.e. formas, quæ Aristoteli aliisq; Philosophis vocitantur divinum quid*) participare. *Et illa, quæ leguntur in* seq. Disp. 8. §. 29. Materia pro multitudine corporum in plures particulas est divisa, unoquoque corpore peculiarem partem illius materiæ obtinente, ita ut materia in hac planta, in hoc homine, in hoc lapide &c. singulæ sint particulæ unius materiæ. *Plura alia videantur ibid.*

§. 8. *Hanc meam sententiam jam probo ex Autoribus §. 4. nominatis.* I. Scaliger exer. 17. p. 86. *materiam constituit* unum principium Naturæ cum alio, & sub alio, *formam intelligens. Inferiùs verò* exer. 61. p. 221. *ait de variarum rerum materiis, quòd partes sint materiæ primæ, quæ una sit. Et mox ait:* est enim materia prima unum individuum, sicuti verbi gratiâ ceræ massa, cujus pars alia candelæ formam gerit, pars simulacri, alia pilæ, alia tesseræ. At pars à parte non differt essentiâ, neque affectibus, qui essentiam sequuntur.

§. 9. *Scaligerum* ὑπὸ πόδα, *quod dicitur, sequitur Dn.* Sennertus p.m. in Ep. N. S. lib. 1. c. 3. p. 42. *ubi primò illius verba recitat, & mox, ad similitudinem Scaligeri explanandam, subjungit:* potestq; massa illa tàm hanc, quàm illã formã habere, nullamq; sibi peculiariter sibi vendicat, ut aliquam tamen semper habeat, necesse est. *Et mox ait, quòd* materia illa sit quasi rudimentum, inchoamentum & pars omnium rerum naturalium *&c. Et hoc modo materiæ communitatem explicat in aureo* Tr. de C. D. C. cum G. & A. ca. 7. p. 72. *quòd sit à parte rei intelligenda, non desa, quæ est per inte-*

ctum, quomodo universalia sunt communia singularibus, ut animal & homo Johanni, Petro, Paulo, Mariæ, &c. Ait enim, quòd materia à Naturâ omni mutationi physicæ sit præfecta.

§. 10. Cl. Dn. Scharffius P. R. par. gen. l. 1. c. 2. p. 77. *ita de hac re:* materia appellatur illud commune in corporibus physicis, quod unum idemque est in omnibus corporibus, & est quasi sustentaculum & subjectum omnium formarum Physicarum. *Ubi etiam materia physica communis à parte rei statuitur, non per intellectus operationem, quo modo universalia sunt communia. Et* seq. p. 84. *expressè ait,* unitatem materiæ esse unitatem numericam. *Et* p. 78. *similitudinem à materia artefactorum assumit, & eo modo, quo Scaliger & Sennertus, explicat.*

§. 11. Cl. Dn. Sperlingius *de materiâ physica statuit, quòd sit ens actu in rerum natura, in* Defens. l. 1. c. 6. p. 232. Materia ergo, cum extra suas causas sit, ens actu est. *Et* ca. 7. p. 240. *ei existentiam tribuit, quòd extra causas in natura rerum existat. Quidquid autem tale est, id singulare est.*

§. 12. *Atq; sic ex συζυγία horum Autorum probatum, quòd materia physica in se sit singularis & individua; est quod alterum ex illis ostendendum, nimirum materias rerum naturalium esse partes unius illius materiæ, adeoq; materiam esse multam divisione, pro multitudine rerum, quæ ex materia constant. De Scaligero id liquet, qui* ex. 61. p. 221. *materias individuatas rerum naturalium vocat partes materiæ unius individuæ. Ita* Sennertus Ep. N. S. l. d. p. 42. *Et Autor in* Dissertat. c. 3. p. 79. *suum facit Scaligeri dictum, quo is ait,* d. l. p. 222. perfici sub qualibet forma quamlibet partem materiæ, & totam sub omnibus. *Ut sic Autorem, si sua recognoscere voluerit verba, cum suis complicibus à nobis in hac materia non dissentientem, sed consentientem habeamus.*

§. 13. *His præmonstratis, molimina Autoris removenda sunt. 1. Argumentum olim in* Inst. Phys. l. 1. c. 2. q. 3. p. 61. *propositum repetit in* Disser. p. 87. Quale corpus jam investigamus, tale etiam investigamus materiam. Sed non singulare, non determinatum & restrictum, verum universalissimum, generalissimum, & communissimum corpus investigamus. Quid ergò ad hujus constitutionem materia præstabit singularis? Singularia enim componuntur ex singularibus, & universalia ex universalibus. Nullam invenio responsionem ab Autore datam ad argumentum hoc. Stat ergo hactenus salvum.

§. 14.

§. 14. *Resp. argumentum hoc non est novum, sed eo olim usus Keckermannus, post Wendelinus; & ad illud dudum à me responsum fuit in* Fascic. Disp. Phys. 5. sect. 1. ar. 1. pun. 3. *Jam ita respondeo. 1. Supponit hoc argumentum, ac si detur corpus universalissimum. At confunditur sic res cum conceptu rei universali. Non siquidem datur corpus universale, quamvis corpus abstractim, adeoq; universaliter consideretur. Corpus, prout extra intellectum in mundo existit, non est commune pluribus speciebus corporum naturalium, sed est singulare quid, juxta illud, quidquid est, eo ipso, quo est, singulare est. Er. quoad rem ipsam non datur corpus universale. 2. Patet res ex aliis similibus. Procedat aliquis sic: datur elementum genericum & universale. Er. datur materia elementaris generica atq; universalis, abstracta à materia ignis, aëris, &c. Amplius: datur corpus mistum genericum & universale: Er. datur materia misti generica. Porrò: datur corpus animatum genericum & universale. Er. datur quoq; materia corporis animati universalis. Falsò & absurdè. Quot ergo erunt materiæ genericæ & universales? 3. Argumentetur quis sic: Quale corpus jam investigamus, talem quoq; investigamus formam. Atqui corpus universalissimum investigamus. Er. universalissimam formã &c. Est talem ignorat natura. Porrò; Er. etiam generalem corporum simplicium formam indagamus, quando de corpore simplici in genere agimus! Er. etiam generalem elementorum formam indagamus, quando elementa in genere consideramus? Sed quanam est illa generalis corporum simplicium forma? quænam generalis elementorum forma? Patet igitur, quòd à generali & præcisâ consideratione objecti ad esse universale principiorum illius non valeat collectio. In rei itaq; veritate cum omnia corpora naturalia constent materiâ, sicut & formâ, imò cum corpora substantiâ (σύνολα) sua nihil aliud sint, quàm materia & forma unita, hinc in ratione corporis objectiva, quâ concipitur substantia materia & formâ constans, materia cum forma concipitur. Nimirum quia in omnibus omnium specierum individuis invenitur materia, inde omnia corpora in eo conveniunt, quòd constant ex materia. Concipiendo ergo corpus, in & cum eo materia concipitur, quia in omnibus singularibus datur. Nulla hinc materia universalis, vel quæ universale sit, ab omnibus materiebus abstracta.*

§. 15. *Ut res clarius pateat, ita argumentationem instituo: Si abstraho à corporibus in singulari hanc communem naturam, quæ est corpus naturale, utiq; in & cum illo principia ab iisdem me oportet*

abstrahere, & per consequens non statim alia est quærenda materia corporis naturalis, quàm quæ est individuorum & specierum, à quibus corpus naturale abstractum est. Atqui prius est. Er. & posterius. Majoris ratio datur hæc, quia si consideremus animal, uti illud est in homine, & posteà abstrahamus tùm ab homine, tanquam specie, tùm ab individuis communem isthanc naturam, certè non propterea alia erit animalis materia, alia hominis, &c. Porrò; Si idem re sunt genus ac species, species & individuum, id quod Autor Dissertationis, si naturam universalium, uti sibi præ aliis tribuit, intelligit, negare non potest, utiq; non repugnat corpus naturale, tanquam genus, & ejus species specierumq; individua habere eadem principia essendi, adeòq; eandem materiam. Ratio est in promptu, quia propter principia essendi aliqua dicuntur esse idem secundùm rem. Prius est verum. Er. quoq; posterius. Autumo, hoc pacto argumentum Autoris primum non stare salvum.

§. 16. *Conatur 2. Autor suam assertionem ex meis probare. Ita ego in* Theor. C. N. Disp. 3. §. 13. Corpus naturale, *inquit*, potest tripliciter accipi: uno modo, pro ipso solo communi genere, absque specierum consideratione; secundo modo, pro sola omnium specierum collectione; tertio modo, pro utroq; simul. Primo modo acceptum statuitur ὑποκείμενον in lib. IIX. Acroamaticis; secundo modo in speciali Physices parte; tertia denique acceptione subjectum totius Physicæ constituitur. *Hinc format argumentum:* Ubicunque corpus naturale pro solo communi genere accipitur, ibi etiam materia ejus genericè sumenda est. In parte generali Physicæ corpus naturale pro solo communi genere accipitur. Ergò in parte generali Physicæ etiam materia ejus genericè sumenda est. Major constat, quia universale corpus universalia habet principia. Minor est Autoris.

§. 17. *Resp. ad majorem propositionem per inficiationem. Nec ea constat, ut Autor putat, per illa, quæ probationis loco annectit. Ea planè abludunt à meis, ut minimè probatio inde sumatur. Aliud certè est,* dari universale corpus, *quod Autor supponit in probatione, aliud est,* corpus pro communi genere accipere, *quod ego dico. Ad hoc autem, ut corpus physicum sumam pro communi genere, non requiritur, ut principia ejus genericè accipiam, siquidem abstrahendo corpus à corporibus in particulari, unà principia sumuntur & concipiuntur in natura corporis, quæ in τῷ ex materia & forma constare posita est, ut modò ostendi.*

§.

§. 18. *Addit aliud argumentum* p. 88. Nullum singulare spectat ad scientiam. Materia prima est singularis. Ergò materia prima non spectat ad scientiam. Ergò nec ad Physicam. Major clara, & ab Autore concessa. Minor etiam Auroris est. Lubet verba referre, ut pateat, quomodo seipsum jugulet Autor. *Non sunt subjectum Physicæ*, ait, *corpora naturalia in singulari, sed in universali, cum singularium nulla sit scientia. Ista siquidem non possunt definiri, nec datur de illis demonstratio, adeoq; nec scientia, cum sint corruptibilia, & talis naturæ, ut esse & non esse possint. Scientia verò est incorruptibilium, necessariorum & perpetuorum, l. 1. post. c. 7. t. 62. l. 6. Eth. c. 3. l. 7. Phil. pr. c. 15. t. 53. adeoq; scientia omnis est universalium, lib. 3. Ph. pr. c. 4. t. 12. l. 11. Ph. pr. c. 2. & aliis in locis; de professo d. l. 1. post. anal. c. 7. Confer Interpp. Zabar. in oper. Log. col. 765. seq. Crell. Comm. in lib. 1. post. p. 35.*

§. 19. *Sed sentiet Autor, se non ex meis argumentatum fuisse. Nego Majorem, quæ minimè à me concessa est.* Aliud est, *loqui de subjecto scientiæ*, aliud, *loqui de quovis quocunq; modo ad scientiam pertinente*; aliud est, *loqui de scientia strictè, prout demonstrativa est affectionum de subjecto, prout sumitur* l. 1. post. Analyt. c. 2. t. 5. (*quo modo est scientia, quando de homine e. g. cognosco disciplinæ capacitatem per rationalitatem*) aliud est, *vocem scientiæ sumere quodammodo latiùs pro Scientia Contemplativa, vel tota aliqua Disciplina, quæ nomine Scientiæ Contemplativæ venit, quo modò dicimus Scientiam Physicam, Mathematicam, &c. Quibus distinctè positis, patet, me immeritò hic ab Autore peti. 1. Ego non locutus fui solùm de scientia juxta alteram acceptionem, prout totam aliquam Disciplinam notat, sed respectum habui ad priorem acceptionem. Loquor enim de Scientia Contemplativa, non solùm ut Disciplina est aliqua, & uti varia in ea considerantur & cognoscuntur; sed ut in ea demonstrationes conficiuntur de subjecto. Expressè enim addidi:* singularia siquidem non possunt definiri, nec datur de illis demonstratio, adeoq; nec scientia, &c. *Notum autem est, multa alias in Disciplinis Contemplativis tractari, quæ nullas admittunt demonstrationes. 2. Ego locutus fui de subjecto scientiæ, in quantum de eo aliquid, nimirum affectio propria, demonstrari debet, juxta illas conditiones & leges, quas in subjecto scientiæ, & in affectione demonstranda requirit Aristoteles, & ex eo recenset* Zabarella in lib. de tr. præc. ca. 2. & 3. *Ut proinde sensus dictorum meorum sit in hoc:* Nullum singulare est subjectum in scientia, de

quo

quo aliquid demonstretur. *Physica autem tale subjectum requirit, de quo demonstrentur affectiones rerũ naturalium, uti sunt quantitas, locabilitas, corruptibilitas, &c. Unde concluſi, Physicæ subjectum non posse esse rem singularem. Ast unde jam illa propositio Major:* Nullum singulare spectat ad scientiam, *intelligendo Disciplinam Contemplativam? Non ex meis, sed ex cerebro Autoris.*

§. 20. *Alios duos syllogismos jam cudit Autor, eosq; ex verbis meis desumtos esse scriptitat: Ita habent illi in* p. 89. Omnis scientia, est universalium. Materia prima non est universale. Ergò materiæ primæ non est scientia. Major est Autoris. Minor est Autoris. Item. Omnis scientia est incorruptibilium, necessariorum, & perpetuorum. Singularia non sunt incorruptibilia, necessaria, & perpetua. Ergò singularium non est scientia. Ergò nec materiæ primæ, quæ singulare est. Major est Autoris. Minor etiam. Quanquam alias non simpliciter admittenda.

§. 21. *Resp. hi duo syllogismi non sunt ex meis, nec contra me; possumq; illos facilè concedere, in sensu hoc: Ex. materiæ primæ non est scientia ut subjecti scientifici. De subjecto enim Scientiæ ego loquor, de quo affectiones demonstrandæ. Non autem materia est subjectum Scientiæ, sed principium subjecti, & pars essentialis illius. Locumq; invenit hic illa distinctio, quod* alicujus esse scientiam *potest dupliciter intelligi;* vel, *ut subjecti scientiæ,* vel, *ut pertinentis ad subjectum. Insuper,* aliud *est, alicujus rei esse scientiam, vel, de aliquo esse scientiam propriè dictam, ut, quando de corpore naturali cognosco quantitatem, de homine risibilitatem;* aliud, *de aliqua re agi vel tractari in Scientia, sive Disciplina Contemplativa, sicut e.g. in Physicis agitur de fato, de casu, de fortuna, &c. Et sic materiæ primæ ratio habetur in Scientia Naturali, sicut & habetur formæ, quamvis utriusq; non detur Scientia exquisitè dicta, cujusmodi est, quando affectiones de subjecto scientifico demonstrantur. Hæc est communis ad talia objecta responsio, in qua poteram acquiescere, vel maximè ob id, quod ego, ut res ipsa jubet, intendo de subjecto scientifico, Autor verò ad quodvis consideratum in Scientia trahit.*

§. 22. *Sed insuper Clarissimo Viro considerandam propono sequentem responsionem.* Aliud *est, aliquid esse universale,* aliud, *aliquid per modum universalis considerari. Declaro.* Duorum generum sunt singularia: quædam *sunt singularia, quæ simul sunt species, ubi nimiram differentia specifica non distingvitur ab individuali, uti est*

c.

e. g. DEUS; alia *sunt singularia, in quibus distinguitur differenti individualis à specifica, & extra illius rationem est, uti sunt res corruptibiles & mutabiles. De singularibus prioris generis, certum est apud omnes, posse haberi scientiam, non item de posterioris generis. Ad prius genus materiam primam referendam censeo, quæ ita, in se sumta, singularis est & individua, ut speciem repræsentet, vel instar speciei sit, & proprietates suas, ex ipsius nauura fluentes, habeat, quæ de illa cognoscantur, quod nimirum est ingenerabilis & incorruptibilis, quod est informis &c. Cessatq; in materia prima causa, ob quam singularia inscientia non curari dicuntur. Causa enim illa est singularium corruptibilitas, quæ in materia nullum invenit locum, (quam rationem ego in meis quoq; attigi verbis, §. 18. adscriptis) ea siquidem ἀγώνητος καὶ ἄφθαρτος est. Hæc, ut dixi, Autori consideranda propono.*

§. 23. *Pergit Autor, & ex aliis meis alias fabricat argumentationes in* p. *90. Ita ego in* Disp. 8. §. 21. Corpora naturalia in universali considerari est à singularibus & particularibus omnibus abstrahere, & illa intellectu ad quandam unitatem redigere, & relictis omnibus differentiis particularibus, unam quandam communem naturam accipere, in qua omnia corpora conveniant. Pertinet huc primo clarus Arist. locus lib. 3. Phil. Pr. c. 4. t. 12. ubi non singularium, sed universalium, scientiam esse, docens, ait: quatenus enim unum quid, & idem, & quatenus universale quid est, eatenus omnia cognoscimus. *Ex his argumentatur ille:* Quicquid cognoscimus, quatenus universale est cognoscimus. Materiam primam cognoscimus. Ergò materiam primam quatenus universale est cognoscimus. Major est Autoris. Minor etiam. Quo modo consideramus corpus, eo etiam consideramus principia corporis. Sed corpus consideramus sub communi naturâ à singularibus & particularibus abstractâ. Ergò etiam principia corporis consideramus sub communi natura à singularibus abstractâ. Falsa igitur sunt verba, cum scribit: *materia non est universalis in ordine ad multas materias, tanquam inferiores logicè, à quibus fit præcisa intellectu nostro.*

§. 24. *Resp. Autor non argumentatur ex nostris; nec ex Aristotelis verbis argumentum illud desumi potest. Mea quod attinet, res liquida est. At quà Aristotelis, liquidum jam facio. Hæc sunt Philosophi verba in* l. 3. Phil. Pr. c. 4. t. 12. Si non est quidquam præter singularia; singularia verò infinita sunt; quî fieri potest, ut

infinitorum scientia comparetur? Nam quatenus unum aliquid, atque idem, & quatenus universale quippiam est, eatenus omnia cognoscimus. *Ubi 1. Aristoteles non loquitur de quavis re, quæ ab intellectu percipitur, sed de rebus naturalibus, sub Scientiam Naturalem cadentibus; 2. non loquitur Philosophus de qualibet cognitione sive notitia, sed de cognitione scientificâ. Est 3. scopus ejus ostendere, non dari naturas universales separatas à singularibus, vultq; dicere, quod omnes res naturales sciantur & cognoscantur, quat. unum aliquid atq; idem fiunt, h. e. quatenus in communi aliqua natura conveniunt. His perspectis, Majorem propositionem, ut ab Autore posita est, nego. Etenim Aristoteli quoq; singularia sub intellectum cadere, & sub ejus objecto comprehendi, certum est; Id quod vel unicè ex eo patet, quod Philosopus singularia apta esse judicat ad discursum; siquidem l. 2. prior. Anal. c. 23. Inductionem, & ibid. c. 24. Exemplum, & l. 1. Prior. Anal. c. 6. Expositionem connumeravit instrumentis Logicis. Ac ista non fiunt sine singularibus, sunt tamen evidenter discursus, quia unum elicitur ex alio. Aliàs intellectum cognoscere singularia, verò verius est. Ut taceamus illa singularia, quæ sensu apprehendi non possunt, veluti sunt DEUS, individua Angelorum & Animarum, adeoq; omnia entia incorporea in singulari; intellectus tamen singularia etiam in rebus corporeis cognoscit; hunc solem, & hujus solis motum cognoscit, hanc eclipsin cognoscit, & de Luna ostendit, hunc Cometam, qui anno superiori 1618. apparuit, considerat, &c. quin imò intellectus ponit discrimen inter duo plurave singularia, ut inter Ferdinandum I. II. III. comparat fortitudinem Alexandri Magni & Gustavi Magni Svecorum Regis; At non potest discrimen aut comparatio inter quædam instituì sine intellectus cognitione.*

§. 25. Ut proinde Major propositio absolutè posita falsa sit, & h.m. limitanda veniat & formanda: Quæcunq; res naturales scientificè cognoscuntur, quatenus universales cognoscuntur, ratio; quia res naturales secundùm individua infinita sunt; infinitorum autem scientia comparari nequit. Quid hoc ad materiam primam? 1. Ea non est res naturalis, sed rei naturalis principium. 2. ea non comprehendit sub se multas materias singulares, quô modô species sub se continet multa individua, ut partim patuit, partim ex dicendis patebit.

§. 26. Alterum syllogismum quod attinet, ejus Majorem negamus eo, quem Autor intendit, sensu: Sit argumentum: Quô modô consideramus objectum materiale sive corporeum, eô modô ejus principia,

pia, seorsim scilicèt sumta, consideramus. Atqui cœlum consideramus sub communi natura, &c. & elementum consideramus sub communi natura ab elementis in particulari abstractâ. Er. etiam cœli, er. etiam elementi principia consideramus sub communi natura à singularibus principiis abstracta. Ego fateor, me non intelligere, quomodo hoc ad naturam universalium quadret. Confer ea, quæ §. 14. & 15. dicta fuêre.

§. 27. *Hactenus Autoris rationes, quibus materiam primam esse ens universale probavit; Sequuntur jam responsiones ejus ad argumenta mea, quibus ego, materiam primam suâ naturâ ens singulare esse probavi. Ita in* Theor. C. N. Disp. 8. §. 27. 30. & 33. *probationem instituit:* Cuicunq; repugnat dividi in plura talia, quale est ipsum adæquatè, illud in se & sua natura est ens unum numerô & singulare. Atqui materiæ physicæ, sive communi formarum physicarum subjecto, repugnat dividi in plura talia, quale est ipsum adæquatè. Er. materia physica, sive commune formarum physicarum subjectum in se & sua natura est unum numerô & singulare. Et in ista sua unitate materia est sufficiens in suo genere ad causandos omnes effectus, qui in his rebus materialiter possunt causari. Ab extrinseco ergo est, quod materia physica est multa numerô, cum per divisionem & distributionem ab agentibus, tùm primo, in prima rerum molitione, tùm secundis, in ordinariis rerum naturalium generationibus, multa effecta, & variè inter res corporeas distributa fuerit.

§. 28. *Respondet is in* Differ. ca. 3. p. 91. Primò ludit termino *adæquatè*. Cujus entitas non est divisibilis in plures entitates tales, qualis est ipsa adæquatè, illud non est unum unitate universali. Bellissima est Majoris hæc. Aqua forsan non est universale, quia cum in guttas dividitur, non in plures entitates tales, qualis est ipsa adæquatè, dividitur. Neque aer forsitan universale est, quia hic aer non adæquatè cum aere convenit. Quid ad rem adæquata illa divisio? Quid partes illæ integrantes? Ad universalis naturam requiruntur cum primis tria. 1. ut sit unum quodammodò. 2. ut sit aptum, esse in pluribus. 3. ut sit aptum in pluribus illis divisim multiplicari. Ob quam tertiam conditionem, tot fiunt individua, quot contractiones. Sic homo unum quid est: homo in pluribus & aptitudine, & actu est: homo ad distincta individua contractus est. Non tamen adæquatè hominis entitas in Petro est, aut de Petro dicitur.

§. 29. *At verò minimè ego ludo voce* adæquatè, *aliàs ludunt eâ doctissimi Philosophi, ex quibus ego didici. Adeat Autor* P. Hurt. de Mendoz. Disp. Metaph. 5. s. 1 §. 1. p. 347. *cujus discursum ego attuli in* Theor. C. N. d. Disp. 8. §. 30. *Legat sectionem allegatam; & insuper ponderet, quæ hac de re egregiè proposuit noster Sthalius, Philosophus acutissimus, in* Instit. Metaphys. part. gen. cap. 34. *Affert objectionem contra definitionem singularis, eamq; dissolvit. Objectio est hæc:* Hic lapis est divisibilis in plura entia talia, quale est ipse. Hic lapis est singulare. Er. quoddam singulare est divisibile in plura talia, quale est ipsum. Major patet, quia omnes partes, in quas dividitur aliquod totum similare, sunt ejusdem rationis cum toto, & ejusdem naturæ, & sic sunt talia, quale est ipsum totum, quemadmodum quælibet pars hujus lapidis est lapis. *Respondet nunc:* neg. Majorem propositionem. Lapis enim, *inquit*, & quodlibet aliud totum similare singulare dividitur quidem in plura talia, quale est ipsum, sed non est ipsum adæquatè. Nulla enim pars totius actualis, quale est integrale, adæquat ipsum totum. Ut si lapis palmaris e. g. dividatur, nulla ipsius pars erit lapis palmaris. At universale debet dividi posse in plura entia talia, quale est ipsum adæquatè. *Hæc ille.*

§. 30. *Ut sic Autor, si hanc rem capit, videat, omninò bellissimam esse Majorem meam:* Cujus entitas non est divisibilis in plures entitates tales, qualis est ipsa adæquatè, illud nō est unum unitate universali, sed singulari. *Exempla, quæ adducit Autor in verbis §. 27. allatis, hanc rem declarant. Aqua, quatenus in guttas dividitur, non est totum universale; non siquidem dividitur in plures entitates tales, qualis est ipsa adæquatè; neq; aër, prout dividitur in partes, est universale respectu istarum partium, quia partes aëris non continent totam entitatem ejus. Secus autem est in Universali; ibi inferiora, ut partes subjectivæ, continent totam naturam generis vel speciei, ut Petrus totam naturam hominis, homo totam naturam animalis.*

§. 31. *Videtq; Autor* I. *discrimen inter* totum similare, & totum universale. Illud *est totum actuale*, hoc *est totum potentiale sive potestativum. Ex quo discrimine jam magis inclarescunt verba nostri Sthalii §. 29. adscripta:* nulla pars totius actualis, quale est integrale, adæquat ipsum totum; at universale debet dividi posse in plura talia, quale est ipsum adæquatè. *Scilicet totum*

&

similare propriè est totum, continetq; partes actu, utpote ex quibus actu constitutũ est; universale v. propriè nõ est totũ, quia nõ continet partes actu, sed tantùm potentiá; concipitur tamen per modum totius communis, quod sit in inferioribus sibi subjectis. Hinc dici solet in Scholis Philosophicis, universale non respicere alia, nec prædicari de suis inferioribus, nisi per modum totius. Nam licèt genus & differentia non dicant formaliter totam essentiam, sed partem Metaphysicam, ut loquuntur, tamen universalium rationem habent, & per modum totius concipiuntur, & ideò sumi debent, quatenus in potentia saltem includunt plura inferiora. Et h. m. dixit Porphyrius, genus esse totum (*scilicet potentiale*) *respectu specierum, & Aristoteles* lib. 1. Phys. c. 1. *dixit*, universale esse totum quoddam.

§. 32. Videt II. *Autor, ad naturam universalis non sufficere illa tria, quæ ipse recensuit, sed addendam esse hanc universalis conditionem, nimirum* ut universale dividatur in pluraentia talia, quale est ipsum adæquatè. *Per hanc enim tandem universale à toto similari exquisitè discriminatur, ut dicta commonstrant.*

§. 33. Sed & reliqua Autoris verba pensitemus. Ob quam tertiam conditionem, *inquit*, tot fiunt individua, quot contractiones; *sicut homo e. g. contrahitur ad plures homines, sive individua humana. Rectè. Dicat hîc Autor* 1. an *aqua propriè contrahatur ad partes suas integrantes, ut species ad individua? Non potest id dicere. Individua enim illa, ad quæ fit contractio, sunt* 1. *inferiora Logica; 2. totam speciei, ut superioris essentialis, naturam includentia; 3. in recta linea prædicamentali, ut basis & fundamẽtum, collocata, & eq. quæ ipsa, & alia plura, non possunt dici de partibus integrãtibus aquæ, aëris, aut ullius similis rei, in quãtũ partes sunt. Istæ n. prout tales, accuratè rẽ pensitando, nõ sunt individua Logica, non sunt partes subjectivæ speciei, sed sunt partes reales physicæ, in quas fit vel fieri potest divisio* Φυσικῶς *& realiter, citra operationem intellectus; illa autem divisio, quæ speciei, ut universali Logico, in ordine ad sua inferiora convenit, est opus intellectus. Dicat Autor* 2. an *illa plura, ad quæ fit contractio per operationem intellectus, sint propriè partes? minimè sunt partes illius, quod contrahitur, si propriè loqui velimus, sed sunt inferiora sub eo in recta linea prædicamentali posita, sicut Petrus, Paulus, &c. sub homine collocantur in prædicamento.*

§. 34. Ex quibus sic dilucidatis tandem relinquitur 1. *essentiam hominis* (*de quo, ut universale est, ego non intelligo, quomodo actu*

esse dicatur in pluribus, *ut Autor, circa finem eorum, quæ §. 28. adscripsimus ponit, tùm contra naturam universalis, tùm contra seipsum)* multiplicabilem & divisibilem esse in plures tales, *qualis est ipsa adæquatè, quidquid sit, quòd Autor id negare præsumat. Totum enim id, quod vox* homo *significat, prædicatur de Petro, &c. Relinquêtur 2. substantiam aquæ aut aëris, ut totius similaris, in ordine ad partes suas integrantes, non ita esse multiplicabilem & divisibilem, quidquid sit, quod alio modo considerata ita multiplicari & dividi possit. Nec enim tota aqua de partibus suis integrantibus divisim prædicari potest.*

§. 35. *Nota, quòd dictum 1.* in ordine ad partes suas: *2. quòd* alio modo considerata ita multiplicari & dividi possit. *Per hæc non occurritur alicui objectioni, & res ipsa tandem explicatur. Possunt siquidem* aqua, & aër, *comparari ad duo: 1. ad individua aëris, & individua aquæ, quæ vel actu sunt, vel esse possunt; 2. ad suas partes integrantes, ex quibus constant, vel, in quæ dividi possunt. Non posteriori, sed priori modo aqua & aër sunt universalia, & ut species in Scientia Physica considerantur, non aliter ac sicut de Cœlo, de Sole, de Luna &c. dicimus, quòd sint universalia, & ut species Mundi in Physicis considerentur. Sunt autem corpora hæc cœlestia universalia non respectu partium suarum, quas & ipsa habent, sed respectu suorum singularium, sive illa actu sint in rerum natura, sive esse non repugnent.*

§ 36. *Atq; sic Majori Syllogismi mei* sup. §. 27. *repetiti propositione (quam solam Autor aggressus fuit, & Minorem intactam reliquit) vendicatâ & salvatâ, suus eidem stat vigor, sua integritas. Nec ego Majoris propositionis, utpote evidentissimæ, inficiationem metui, sed Minoris, propterea eam in* Theor. C. N. Disp. 8. §. 27. *à negantium impetu immunem præstiti.*

§. 37. *Pergit Autor,* inquis, *inquiens,* tota tamen (*scil. essentia hominis*) est, & tota dicitur (*nimirum de quolibet individuo.*) Respondeo, quomodo tota aqua dicitur de hac guttulâ, eo etiam modo totus homo dicitur de Petro, & tota materia de materiâ cœli. Confundis essentiam cum partibus integrantibus. Tota aqua est in guttulâ, sed non totum aquæ: totus homo in Petro, sed non totum hominis: tota materia in materiâ cœli, sed non totum materiæ. *Hæc Autor.*

§. 38. *Meo nomine exceptionem format, sed 1. contra meam intentionem; 2. applicat contra rem ipsam reiq; naturam. Nec enim eâ res præsens juvatur, sed magis magisq; impeditur. 3. Nec hac exceptio*

ad

ad Majorem, in quâ diluenda hic est occupatus, spectat, sed ad Minorem propositionem. Nego igitur, quòd, quo modo homo dicitur de Petro, eô materia prima dicatur de materia cœli, &c. Fortean Autor non verebitur asserere, quòd, quô modô homo dicitur de Petro, de Paulo, de Johanne, eô quoq; DEUS dicatur de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto? Sanè non sicut multi sunt homines, vel, sicut essentia humana multiplicatur in multis individuis, quæ sunt inferiora hominis, ad quæ essentia hominis ratione nostrâ contrahitur, ita multæ sunt materiæ, vel ita essentia materiæ multiplicatur in multis materiis, quæ sint individua propriè dicta, i.e. inferiora materia, ad quæ illa, intellectus nostri operâ, sint contracta. Multæ partes physicæ unius materiæ ibi sunt, ut totus integralis, non multæ partes Logicæ vel subjectivæ materiæ ut speciei.

§. 39. *Et hoc est illud meum propugnaculum, de quo in* d. Disp. §. 27. *Minori propositione prospexi, & objectionem dimovi. Ita rem proposui.* Negas Min. propositionem, & ais, omninò materiam dividi in plura entia talia, quale est ipsa. Probatur, quia omnes partes materiæ, in quas ipsa dividitur, sunt ejusdem rationis & naturæ cum tota materia, & sic talia entia, quale est ipsum totum, nimirum materia. Resp. negando id, quod affertur, quia divisio materiæ non est in plures tales, qualis est ipsa adæquatè, h.e. quæ involvant totam entitatem materiæ, sicut e.g. Paulus involvit & continet in se totam essentiam hominis, & Petrus continet in se totam essentiam hominis, & tota entitas hominis continetur in Petro, Paulo, Johanne, &c. Id quod de materia dici nequit. Nec enim reperitur tota materiæ entitas in materia cœli, nec tota in materia terræ, nec tota in materia ignis, &c. quæ sint individua multa in natura & essentia materiæ physicæ, sicut multi sunt homines & multa individua in natura humana.

§. 40. *Nil juvat Autorem, quòd inquit,* sicut totus homo dicitur de Petro, ita tota materia de materia cœli. *Mitto, quòd ad denotandas prædicationes essentiales non opus sit isto loquendi modo. Essentiæ siquidem rerum sunt impartibiles, ut eo ipso, quo prædicatur, e.g. homo de Petro, & animal de homine, non possit non tota essentia hominis & animalis prædicari. Non autem sicut in homine, ita quoq; in materia res habet. Hæc enim non totum universale, ut probatum, sed similare est. Quod posterius facilè patet, siquidem omnes materia*

via partes sunt ejusdem rationis cum ipsa materia, sicut entitas aquæ ejusdem rationis cum aqua, à qua decisa.

§. 41. Quod verò attinet aquam, quam exempli loco etiam Autor inducit, totam aquam dici sive prædicari de partibus aquæ, sive de guttulis, in quas dividitur, confundit is totum similare cum universali, & partes similares cum partibus subjectivis. Aqua ad partem aquæ se non habet, ut species ad individuum, sed ut totum similare ad partem similarem. Totius enim similaris est, dividi in partes ejusdem rationis sive naturæ, uti sunt guttæ ab aquæ decisæ. Ex quo patet, diversissimam esse rationem divisionis in aqua, quando divisione reali dividitur in guttas, ut in partes integrantes, (cui etiam divisio materiæ physicæ in partes suas respondet) & divisionis sive multiplicationis in toto universali, quando e.g. essentia hominis dividitur in plures tales, qualis est ipsa adæquatè. Hoc enim intellectus opus est. Et hoc est, quod ego præmonui in Theor. C. N. Disp. d. §. 4. inter divisionem (ut & communicationem) realem & rationis discrimen faciens. Conf. Ejusd. §. 29. 32. 33.

§. 42. Ex quo jam patescit id, quod non semel inculcavi, ne quidem totam aquam, accuratè rem perpendendo, de partibus suis, in quas dividitur, dici sive prædicari posse. Qui enim tota aqua de partibus suis prædicabitur, cum tota aqua includat omnes suas partes, quod certè de nulla ejus parte dici potest. Neq; enim ulla aquæ pars includit omnes ejus partes, ex quibus integrè constituitur. Unde iterum inter totum similare & totum potestativum discrimen apparet. Hoc, quantum quantum est, de partibus sibi subjectis prædicari gestit, illud verò de partibus suis prædicari nequit. Vid. Cl. Sthalii Reg. edit. Rint. tit. 9. Reg. 9. p. 236.

§. 43. Quomodo verò cum aqua, aëre, & similibus, quantum ad hoc negotium, comparatum sit, supr. §. 35. indicavi. Addo hîc, in hac propositione: pars aquæ est aqua: ad duo mentis aciem intendendam esse: 1. ad hoc, quòd aqua est corpus simplicis & similaris constitutionis, constans partibus ejusdem naturæ cum tota aqua; 2. ad hoc, quòd aqua est species, adeoq; totum universale, cum apta nata sit pluribus inesse, & de pluribus divisim prædicari. Hinc est, quòd prædicatio, quâ aqua de parte sua dicitur, ad prædicationem totius universalis spectat.

§. 44. Pro cujus rei explicatione autumo dicendum esse, quòd pars aquæ possit dupliciter accipi; vel formaliter, quatenus ejus

ut

ut totius similaris, pars est; vel materialiter, *sive ut aqua est, & aquæ naturam sive essentiam habet. Non* priori *modo, sed* posteriori *spectanda pars aquæ, si prædicatio totius universalis in illam cadere debeat. Proditq; sic in lucem discrimen inter hæc duo:* tota aqua dicitur de parte aquæ, *quod Autor dicit, &:* aqua, vel quælibet res alia, ratione essentiæ suæ prædicatur de parte aquæ; prior *locutio ad totū integrale*, posterior *ad totum universale digitum intendit. Atq; sic aër & aqua, tanquam species specialissimæ, prædicantur de partibus aëris vel aquæ, sive illis, quæ partes utriusq; sunt, quia illa totam naturam aëris, (quæ est, esse corpus simplex calidum humidissimum, leve) hæ verò totam naturam aquæ (quæ est, esse corpus simplex, frigidum, humidum & grave) in se continent, suntq; sic respectu aëris & aquæ non partes integrales, sed subjectivæ.*

§. 45. *Ast quid hoc ad materiam primam, commune illud omnium formarum subjectum, omniusq; tàm generationis quàm compositionis principium? Planè nihil. De aqua & aëre indubiè constat, quòd species mundi sint. Qui id de materia, quæ Naturæ præstituta est, indubiè affirmaverit, & firmiter probaverit, invenietur nullus. Ut proinde frustrà dicatur;* quô modô homo prædicatur de Petro, aqua de partibus aquæ *(materialiter sumtis,)* eô & materia prima prædicatur de materia cœli.

§. 46. *Tandem:* non, *ceu Autor mihi imponit*, essentiam cum partibus integrantibus confundo, *utpote quæ (ceu ex collatione eorum, quæ jam proposui, cum illis, quæ in* d. Disp. 8. Theor. C.N. *dicta fuêre, patet) diligentissimè distinguo. Ista verò ab Autore confundi, dum totum similare cum toto universali permiscet, cernit, cui non fungus præ cerebro est. Patetq; id clarissimè ex §. 35. 40. 41. 42.*

§. 47. *Ad alia Autor Dissertationis transit. Scilicet tria mihi opposueram, ad eaq; breviter responderam in* Theor. C. N. Disp. 8. §. 27. *Primò sic:* Omninò materia est in multis. Er. ipsa est universale quid. *Respondi:* distingv. materia est una in multis materiis singularibus; nego; est una in multis compositis physicis, quæ realiter constituit, concedo. *Excipit Autor p. 91.* Verùm ista multa composita physica ubi sunt, nisi in singularibus? Universalia sanè à singularibus separata non sunt. Ergò materia una est, & in multis compositis, & in multis singularibus. Argumentor. Quæcunque materia est in multis singularibus compositis, ea etiam est in multis singularibus materiis. Materia

prima est in multis singularibus compositis. Ergò materia prima etiam est in multis singularibus materiis. Major constat, quia fundamentum istius abstractionis est materia singularis, in quâ radicatur omnis materia.

§. 48. *Resp. 1. Priora verba testantur, quòd non assecutus fuerit responsionem. Nec capio, quomodo dicat,* multa composita physica non esse nisi in singularibus; *cum multa composita physica, quæ materiâ istâ constituuntur, non sint nisi singularia, ut hoc aurum, hic lapis, hic homo, &c. Hoc enim volo, quando dico, materiam esse unam in multis compositis physicis, quod sit in hoc auro, in hoc lapide, in hoc homine, quæ certè singularia sunt. Et ita ipse Autor accipit, ceu ex subsequentis syllogismi Majori propositione videre est. Quomodo, quæso jam, compositum singulare in composito singulari esse, dici potest? 2. Altera collectio exponit nostram sententiam. Ita ea habet:* Universalia à singularibus separata non sunt. Er. materia una est in multis compositis & in multis singularibus corporibus; *intellige, ut pars eorum constituens. Ita ego* sup. §. 15. *argumentatus fui. Sed ecce 3. inde Autor argumentum contra me nectit, cujus majorem propositionem negandam esse, quis non perspicit? Ruminemus eam:* Quæcunque materia est in multis singularibus compositis, ut eorum altera pars essentialis, ea etiam est in multis singularibus materiis. *Nec Major probatur per ultima verba; nihil enim in ea de abstractione: Quomodo autem jam dicitur,* quòd fundamentum istius abstractionis sit materia singularis, *&c. Sed ecce! Medius ejus terminus intendit de materia generica & universali. Contrà (1) putabam materiam genericam esse, quæ constituit corpus genericum; & compositorum singularium esse singularem materiam? (2) fovet Autor falsam hypothesin de materia generica, quam vide refutatam* §. antec. 14. seqq. *Denig; 4. apparent quatuor termini in syllogismo, quod sic ostendo. Minorem propositionem supponit ut concessam, nimirum quæ mea sit. Intelligat ergo eam, oportet, ut ego eam intelligo. Sin minùs, eam nego. Intelligit igitur mecũ in Minoris propositionis subjecto materiam singularem; in medio autem termino intendit de materia generica & à materiis singularibus abstracta; unde manifestè quatuor prodeunt termini. Et præterea de materia singulari medium terminum is non potest intelligere, cùm aliàs materiam singularem esse in materiis singularibus consequatur, quod esse inconveniens & absurdum, quilibet videt.*

§. 49.

§. 49. *Deinde opposui:* Materia est indifferens, sicut genus est indifferens ad species, & species indifferens est ad individua. *Respondi:* materia est indifferens Logicè, ad plures materias, ut inferiora, sicut species est indifferens ad multa individua, nego; est indifferens physicè ad plures formas, quas recipere potest, concedo. *Excipit Autor* p. 92. 93. Sed diversa, non sunt adversa. Habet se materia ut sic, indifferenter ad plures, imò ad omnes formas. Seu, materia in genere respicit formam in genere: materia alia atque alia alias etiam requirit formas. Nihilominus etiam materia Logicè spectata sub se plures habet materias, ad quas indifferens est. Argumentor: Cujus ratio æqualiter dicitur de pluribus, id se habet indifferenter ad plura illa. Materiæ ratio æqualiter dicitur de pluribus. Ergò materia se habet indifferenter ad plura illa. Major per se clara. Minor probatur, quia dicitur de materia cœli, ignis, aëris, terræ, &c. Quicquid attuleris, quod ad rationem materiæ facit, id & de particularibus, & de singularibus materiis dicitur. Materia est substantia, est imperfecta, est determinabilis. Idem de hac aëris materiâ dicendum, de hac ignis, & de hac terræ.

§. 50. *Resp. In prioribus verbis note 1. per* materiam ut sic *non esse intelligendam materiam genericam, ceu Autor putat, sed materiam primam in se & sua essentia consideratam, sicut* Disp. antec. 5. §. 75. *monstravi; 2. altera propositio, quæ priori, mediante particulâ* Seu *jungitur, non idem exprimit, quod prior. Nec enim idem dicunt hæ:* materia ut sic respicit omnes formas, & *:* materia in genere respicit formam in genere; *non siquidem unum idemq; exprimis, quando dicis, aliquid (ut materiam) respicere omnes formas, & idem respicere formam in genere. 3. tertia propositio (*alia materia ordinata est ad alias formas*) vera est, eô sensu, quem* tot. Disp. anteced. *expositum dedi. Sed quid ea Autorem juvet, non video.*

§. 51. *Deinde: falsum autem est, quod ait,* materiam Logicè spectatam sub se habere plures materias, ad quas indifferēs sit, *adde, vel per modum generis, vel per modum speciei, exquisitè loquendo, in ordine ad individua sub ipsa contenta. falsum, inquam, hoc. Nec argumentum id probat. In eo nego 1. Majorem, absolutè positā, (Cujus ratio æqualiter dicitur de pluribus, id se habet indifferenter ad plura illa, indifferentiâ scil. Logicâ, quæ est superioris essentialis ad sua inferiora) & subsumo de Deo sive Essentia Divina, quæ æqualiter præ-*

dicatur de pluribus, de Patre, de Filio & de Spiritu S., & tamen Essentia Divina non est indifferens ad tres Divinitatis Personas ut ad illas, tanquam ad inferiora Logica, contrahatur. Si a. Maior ita formetur: Cujus ratio æqualiter dicitur de plurib. ut inferioribꝰ, id se habet indifferenter ad ea &c. tunc eam concedo, & nego Minorem. Probandum enim est, materiam primam habere sub se inferiora, eò modò, quò generi vel speciei convenit, inferiora sub se habere. Probatio Minoris nulla est. Negꝫ enim ea tangit nervum rei. Non siquidem sequitur: materia (suo certò modò) dicitur de materia cœli, de materia ignis, &c. Er. materia prædicatur de illis ut inferioribus, vel ut partibus Logicè illi subjectis, ceu natura generis & speciei in ordine ad sua inferiora requirit. Quin similiter ego meam subsumtionem de Personis Divinis probo, quia DEUS dicitur de Patre, dicitur de Filio & de Spiritu S. &c.

§. 52. Denicꝫ non consentit verò, omne id, quod ad rationem materiæ spectat, de particularibus sive singularibus materiis dici, si vel viâ Aristotelis, vel viâ Autoris incedas. Etenim 1. missò, quòd propriè non sint materiæ singulares præter materiã primã; urgeo, quòd ad materiæ physicæ rationẽ spectat, esse subjectum omniũ formarũ. Hoc õpotes affirmare de materia cœli, negꝫ de materia ignis. Alia mitto. 2. Materia imperfecta est, dicit Autor, determinabilis est. Certè materia composita, quam is docet, perfecta est; includit enim formam suam substantialem, quæ est perfectiva materiæ. Dicitur autem materia physica imperfecta, quòd, quanta ex se est, omnem actum substantialem physicum excludit, eumꝫ, ut perfectibile suum perfectivũ, requirit.

§. 53. Tertiò opposui: materia de pluribus prædicari potest. Respondi; de materiebus ut singularibus & sibi subjectis, nego. Excipit ille p. 93. Digna verba, quæ legantur. Cum materia prædicatur de corpore Petri, de corpore Pauli, & de corpore Johannis, annon prædicatur de pluribus materiebus, ut singularibus? Nonné sicut hominis essentia de Petro dicitur, ita quoque materiæ essentia de Petri materiâ?

§. 54. Resp. Quidnî digna illa mea, quæ legantur? Modò digna Autoris verba, qua refutentur. Procedo similiter: Cùm DEUS prædicatur de Patre, de Filio, de Spiritu S., annon prædicatur de pluribus, ut singularibus Diis? Nonne sicut hominis essentia de Petro dicitur, ita quoꝫ DEI Essentia de tribus personis? Quid ad hoc Autor? Inquiat: aliam rationem esse de DEO. Resp. aliam quoꝫ esse de ma-

te-

teria. Nimirum unumquodq; prædicatur juxta suum modum prædicabilitatis. Petitionem ergo principij committit Autor. Id enim, quod probationis locô is affert, probatione ipsum indiget. Probet, quòd, sicut (quantum ad modum) essentia hominis de Petro dicitur, ita quoq; essentia materiæ primæ de materia Petri. Hoc, inquam, probet. Interea quid de hac re sentiendum sit, ex suprà dictis haut obscurè intelligitur.

§. 55. *Responsioni meæ subjunxeram Pererij sententiam, quam exponit is* l. 5. de princ. rer. nat. c. 17. p. 322. *ajens*, materiam tripliciter prædicari de aliis, 1. de toto composito, quæ prædicatio est denominativa, ut cum dicimus statuam esse marmoream. 2. de materiis, quæ sunt sub diversis formis; nam materia hominis & equi est materia. 3. de suis partibus integralibus, quarum quælibet est materia. Prima & secunda prædicatio convenit materiæ ratione formæ, tertia convenit materiæ tum per se, tum ratione quantitatis; propter sequidem, quia quælibet pars materiæ est materia, alioquin materia non esset simplex, sed ex dissimilibus naturis concreta; propter quantitatem autem, quia materia ex se non habet partes distinctas, quarum una sit extra aliam, sed id accipit & habet à quantitate. *Hæc Pererius.*

§. 56. *Excipit Autor* p. 95. E Pererio contra Autorem argumentor. Quæcunque materia dicitur de diversis specie & numero materiis, ea de pluribus particularibus & singularibus materiis prædicatur. Materia Physica dicitur de diversis specie & numero materiis. Ergo materia Physica de pluribus particularibus & singularibus materiis prædicatur. Major per se manifesta. Minor probatur, quia ut dico, materia hominis est materia, materia equi est materia, materia canis est materia, &c. ita quoque dico, materia Petri est materia, materia hujus equi est materia, materia hujus canis est materia. Quid quæso hîc prædicatur? Num singulare, an universale? Judicent intelligentes. Neque illud verum simpliciter, ratione formæ fieri hanc prædicationem. Ratione materiæ fit, sed sub diversis formis existentis.

§. 57. *Resp. 1. Neg; Major propositio, neg; Minor est Pererij. Quî ergo ex ipso argumentum hoc Autor duxit? 2. Minorem nego. Et quî ea erit Pererii, cum eam Autor probet. Nulla certè probatione opus, ubi nostram assumsit propositionem. Concessum probare est frustraneam & inanem operam suscipere. Ast probationem datam*

videamus. quia, ut dico, *inquit*, materia hominis est materia, materia equi est materia, materia canis est materia, &c. ita quoque dico, materia Petri est materia, materia hujus equi est materia, materia hujus canis est materia. *Quando quærit*, quid quæso hîc prædicatur, an singulare, an universale? *Quæro similiter: quid prædicatur in Divinis de Patre, de Filio, de Spiritu S.? an singulare, (h.e. an singularis essentia) an universale? Respondeo, singulare per modum universalis, sive analogiâ ab universali desumtâ. Vid. supr. §. 22. Nec repugnat singulari in præciso suo conceptu, prædicari posse de aliquibus, sicut neq; repugnat singulari in præciso suo conceptu, de ipso posse esse scientiam. Non enim omnia singularia sunt ejusdem conditionis. Non eo modo DEUS est ens singulare, quo Petrus aut Paulus; non eô modô materia prima est singulare vel unum numerô, quô Maria aut Sophia singularia sunt. Adeat Autor Doctorũ Virorũ libros. Ita* Pl. Rev. Dn. Jac. Martin. l. 2. de tr. Eloh. c. 34. p. 416. Distinguendum est inter singulare ut singulare, & inter singulare, ut habet ingenium & modum universalis, *&c. Jungat* Dn. Kesleri p. m. Log. Antiphot. sect. 1. princip. 2. p. 36. 38. sq. Cl. Dn. Scharff. Theor. Transc. Disput. 16. q. 2. & Quæst. Philos. Disp. 10. q. ult. *Ubi concludit quæstionem hoc argumento*: quæ communitas sola constituit universale, illa sola repugnat singulari. Atqui communitas ad plura inferiora (*NB. ad plura inferiora*) per multiplicationem (*intelligenon Physicam, quæ fit divisione in partes integrantes, sed Logicam, quæ fit divisione in partes subjectivas per operationem intellectus*) sola constituit universale. *Er.* communitas ad plura inferiora per multiplicationem sola repugnat singulari. *Ubi jam sunt inferiora materia? Judicent nunc intelligentes.*

§. 58. *Pergit Autor Dissertationis p. 95.* reliqua, quæ habet Autor, testantur, quòd non intelligat naturam universalium. [*Et producit sequentia mea verba:* Quidquid actu est in compositis physicis, illud singulare sit oportet materialiter & fundamentaliter. *Resp. 1. Quæ ego non intelligo in doctrina universaliũ, ea ex Autore Dissertationis, si amicè mecum communicaverit, ego discere avidissimè cupio. Interea, uter naturam universalium melius intelligat, an ego, an Autor Dissertationis, judicio sapientum submitto. 2. Ubi leguntur illa ex meis citata? Ea esse mea nego. Ita ego in* Theor. C. N. Disp. 8. §. 30. Quidquid actu est in compositis physicis, (*quæ ipso Autore supra §. 47. ex p. 92. fatente, singularia sunt*) ad actualem eorum con-

constitutionem concurrens, illud singulare sit oportet; quia sicut actu esse, ita actu inesse, non est nisi ejus, quod singulare est. *Scilicèt hoc est, quòd materia prima singulorum corporum in naturæ constitutionem divisim ingreditur, seseq; particulatim exhibet omnibus compositis physicis.*

§. 59. *Progreditur Autor, & sequentibus me petit* p. 93. Singularem in mundo reperiri materiam probat aliquot Syllogismis. Sed cui bono? Cur non probat etiam in mundo esse singulares canes, & singulares boves? Ut evertat tandem, universalia esse, canem, bovem, hominem. Invertendum argumentum prorsus, & evertenda misera Autoris opinio. Quæcunque singularia specie & genere conveniunt, ea universalia nobis suppeditant. Atqui materiæ singulares specie & genere conveniunt. Ergo materiæ singulares universalem nobis suppeditant. Major constat, quia illæ ipsæ naturæ communes fundamentum universalium sunt. Minor patet, quia specie conveniunt materiæ hujus & istius elementi, & non minus genere. Et quid multis? Quæ loco differunt, numero differunt. Materiæ cœli & terræ loco differunt. Ergo numero differunt. Quæ realiter differunt, ut res & res differunt. Materiæ cœli & terræ realiter differunt. Ergo ut res & res differunt. Quæ distinctarum specierum partes essentiales sunt, una numero res non sunt. Materiæ cœli & terræ distinctarum specierum partes essentiales sunt. Ergo materiæ cœli & terræ una res numero non sunt.

§. 60. *Sed contrà 1. Non ita ego, ut verba priora sonant. Non ego probo*, materiam singularem in mundo reperiri, *sed probo*, materiam physicam, quæ omnium corporum naturalium materia, *adeoq; omnium formarum physicarum subjectum est, si ratione sui essentiæ spectetur*, esse ens singulare, *non verò ens universale.* 2. *Qualis est quæstio, quando quærit*, cui bono *id fecerim? Quæri potest similiter:* Cui bono *is ad meas probationes respondit?* 3. *Inutilis est & sequens quæstio. Eôdem modò, eôdemq; jure quis quæsiverit, cur Autor Dissertationis non probet, dari in mundo universales canes, & universales boves, ut evertat tandem, singularia esse hunc canem, & illum bovem?* 4. *Sed quid Autor à conditione rerum naturalium, in quibus citra omnem controversiam abstractionis beneficium obtinet, ad conditionem materiæ physicæ comparationem sive similitudinem instituere audet? Minimè à rerum naturalium conditione ad conditio-*

nem materiæ primæ argumentum duci potest. 5. Quod sententiam meam de singularitate materiæ physicæ, in se spectatæ, vocat miseram opinionem, me non movet; movet autem me, quòd cum noverit, illam aliorum magnorum Virorum fuisse, & etiamnum esse sententiam, quas inter Scaliger, Sennertus, Scharffius, quòd illorum nullam mtionem habuerit, eos ǵ eo pacto miseros opinatores proclamaverit. 6. Frustrà jactitat inversionem mei argumenti, cum ego nullibi tali argumento usus fuerim, sicut tota mea Disputatio IIX. attestatur.

§. 61. Sed quam miserè is opinionem illam minimè miseram evertat, videamus (1.) Supponit argumentum, ab ipso adpositum, id, quod probandum erat. Supponit, esse materias singulares, quæ conveniant in una universali, quod in quæstione versatur. (2.) Quòd si verò syllogismus rectè formetur, Minor propositio negatur. Ita autem, ut in Enthymemate ostendam, informandus est: Materiæ physicæ specie & genere conveniunt. Er. materiæ physicæ universalem materiam nobis suppeditant. (3) Majoris probationem, quâ certè non indigebat, ego non capio. Ea, quæ specie & genere conveniunt, ut Petrus, Paulus, & materiæ singulares, an naturæ communes sint, an singulares, edisserant Metaphysici. Est ǵ observatu dignum, quòd Disputator in Majori propositione expresse singularium meminerit: Quæcunǵ singularia conveniunt specie, &c. Probat jam: quia illæ naturæ communes fundamentum sunt universalium. Ergo tandem singularia erunt naturæ communes? Adeone naturæ communes fundamentum sunt universalium? (4.) Minoris probationem quod attinet, speciem ea habet, nullum autem pondus. Nego eam, si phrasis specie convenire, propriè & in eo rigore sumatur, quem doctrina de Specie & Individuo poscit. Si autem latiùs accipiatur, pro τῷ habere eandem essentiam, vel convenire in essentia, concedo, siquidem omnes materiæ particulæ habent materiæ essentiã & in ea conveniunt. Inde a. nõ potest inferri: Quæcunǵ conveniunt essentiâ, vel eandem habente essentiã, illa conveniunt specie, propriè loquẽdo, adeoǵ sunt individua unius speciei, quæ sunt individua propriè dicta. Nego hanc propositionem. Possunt certè quædam convenire in essentia aliqua, ut tamen ea non sint individua unius speciei, quòd ipsa essentia, sub qua certo modo continentur, singularis sit. Patet hæc res ex §. 22. & 57.

§. 62. Reliqua, quæ Autor subjungit argumenta, non sunt contra me. Non est contra me illa conclusio: materię cœli & terræ numerô differunt; Ego n. 1. concludo de materia in se, non de partibus

us materiæ, & el, prout in distinctis corporibus pars constitutiva existit. ego unitatem numericam sumo propriè & strictè. Igitur ut pateat fucus argumenti, & quomodo Autor in hac re ludat, quæro, an unum numerô corpus, ut unus numerô homo, una numerô arbor, habeat unam numero materiam? Non negaverit id Autor, qui inferiùs p. 99. ait, singularia corpora habere singulares materias. At hæc arbor est singulare corpus. Er. &c. Argumentor jam: Quæ locô differunt, numerô differunt. Materia arboris in radice & materia ejusdem in ramis locô differunt. Er. materia arboris in radice & materia ejusdem in ramis numerô differunt. Materia brachii humani dextri moti antrorsum, & materia brachii sinistri moti retrorsum, capitis item & pedum, binc inde motorum, materia locô differunt. Er. numerô differunt. Er. unum & idem numerô corpus non habet unam & eandem numero materiam, quod est contra concessionem, & contra ipsam veritatem. Videt jam Autor efficaciam argumenti sui. Velim igitur considerare ipsum, quòd numerô differre accipiatur dupliciter: vel propriè & ἀκριβεία philosophicâ, quâ contradistingvitur τῷ differre specie juxta proprietatem termini & [illegible] numericæ, (de qua acceptione vid. Pl. Rev. Dn. D. jac. Matt. Exer. Metaph. l. 1. Exer. 9. Theor. 7. p. m. 350.) vel sumitur latiùs & impropriè de illis, quæ quomodocunq; numerum efficiunt. Priori modo ego, posteriori Autor de differentiâ numerica loquitur, uti patet ex facta argumentatione. Repeto: quæcunq; loco differunt, numero differunt. Materiæ hujus rami & illius rami in arbore, loco differunt. Er. materiæ hujus & illius rami numero differunt. Quot jam unius corporis numero diversæ erunt materiæ?

§. 63. Sequens quoq; syllogismus contra me non concludit. 1. Concedo enim, quòd materia cœli & terræ differant ut res & res. Pars enim & pars, actu ab aliquo toto decisæ, differunt ut res & res. Hoc autem non obstante, assertio mea tuta manet, quæ vult, materiam primam in se & sua essentia consideratam esse singulare quid & unum numero. 2. Deinde, non repugnat, quædam realiter distingvi, & tamen in essentia singulari convenire, quæ de iis quoq; prædicetur, sicut suprà quoq; diximus.

§. 64. Ultimus quoq; syllogismus contra meam sententiam non militat. Concedo enim illatum; Er. materia cœli & materia terræ una res numero non sunt, scil. una res numero actu. Concedo enim, materiam hodiè actu esse multam per divisionem, h. e. multas partes materiæ. Hæc est meæ sententiæ summa; materia prima in se & sua sub-

stantia una & singularis, cum sit corporeum rerum naturalium principium, divisa fuit, & multa facta ad multitudinem ipsarum rerum naturalium.

§. 65. *Unicum restat considerandum argumentum, quod meum esse scribit p. 96.* Nolo plura adferre, *inquit*, in rem hanc, cum lux nō addenda luci. Non tamen possum, quin adhuc semel referam egregiū illum Autoris Syllogismum. Materia prima in se est una numero. Materia cœli, terræ, lapidis, canis, hominis, est materia prima. Ergò materia cœli, terræ, lapidis, &c. in se est una numero.

§. 66. *At (1) absit argumentum istud meum esse, quidquid sit, quòd ex meis elicitum & confectum esse videatur. (2.) Ubi priùs retulit istud meū argumentum? nullibi. (3.) Impegit Autor, ita argumentādo. Struam° similē syllogismū ex ipsius doctrina.* Materia physica ut sic est ens universalissimū. Materia cœli, terræ, lapidis, canis, &c. est materia physica. Er. materia cœli, terræ, lapidis canis &c. ut sic est ens universalissimū. *Videt ergo Autor, quòd in priori syllogismo ly* in se, *& in posteriori ly* ut sic *ad subjectum Majoris spectent, minimè ad prædicatum. Id quod ex distinctione quæstionis perspicere est. Nimirum quæritur, an materia prima sit una numero? Hic cum materia prima possit dupliciter considerari,* vel *in se & ratione suæ entitatis præcisè,* vel *ratione eâ, quâ est in rebus naturalibus, ut earum pars constituens, vel, ut generationi naturali substernitur, (ubi noto, quòd ipse Autor distingvat inter entitatem materiæ & ejus officium, in sua* Dissert. p. 86.) *&c. hinc dico, quòd si quæstio intelligatur* de materia prima in se, *ea affirmanda veniat. Unde emergit hæc propositio:* Materia prima in se (*subjectum*) est una numerô (*prædicatum.*) *Nunc in Minore ponendū est totum subjectum Majoris propositionis h. m.* Materia cœli, terræ, lapidis, canis &c. est materia prima in se; *unde prodit Conclusio:* Er. materia cœli, terræ, lapidis, &c. est una numerô. *Hoc modo constructo syllogismo, ejus propositio Minor neganda venit. Nec enim materia cœli, terra, lapidis, canis est materia prima in se, sed sunt illæ multæ materiæ illius portiones, rebus illis naturalibus accommodatæ. Scōmata ab Autore ꝑfusa, & egregio illi syllogismo annexa, ipsi devorāda relinquo.*

§. 67. *Atq; sic hactenus rationes & probationes meæ (quamvis Autor omnes non tetigerit) ab exceptionibus & argumentationibus oppositis vendicatæ fuêre. Stant igitur & perstant meæ cōclusiones,* 1. Materia, quæ sola propriè est materia physica, est una unitate singulari; *adeoq; 2.* non est una unitate universali. *Pro prima militant argumenta mea in* Theor. C. N. Disp. 8. §. 27. & 32. *allata. Perstat pri-*

primum argumentum, à natura singularis desumptum, & supr. §. 27. repetitum; valet & alterũ meum §. 58. reassumptum: quicquid entitate sua actualẽ constitutionem compositorum physicorum, quæ in natura sunt aut fiunt, ingreditur, illud singulare sit oportet. Atqui materia nostra prima entitate sua actualem compositorum physicorum, quæ in mundo sunt, aut fiunt, constitutionẽ ingreditur. Er. &c. Perstat & ultimum planè illibatum, ab Autore non tactum, utpote quod vidit in ipsius incidere hypotheses. Idem enim illud argumentum est, q̃ superiùs §. 11. ex ipsius concessis struxi. Ita autem habet: quidquid habet actum suum entitativum, vel, quod idem est, quidquid propriã suam habet existẽtiã, illud singulare est. Atqui materia physica habet actum suum entitativũ, propriâq̃ sua gaudet existentiâ, Er. &c. His adjungo quartum ex illis, quæ Autor in hac Dissertatione nobis largitus fuit. Ita ille in pag. 95. (supr. §. 56.) Neq; illud (*Pererii dictum*) verum simpliciter, ratione formæ fieri isthanc prædicationem, *quâ nimirum materia prædicatur &c.* Ratione materiæ sit, sed sub diversis formis existẽtis. *Hinc fluit syllogismus: Quæ materia sub multis existit formis, ea singularis entitatis res est. Materia prima sub multis existit formis Er. materia prima singularis entitatis res est. Minor est Autoris; Majorem nemo negaverit; siquidem materia sub aliis & aliis formis existens non potest non nisi singularis esse.*

§. 68. *Patet nunc altera mea conclusio, quâ statuitur,* Materiam primã non esse ens universale; *siquidẽ probatũ est, ipsã esse singulare. Deinde militat argumentum in* Theor. C. N. Disp. 8. § 27. *allatum, & superiùs vendicatum. Deniq̃ propono Autori Dissertationis duo alia argumenta (1.) urgeo, quòd universalis cõmunitas est in anima tantùm per mentis abstractionem. At materiæ communitas (Dn. Sennerto p. m. & Cl. Dn. Scharffio, omnibusq̃ sanioribus Philosophis veritati adclamãtib°) est in rerum natura extra animã. Nemine n. cogitãte, etiã si null° sit intellect°, de eo cogitãs, materia prima est cõmunis omnib. corporib°, omnibusq̃ generationib. physicis. (2.) Universale ut est genus, non potest esse idem numero in alio. Ast materia prima potest esse eadem numero sub diversis formis, in diversis compositis; (eadem numero materia sub forma mercurii, & sub forma auri; eadẽ numero materia sub forma seminis canini & forma canis) Er. materia prima non est quid universale. Alia mitto.*

§. 69. *Quæ cùm ita, ceu ꝓbatũ & declaratũ, cõparata sint, velim Autorẽ Dissertationis mecũ attẽdere ad sequentia, colophonis loco addẽda.* Aliud *est, rẽ physicã ꝯsiderare in se, i. e. sibi suæq̃ integritati relictã, lev*

et-

etiã, eã habere se isto modo, ut sibi, suaq; integritati relicta est; aliud est, rẽ illã extrinsecùs affici, suaq; integritati õ relinq, sed actiõi agẽtis (unius, vel pluriũ) subjici. Sit e.g. hæc cera, hæc aqua &c. Hæc cera est una numero substãtia actu. Dividatur ea, & pars cedat cãdelæ, pars pilæ, pars emplastro, pars oleo, & aliæ partes aliis rebus exinde ꝑficiendis; cum divisa sit, una numero substãtia actu nõ manet, quæ ipsa tamẽ ante sui divisionẽ erat una numero substãtia actu, post divisionem actu multa reddita, una tamẽ numero ꝑntiã relicta est. Et eo, ꝙ hæc ceræ partes jã sunt ẽtia multa numero actu, õ efficitur, cerã totam ante sui divisionẽ nõ fuisse unam numero actu, aut unam numero ceræ substantiã nõ suffeciſſe tot rebus ꝑficiendis; cùm verissimè una numero ceræ substantia jam exhibita, & variis efficiendis divisim accommodata fuerit. Si Ars, Naturæ æmula, unam numero substantiam distribuere valet inter multa, qui Natura id non faciat, vel facere non possit, ego non video. Quid vetat jam, materiam primam entitativè, sive essentiæ suæ ꝓprietate singularẽ & unam numero statuere, quidquid sit, quod actu in multis compositis physicis existat, seseq; singulis generationibus physicis divisim exhibeat.

§. 70. Deinde propono & hoc considerandum. Materia in uno cõposito physico singulari, e.g. in hoc homine, in h. cane, in h. salvia &c. juxta Autorem, existit sub multis formis, tàm partialibus quam subordinatis. Materia a. in uno cõposito ẽ una numero. Igitur una numero materia existit sub multis formis. Quomodo? Nimirũ sunt in uno cõposito multæ partes integrãtes, quibus certa materiæ partes respõdẽt, quæ partes suis peculiaribus gaudent formis, quib. ea constituuntur. Vid. Autor Inst. Phys. l. 1. c 3. p. 64. sq. Tract. de or. for. p. 3. sqq. & in Defens. l. 2. c. 10. p. 296. sqq. Sicut hic videmus unã numero materiã, unũ numero corpus cum sua forma ꝓstituẽtẽ, plurimas distinctissimasq; habere partes, ita ut rectè dicas, alia materia pro forma oculi, alia pro forma vẽtriculi, alia pro forma epatis &c. ita cũ universa materia physica comparatũ esse teneamus, nimirũ illam particulatim inveniri in reb. naturalibus, & existere sub aliis & aliis formis, quod etiã Autor nuper nobiscũ asseruit. Tribus verbis. Una materia cõmunis pro omnibus formis physicis; alia materia, i.e. aliter præparata & dispoſita pro aliis formis.

§. 71. Denique pensitemus, quòd Dn. Sẽnertus p. m. in Hypo. l. c. 3. p. 24. divisionẽ õ solùm de materia, verùm de ipsa anima assirmet, sic scribẽs: anima etsi per se nõ sit quãta, dividitur suo modo ad divisionẽ materiæ, & una numero actu existẽs (NB) multiplex est potẽtia, sitq; actu (NB) multiplex ad subjecti corporis divisionẽ. Hinc dico: quãtò magis illa substãtia, quæ per se quãta est, cujusmodi est materia, divisione erit actu multiplex, sive multa, ob partes, in quas dividitur, vel divisa existit, cum hoc reservato, ut sit una numerò potentiâ, sicut sup. §. 5. ex Suarez proposui. Et id eò magis, quia materia talis naturæ est, quod per absolutam Dei potentiam formæ omnes ab ipsa separari, ipsaq; in unã compagem reduci, & sine formis existere potest. Materiæ siquidem essentia non solũ nullam formam includit, sed omnem excludit, unde informis dicitur. Quod argumento est, ipsam per absolutam Dei potentiam sine formis conservari posse. Tantum hac vice.

Bona cum Deo!

Disputatio VII.

DE DEFINITIONE NATURÆ.

IN Theoria Corporis Naturalis, Disp. 8. *postquàm definitionem Naturæ, ex textu Aristot.* l. 2. Physic. c. 1. *desumi solitam, explicatam dedi, aliquot objectiones, ab Autore Dissertationis in* Instit. Phys. l. 1. c. 4. q. 2. *contra eam propositas dissolvi. Ad mea autem ille excipere, ademq; eludere & eludere conatus fuit. Exceptiones illas hac Disputatione lustrabimus & examinabimus.*

§. 2. *In limine* cap. 4. p. 110. *Autor suam de Aristotelica Naturæ definitione ponit sententiam, his verbis*: Vitiosa est definitio Naturæ: Natura est principium & causa motus & quietis ejus in quo inest primò per se & non secundum accidens. *Ubi statim noto, conclusionem non esse contra me. Neq; ego statui, quod illa sit definitio Naturæ, juxta totidem verba in Aristotele posita, sicut ex* d. Disp. 8. §. 11. & 49, *videre est. Non exprimunt Aristotelis verba ipsam formalem definitionem, sed eam in se continent, ut inde exstrui possit eô modô, quô* Disp. d. *expositum fuit.*

§. 3. *Sed quomodo Autor Conclusionem suam probet, videamus. Primô usus fuit hoc syllogismô principali, tùm in* Institut. Phys. *tùm in* Dissert. c. 4. p. 100. Quæcunq; definitio in omnes fermè bonæ definitionis conditiones peccat, ea vitiosa est. Naturæ definitio in omnes fermè bonæ definitionis conditiones peccat. Er. Naturæ definitio vitiosa est. *De Majore nullum esse dubium ait. Minorem probat quadrupliciter, à quatuor definitionis conditionibus, quòd ea hic deficiant.*

§. 4. *Probat I.* p. 101. Conditio est: Definitio exprimat essentiam definiti sine omni ambiguitate. Ratio conditionis est, quia ambigua nihil certi ponunt: at definitio definiti essentiam ponere, explicare, & menti repræsentare debet. In hanc autem conditionem peccat egregiè naturæ definitio. Patet id satis é termino principii, causæ, motus, quietis, & singulis fermè verbis. Nec est, quod dicant, ambiguitates tolli contextu. Quàm bellè enim tollantur, testantur Interpretes. Quò enim quis legit plures, eò evadit incertior. Et si arbitraria aliqua hic sufficit expositio, ut quomodo dici possit hoc vel illud, referas, calva est excusa-

tio. Eodem jure omnes excusari valerent definitiones vitiosæ.

§. 4. *Ad hanc probationem respondi in* d. Disp. 10. Theor. C. N. §. 45. & 46. (1.) Si illæ definitiones, in quibus voces positæ inveniuntur ambiguæ, id est, plura significantes, & passim ab aliis aliter accipi solitæ, etiam propriæ illius definitiones vitiosæ salutandæ erunt. Definit enim is causam, quod sit principium influens esse corporis naturalis; definit naturam, quod sit causa interna, quâ quodvis corpus naturale suam habet essentiam, affectiones, actiones & passiones. Hic certè terminus principii, influere, causæ internæ, essentiæ &c. & singula verba ambiguitates admittunt. Aut certè mirum erit, voces esse ambiguas, quando ab Aristotelicis ad suas definitiones adhibentur, non autem quando illis utuntur alii. Ponimus sequentem Aphorismum: non statim ubi occurrunt vocabula ambigua, vel, aliàs plures significatus habentia, ambiguitas & vitiositas in oratione est. Aliàs, dixi. Aliud enim est, ut supra monuimus Disp. 5. th. 54. terminum aliquem esse ambiguum, aliud illum ambiguè stare & significare in aliquâ oratione. Illo admissô, hoc negamus de vocabulis, ex quibus cõflata est præsens Aristotelis definitio. (2.) Nulla ambiguitas hîc, nullumq; ambiguum sensum definitionis admittimus. Fortiori ad id efficaciter probandum & obtinendum opus est argumento. Et omninò genuinus definitionis sensus ex toto contextu desumendus est; non ad unam alteramvé vocem seorsim, sed ad vocum conjunctionem, totamq; sermonis structuram, quæ completum & legitimum absolvit sensum, respiciendum est. Responsio ad exceptionem data non videtur quadrare. Excipiebatur enim; ambiguitates tolli contextu; respondetur; Interpretes testari, quàm bellè tollantur. Certè genuinus alicujus dicti sensus non est in Interpretis potestate, ut ex ejus cerebro textus συνάφεια, & sensus ἀλήθεια pendeat, sed sicut textus, ita etiam sensus, quem is in se continet, ad Autoris mentem & intentionem revocandus. Nec puto, in hanc collectionem consentiet: Quæcunq; definitio (quodcunq; dictum Sacri vel prophani Scriptoris) aliter & aliter ab Interpretibus exponitur, illa est ambigua, adeoquè vitiosa. Atqui hæc definitio aliter & aliter ab Interpretibus exponitur. Ergo &c. Certè alia & alia Interpretum interpretatio non reddit alium & alium sensum, aliàs tot essent sensus unius dicti, quot modis variant Interpretes. Imò quamvis nemo

mo Interpretum assequatur alicujus dicti sensum, nihilominus sicut dictum, ita sensus dicti salvus manet & integer. Nil igitur quidquam præjudicat definitioni Aristotelis, quod Interpretes in explicandâ illâ non consentiunt.

§. 6. *Excipit Autor in* Dissert. p. *III.* Autor frustrà limitat canonem: *In definitione nulla sit ambiguitas.* Verus simpliciter Canon est, quia ambigua non significant unum quid. Distrahunt ergò mentem & confundunt, non erudiunt. Terminum esse posse aliàs ambiguum, licet in Definitione non stet ambiguè, conceditur. Sed de terminis alibi aliter sumtis, non loquitur Canon. Simpliciter vocabula in Definitione extantia ponderat. Ut nihil aliud sonet, quàm hoc ipsum: *In definitione non sint vocabula ambiguè posita.* Non vult id, in definitione non esse debere vocabula, quæ extra definitionem aliud atque aliud significant. Quod enim extra definitionem est, non inurit maculas definitioni, quomodocunque etiam capiatur.

§. 7. *Resp. De tritissimo hoc argumento de professo disserui in superâ* Disp. 2. *quæ videatur.* *Nunc respondeo breviter: cautelam istam non frustrà à me fuisse adhibitam, vel maximè ex eo patet, quod Autor in* Dissert. c. 1. p. 24. *& hoc ipso locô* p. *III. eam observet, & vestigia mea legens, sic propositionem formet:* In quacunq; definitione vocabula ambiguè ponuntur & sumuntur, ea est nulla; In definitione non sint vocabula ambiguè posita *Rectè. Hoc solummodo annotandum censeo, non esse statim ambiguitatem in verbis definitionis, ubi & quando quis talem in ea fingit, vel ei imponit. Nec enim ex animo legentis, sed ex intentione scribentis vel tradentis definitionem, hæc res æstimanda est, & quô significatu is voces adhibuerit, atq; intelligendas voluerit, perspiciendum.*

§. 8. *Pergit Autor* p. d. *III.* Instantiæ sunt nullæ, quas dat Autor. Manet universalis propositio hæc: *In quacunq; Definitione dantur homonyma, ea est vitiosa.* Non mutandi Canones ob Definitionum vitia, sed ipsæ definitiones corrigendæ, & juxta Canones formandæ sunt. De nostris securi sumus, nihil tale metuentes. In definitionibus Causæ & Naturæ principium, influxus, causa interna, essentia, & cætera cuncta, ambiguè non ponuntur. Non ibi datur insolentia vocum, neq; multitudo significationum. Qui novit terminos, is habet sensum. Argumentum, quod de re hac suprà propositum fuit, repe-

eo. Quæcunq; definitio constat vocabulis unum ac perspicuum sensum habentibus, ea ambiguitate caret. Nostræ duæ definitiones constant vocabulis unum ac perspicuum sensum habentibus. Ergò nostræ duæ definitiones ambiguitate carent. Monstretur ergò duplex significatio, aut concedatur, definitiones esse bonas.

§. 9. *Contrà (1.) Non est vera illa propositio illimitatè accepta. Ego eam nudè & crudè positam simpliciter rejicio. In sensu composito quidem vera est, non vero in sensu divisio; h.e. vera est, quando impositio homonymi cadit super verba definitionis, quat. definitionis verba sunt, quod est, definitionis verbis ambiguitatem inesse, vel, definitionis verba ambiguè posita esse; non verò, ut cadit super verba in definitione posita secundùm se & materialiter, quòd verba illa, quæ ad definitionem adhibentur, plures significatûs habent. Quà priorem igitur sensum, concedo Majorem propositionem, & nego Minorem; quà posteriorem, concedo Minorem, & nego Majorem propositionem. Pauciſſimæ, imò ferme nullæ sunt definitiones, in quibus non invenire liceat vocabula multos significatûs habentia; vid.* supr. Disp. 2. §. 7. 8. *(2.) Imo contrarium, & id, quod hactenus in medium proposui, ipse Autor haut obscurè largiri videtur, quando* p. 112. *scribit:* qui novit terminos, is habet sensum. *Rectè. Non ergo obstat homonymia votum definitioni, sed impedit, quòd legens non intelligit, nec dignoscit significata, nec ex subjecta materia vocis significationem æstimat. Legens verò & intelligens subjectam, quæ tractatur, materiam, convenientes quoq; & ad subjectam materiam quadrantes terminorum significationes perspicit & percipit, adeoq; verum sensum sicut cujuslibet dicti sive sententiæ, ita & definitionis habet. Sic si Autor Dissertationis novit terminos in definitione Aristotelica adhibitos, habet genuinum ejus sensum; si autem eos non novit, uti non novit, nec habet sensum definitionis nostræ. (3.) De Autoris definitionibus suo locò plura.*

§. 10. *Pergit Autor h. m.* p. 112. Stante Interpretum fide, non potest ab ambiguitatibus liberari definitio Naturæ. Petit Autor argumenta fortiora, sed si memini rectè, non ponderavit satis, quantum insit roboris rationi. Torquentur verbis istis Interpretes omnes, & ipse quoq; Autor. Non Oedipo conjectore opus, ut causam teneas. Tàm stupidos eos ipsos esse, aut fallaces, non existimo; quanquam nec absolvere criminis omnis eos laboro. Ingentem inveniunt materiam litis, non omnem ad-

adferunt. Habent interpretationum suarum rationes, in ipsis Definitionis verbis fundatas. Unde argumentor: Quæcunque definitio assertoribus suis ad hæc usq; tempora subministravit materiam litis, ea non omni caret labe. Naturæ definitio assertoribus suis ad hæc usq; tempora subministravit materiam litis. Ergo naturæ definitio non omni caret labe: Major patet, quia definitio tollere potius debet lites, quàm serere. Minor è citatis in Institutionibus, quin & ex hac ipsâ Autoris Disputatione constat abundè.

§. 11. *Contrà* 1. *Certè non ex diversis Interpretum sententiis hæc res æstimanda venit, (qui enim ab Interpretum vel inconstantia, vel varietate argumentum ducetur ad ambiguitatem definitionis?) sed ex alio fonte deducenda est. Quæ consequentia: Interpretes torquentur verbis definitionis; Er. definitio est ambigua?* 2. *Suam sortem intueatur Autor. & quàm torquebitur is opinionibus & novitatibus suis! Vel solum Traducem is consideret.* 3. *Ad Syllogismum respondeo sic:* quæcunque definitio, *quantum ex se est*, assertoribus suis subministrat materiam litis, ea non omni caret labe: *nego minorem, quæ non probatur ex illis, quæ Autor in Institutionibus Physicis citavit; nec ex mea Disputatione ipsam probare poterit. Ex conditione subjectorum id est, quidquid est, & à diversitate ingeniorum proficiscitur, minimeq; definitioni, vel dicto Aristotelico definitionem continenti, adscribendum.* 4. *Addo, quod syllogismô isto non concludatur concludendum; generatis infertur conclusio, non specialis, quæ conditionem sive legem definitionis, quam urgere Autor instituit, attineat.*

§. 12. *Progreditur Autor* p. 113. *& contra aliquod meum dictum excipit. Ita ego in* d. Disp. 8. §. 46. geminus alicujus dicti sensus non est in Interpretis potestate. *Excipit ille:* Verum est. Sed in re manifestâ non digladiaturos Interpretes confido. Aut patet verborum sensus; aut latet. Si patet, accusandi Interpretes. Si latet, accusanda definitio. Non enim perspicua est. De mente verò Aristotelis & intentione nunc non disputo, sed de Definitione tantùm, quæ Interpretum est, non Aristotelis.

§. 13. *Resp.* 1. *Non possum melius respondere, quàm si simile Autori argumentum proponam. Aut patet natura Traducis, aut latet. Si patet, accusandi Traducis defensores, qui in re manifesta non conveniunt, sed dissentiunt. Si latet, accusandus est ipse Tradux ejusq; definitio, ut quæ perspicuè dari nequit.* 2. *Quà reliqua verba; si hac in mate-*

ria non de mente & intentione Aristotelis disputat, nec de definitione Naturæ disputat; aut si de definitione disputat, de mente & intentione Aristotelis disputet oportet, cum definitio Naturæ omninò Aristotelis sit, in tex. 3. lib. 2. Phys. *præscripta, exindeq; nobis petenda. Falsum enim est, eam esse Interpretum, non Aristotelis. Aristotelis est, non Interpretum. Interpres enim definitionis, ut hic spectatur, non est ipse definitor, & qui doctrinam Aristotelis exponit, non est ipse Aristoteles.*

§. 14. *Aliam meam propositionem examinat Autor. Ita ego* l.d. §. 49. Nec puto in hanc collectionem consentiet Autor: quæcunq; definitio (quodcunq; dictum Sacri vel prophani scriptoris) aliter & aliter ab Interpretibus exponitur, illa est ambigua, adeoq; vitiosa. *Excipit ille* p. 114. Primò confundit definitionem cum quovis dicto, cum quavis enunciatione. Definitionis virtus est perspicuitas, vitium obscuritas. Loquantur autores obscurè, sed non in Definitionibus. *Et mox*: Magis autem perspicuam formari potuisse definitionem Naturæ, vel cæcus videt. Deinde Interpretes vel sine fundamento aliter & aliter explicant Definitionis verba, vel cum fundamento. Ibi reprehendendi ipsi; hîc definitio.

§. 15. *Contrà 1. In gratiam Autoris de sola definitione loquamur; nihilominùs propositionem, ut evanidam & nullius roboris, negamus & repudiamus. Probet eam Autor. 2. Imò in quavis oratione, sive definitiva ea sit, sive non sit definitiva, locum habet mea responsio. In nulla enim valet: hæc oratio aliter & aliter ab aliis & aliis explicatur. Ergo oratio ista est ambigua. 3. Exhibeat nobis magis perspicuam Naturæ definitionem, ac illa est, quæ Aristotelis verbis comprehenditur. Eam fortè exhibebit, quæ in suis* Instit. Phys. l. 1. c. 4. p. 148. *legitur? Sed illa multis modis impingit, nec naturæ, juxta propriam acceptionem physicam, essentiam exponit, ut s. l. ostendetur. 4. Ego libenter admitto, Interpretes sine fundamento aliter & aliter definitionem Naturæ explicuisse. Eos autem propterea reprehendendos esse, dubito. Cur enim hic, quòd non vidit & perspexit id, quod alii vident & perspiciunt, reprehensionem meritus fuerit? Videat Autor, qui certè tantam perspicacitatem, quâ omnia videat & penetret, sibi tribuere nequit, ne in sui præjudicium quid dicat aut scribat. Confer.* §. 13.

§. 16. *Ad alia mea excipit ille. Ita ego in suprà allatis inter alia:* quamvis nemo Interpretum assequatur alicujus dicti sensum, nihilominùs sicut dictum, ita dicti sensus salvus manet & integer.

Ait

Ait ille p. 114. Profectò sit talis nobis offerretur Definitio, dignus foret explosione definitor. De dicto autem quovis, id dictum nõ esto. Defendenda nunc Autori naturæ definitio est, quam neminem intelligere posse si concederet, & irridendus foret definitor, & exturbanda definitio.

§. 17. *Transeat disputatio de venando sensu dictorum in genere. In præsente negotio maneamus. 1. Fateor hîc, me non intelligere definitionem Naturæ ab Autore in* Instit. Phys. l. 1. c. 4. p. 148. *propositam. Non capio, quid per causam internam dictum velit. Ille enim terminus est ambiguus, ut notavi* Disp. 2. §. 5. *Non capio, quomodo naturam —, quam in materia & forma unitis ponit, & pro toto accipit, sicut* cap. seq. *se explicat, definiat per essentiam, cùm natura isto significatu nil aliud notet, quàm essentiam, quæ in rebus naturalibus, in materiæ & formæ unione posita est. Non capio, quomodo natura isto suo significatu sit causa omnium affectionum, item omnium passionum; vel maximè quòd is scribat, Naturam h. suo significatu connotare respectum ad operationes,* h. cap. p. 117. *multæ autẽ sunt affectiones, quæ operationem nõ involvunt, ut quantitas, locus, &c. Imò qui naturæ, ut totum designat, & unionẽ materiæ atq; formæ formaliter requirit, sicut* cap. seq. *statuit, erit causa quantitatis, quam præcisè materiam insequi scribit in* Inst. Phys. Procem. p. 4. & l. 3. c. 3. q. 2. p. 475. & l. 4. c. 6. p. 706. ad præc. 1. *Locum itidem quantitatem insequi scribit cùm in* d. Inst. Phys. l. 3. c. 3. q. 3. p. 477. *tùm in* Dissert. c. 2. p. 49. *Alia inpræsentiarum mittens fateor, me definitionem istam Naturæ, quamvis omnes terminos vocesq; in ea adhibitas intelligam, non capere. Dignus ergo erit explosione definitor. 2. Definitionis verò illius, quam nos ex Aristotelis textu desumimus, explosionem à viris solidè doctis metuimus nullam. Qui terminos illius definitionis novit, ejus sensum novit.*

§. 17. *Atque hactenus ea, quæ Autor Dissertationis contra meam responsionem, sup. §. 13. repetitam, molitus fuit, dissolvi & removi. Digreditur nunc idem ad quædam mea, quæ pro explicatione verborum Aristotelis olim proposui, taxanda, quæ examinanda nobis jam sunt & discutienda. Ita autem de verbis, quòd Natura sit ἀλλὰ τῶ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν, scripsi, eorumq; sensum aperui in* Theor. C. N. Disp. 10. §. 17. & seqq. *quòd illis verbis non actum, sed potentiam movendi & quiescendi significari, & Aristotelem Naturæ non motum & quietem, sed potentiam movendi & quiescendi primò tribuere, nobis persuasum habeamus. Et hanc meam assertionem ibidem aliquot rationibus probatam & munitam dedi.* §. 18. *Huic*

§. 18. *Huic mea asserto Autor sese opponit, primùm quædam contra illud argumenta proferens, deinde argumenta mea, quæ pro stabilienda mea sententia proposui, tangens, eademq; infringere laborans. Duo autem dicit:* 1. quòd contra Aristotelis intentionem, 2. contra ipsam veritatem *statuerim. Quà primum* p. 115. *sic habet:* contra Aristotelis intentionem hæc scribit. Non potest hîc pro motu substitui mobilitas. Ratio, quia intentio Aristotelis fuit, Naturam per motum ab arte distinguere. Unde argumentor: Per quem motum natura maxime distinguitur ab arte, is in definitione naturæ potissimùm intelligendus est. Per motum pro actu secundo sumtum natura maximè distinguitur ab arte. Ergò motus pro actu secundo sumtus in definitione naturę potissimùm intelligendus est. Major patet ex Aristotelis intentione. Confirmatur propriis Autoris verbis. *Is motus*, ait, *qui est primus, potissimus, & communissimus motus, & per quem Natura maximè distinguitur ab arte, in definitione naturæ potissmùm intelligendus venit.* Quod verum 1. de motus actu. 2. de motus specie. Minor probatur, quia actus primus seu mobilitas latet, & tantùm per actum secundum cognoscitur. Per id quod in sensus incurrit, naturam ab arte discernere vult Aristoteles: at motionem videmus, non mobilitatem. Hinc etiam à probatione naturæ abstinet Aristoteles, quia ex sensibus discimus naturam esse, cùm res ipsas moveri videmus. Unde illum, qui velit naturam alteri demonstrare, similem facit τῷ ἐκ γενετῆς τυφλῷ conanti colores alteri demonstrare.

§. 19. *Resp.* 1. *Qui Aristotelem non cum, nec cum sine præconceptis opinionibus legit, qui is ejus intentionem noverit?* 2. *Non opponit Autor meæ thesi, quam sicut & alia mea, non fuit assecutus. Ubi posui ego, aut statui, quod in Naturæ definitione pro motu substituenda sit mobilitas? nullibi. Ita docui;* per principium movendi in definitione Aristotelica potentiam movendi intelligendam esse. *Aliud autem est, loqui* de potentia movendi *ex parte principii, aliud* de mobilitate *ex parte subjecti, quod moveri potest. Non de hac, sed de illa in præsentiarum sermo est. Declaro. Distincta sunt, quando dico, anima est principium ridendi, discendi, &c. & principium ridendi ibi notat potentiam ridendi ex parte animæ; & quando dico, non risus, sed risibilitas est affectio hominis.* 3. *Non ad solam motus vocem, sed ad totam phrasin oculos & animum vertere debemus. Ita habet mea assertio:* principium

mo-

movendi & quiescendi hîc denotat potentiam movendi & quiescendi; *contra hanc opponere* Autor *debuisset.*

§. 20. *Sed rationem & argumentum Autoris, quamvis contra me non concludat, spectabimus.* 1. *Ratio adhibita nulla est. Falsum est, intentionem Aristotelis fuisse, Naturam ab Arte per motum secernere. Scilicet ut antè indigitabam, intentionem Aristotelis Autor novisse haut potest. Contra Aristotelem, & contra veritatem id dicitur. Non equidem per motum, sed per internũ movendi principium Philosophus Naturam ab Arte distingvere voluit. Quin imò & Ars principium motus existit, & artefacta moveri videmus. Qui ergo per motum Natura & Ars, naturalia & artificialia discriminabuntur? Scilicet in hoc conveniunt Natura & Ars, quòd utraq; est principium movendi; in hoc verò differunt, quòd Natura est principium movendi in eo, in quo est, Ars vero est principium movendi in alio, sicut in* Theor. C. N. Disp. 8. §. 36. *ex Aristot. dictum fuit.*

§. 21. *Syllogismum ab Autore propositum quod attinet, multis nominibus ille impingit.* 1. *Supponit, quasi distinctio Naturæ ab Arte præcisè fiat per motum, quod falsum esse, jam modò monstratum fuit.* 2. *Supponit geminum motum; unum pro actu primo, alterum pro actu secundo. At, accuratè loquendo, nullus est motus pro actu primo sumtus, sicut e.g. nullus est risus, nullus fletus pro actu primo sumtus. Risus formaliter actum secundum dicit.* 3. *Positô, rem ita, ut supponitur, se habere, tamen actus primus & secundus non variant speciem motus, sed ejus habitudinem, quòd nunc potentiâ sit, nunc actu. Ut proinde quatuor appareant termini in argumento. Nec enim subsumtio* (per motum pro actu primo sumtum Natura &c.) *respondet propositioni Majori* (per quem motum Natura &c. *Quæ res clariùs fulgebit ex §. seq.*

§. 22. *Deinde Majoris probatio nulla est.* 1. *Non patet Major ex Arist. intentione. Non siquidem ea est Philosophi intentio, quam Dissertationis Autor sibi imaginatur; nec enim per motum, sed per internum movendi principium Naturam ab arte discriminavit, ut ant. §. 20. expositũ fuit.* 2. *Nec ea cõfirmatur ex meis. Repetamus propositionẽ probandam:* per quem motum Natura maximè distinguitur ab Arte, is in definitione Naturæ potissimum intelligendus venit: *& conferatur meum dictum:* is motus, qui est primus, potissimus & communissimus motus, & per quem Natura maximè ab Arte distinguitur, in definitione Naturæ potissimùm intelligendus venit. *Nimirum* (1.) *ego verbis illis non intendo de intentione*

Aristotelis quà principale negotium, & quà rationem illam, quâ Natura & Ars ultimò & formaliter discriminantur; sed id, quod ex parte vocis κινεῖσθαι pro definitionis explicatione dicendum erat, expono, sicut & cum reliquis definitionis particulis fieri consvevit. (2.) Ego intendo de motus specie, nimirum de motu locali, non de actu. Ut frustrà sit Autor, mea interpretari præsumens, quando scribit p. 119. Illud meum dictum verum esse 1. de motus actu, 2. de motus specie. Et proinde ex illo meo sic argumentum inflectendum fuisset: per quem motum Natura maximè ab Arte distinguitur, ille in definitione Aristotelica potissimum intelligendus est. At qui per motum illum, qui est primus, potissimus & communissimus, Natura maximè discernitur ab Arte. Er. motus ille, qui est primus, potissimus & communissimus, in Naturæ definitione intelligendus est. Ast, ut patuit, & jà pluribus patebit, argumentum illud ex meis sic deductũ, rẽ omnẽ non absolvit. Nec enim (3.) ego de motu præcisè loquor, sed ad internum motus principium respectum habeo, ut citatus §. 23. Disp. 8. Theor. C. N. monstrat, cujus verba inferiùs recitabo. Estq; intentio mea hæc, ut aperiam, quis-nam motus vel maximè intelligendus sit, cujus Natura principium internum esse dicitur, (N.B.) eò scil. modò, quò principium movendi priùs expositum erat.

§. 23. Denicq; Minorem propositionem simpliciter nego. Nec ea illis, quæ Autor attulit, probatur. Etenim 1. quæ consequentia: actus primus latet, & tantùm per actum secundum cognoscitur. Er. Natura non est definienda per actum primum, sed per secundum. Etenim sic negq; anima definienda erit per actum primum, quia actus primus latet &c. 2. Non definitur Natura per mobilitatem, ex supr. dictis, nec per actum primum, eò ipsò, quando principium movendi per potentiam movendi interpretamur. Sunt enim ea distinctissima. Quin imò cùm definitio Naturæ materiæ accommodanda sit, in eam non cadit actus primus, benè autem potentia movendi passiva. & c. 3. Aristotelem Naturam ab Arte distinguere voluisse per id, quod in sensus incurrit, falsum est, siquidem & artificialium (ut αὐτομάτων) motus in sensus incurrit. Nec ex meis id depromitur. Non enim sic ego; sed hoc significo: in motu locali omnium evidentissimè videri posse, quòd ratione principii inter motum naturalium & artefactorum sit discrimen; is enim omnium evidentissimè in sensus incurrit. Videmus enim hic, αὐτόματα ab Artificibus confecta non moveri intrinsecâ & nativâ virtute, sed extrinsecâ, & principium motus extra se habere; secus ac est in naturalibus. 4. Ultima

tima verba §. 18. ex Autore adposita planè frustranea sunt, nec quid cõcludunt: Ex sensu discimus, Naturam esse, cùm res naturales actu moveri videmus, Er. definitio Naturæ do actu est intelligenda. Similiter colligo de anima: Ex sensu cognoscimus animam esse; Er. anima definienda per actum secundum. Nimirum distinguendum inter existentiam Naturæ, & ejus definitionem: τὸ ὅτι Naturæ ex sensu patere docet Aristoteles, ut ibi demonstratione nulla opus sit; τὸ τί ἐστι Naturæ verò propterea per actum secundum dandum, esse, nec Aristoteles docet, nec sana ratio admittit.

§. 24. Sed ecce! Sicut antè Majorem, ita jam Minorem propositionem ex meis probare Autor satagit, aitq; adesse hac de re propriã meam confessionem, quando dixi in d. Disp. 8. *§. 23.* per motum localem Ars maximè distinguitur â natura, cum communissimus sit, & maximè proprius rebus naturalibus, omniumq; manifestissimè in sensum incurrat. *Sed 1. nihil mea Autorem juvant. Ego concludo, motum, cujus principium Natura definitur, vel maximè intelligi motum localem, & in eo discrimen inter Naturam & Artem, ut principiũ internũ & externũ, apparere, vel conspicuum omnium maximè esse. 2. mutilatè mea allegantur. omnia enim illa, quæ ego de motu locali, ut communissimo Naturæ effectu, dixi, ad principium internum refero. Ita habent mea l. d.* Jam verò per motum localem ars maximè distinguitur â natura, cum communissimus sit, & maximè proprius rebus naturalibus, omniumq; manifestissimè sensum incurrat; *in quo Natura principium est (N. B.) cùm activum, tùm passivum, non autem Ars in motu artefactorum.* Et Aristoteles applicans hæc ad speciem, lib. 1. de cœl. c. 2. t. 5. definitionem naturæ l. 2. Phys. propositam ad motum localem accommodat, omnia corpora naturalia, inquiens, & magnitudines secundum se mobiles esse dicimus secundùm locũ. *Et addit; Naturã enim, principium motus ipsis ineſſe dicimus. Hæc ibi. Sensus ergo meorum dictorum ab Autore allatorum est: Natura est principium movendi vel maximè in illa motus specie, quæ communissima, sensibusq; notissima. Ut sic liquidum sit, neq; Majori, neq; Minori Autoris propositioni quidquam ex meis accedere, ut utriq; potius detrahant, omneq; robur demant.*

§. 25. Atq; ex dictis tandẽ patet, quid ad duo argumenta, quæ ex meis Autor fabricare conatus fuit, respondendum sit. Ita p. 116. 117. Unde (*ex ultimis verbis meis modò recitatis*) argumentum: qui motus

incurrit in sensum, per hunc Aristoteles naturam distinguit ab arte. Motus pro actu secundo sumtus incurrit in sensum. Ergò per motum pro actu secundo sumtum Aristoteles naturam distinguit ab arte. Qui motus non incurrit in sensus, per hunc Aristoteles naturam non distinguit ab arte. Motus pro actu primo sumtus non incurrit in sensus. Ergo per motum pro actu primo sumtum Aristoteles naturam non distinguit ab arte. *Ad utrumq; hunc syllogismum modò responsum fuit. Properandum est ad alia.*

§. 26. *Hactenus prima ratio, primumq; argumentum, quò Autor probavit, explicationem meam esse contra Aristotelem, pluribus examinatum fuit; alterum nunc considerandum venit. Ita autem illud proponit* p. 117. Deinde, Natura etiam ab essentiâ differt hoc ipso, quod connotet respectum ad operationes. Hinc argumentum: Quicquid in propriâ suâ ratione respectum ad operationes involvit, id per nudam potentiam operandi explicandum non est. Natura in propriâ suâ ratione respectum ad operationes involvit. Ergò natura per nudam potentiam operandi explicanda non est.

§. 27. *Ast Resp. Hoc argumentum quî erit pro Aristotele, cùm ab ipsius fontibus sit alienissimum? Et Majorem & Minorem propositionẽ ignorat Aristotelis Physica. Quod ut constet, noto 1. homonymiam vocis* Naturæ; *potest enim ea, quantum ad præsens, dupliciter accipi; 1. latè, prout recurrit cum essentia, ut cum dicimus, hanc esse rei naturã, hanc esse rei essentiam, &c. sic dicimus quoq; essentiam Divinã, & Naturam Divinam, & hæc est acceptio vocis Metaphysica; 2. sumitur strictiùs, pro principio interno movendi in rebus naturalibus, & naturale pro eo, quod habet in se internam propensionem ad recipiendum motũ; vid.* Zabarel. lib. de N. S. Const. c. 3. col. 8. & lib. de Nat. cap. 4. col. 237. *Nunc nego, quòd Natura, voce, ut patet,* Φυσικῶς & Ἀριστοτελικῶς *acceptâ, connotet respectum ad operationes. Falsum hoc est in physica Aristotelis. Natura Aristoteli in hac doctrina est principium movendi & quiescendi in rebus naturalibus. Quin imò 2. nõ perpetuũ esse illud discrimen, & essentiam æquè pro fonte operationum haberi, ac naturam, & parem utriusq; rationem esse, Autor ipse largitur. Ita enim ille* sup. ca. 3. p. 81. actus primus notat rei essentiam, à qua operatio prodit. *Et juxta hanc vocis acceptionem similiter nego Minorem, Majori propositione limitatâ hoc modò:* quidquid in sua ratione *primò*

mò respectum ad operationes *actuales* involvit, illud per nudam potentiam operandi explicandum non est; *nego, inquam, Minorē; Natura enim isto significatu primò notat principium operandi, non causam actualium operationum, id quod multis ostendi posset.*

§. 28. *Tertium & ultimum Autoris pro Aristotele argumentum videamus. Ita illud proponit* p. 117. Tertiò: ex oppositio etiam motus intelligitur, non ipsam mobilitatem hîc stare posse. Ille motus intelligendus est, qui ordinatur ad quietem. Sed motus pro actu secundo sumtus ordinatur ad quietem. Ergò hic intelligendus. *Resp. 1. Argumentum laborat falsa hypothesi. Non est alius motus, nisi pro actu secundo, ut §. 21. dictum. Ut h. m. ducendum sit argumentum: Quilibet motus ordinatur ad quietem: Er. quilibet motus in definitione Naturæ intelligendus est. 2. Ita vox κινεῖσθαι accipienda est in definitione illa, uti accipi permittitur à voce ἀρχῆς sive principii. Nō igitur vox motus hic urgeri potest, sed hæc phrasis, ἀρχὴ τοῦ κινεῖσθαι, urgenda est. ἀρχὴ τοῦ κινεῖσθαι primò non indigitat motum pro actu secundo, sed dicit potentiam movendi. Reliqua petantur ex responsionibus suprà datis, siquidem hoc argumentum cum illo, quod §. 18. propositum, & §. 21. 22. 23. dissolutum fuit, coincidit.*

§. 29. *Autor postquam tribus argumentis probare instituit, sententiam meam esse contra Aristotelem, nunc ostendere conatur, eandem esse contra veritatem. Ita insit* p. 117. seq. Contra veritatem etiam loquitur Autor. In explicatione potentiæ movendi & quiescendi eò progreditur, ut cum Connimbricensibus dicat, *cœlum & stellas non ad motum duntaxat, sed etiam ad quietem suopte ingeniò inclinari, licèt posito eo, qui nunc est, rerum ordine, non nisi miraculo quieturum sit.* Ineptissima hæc sententia est, & pessima. Argumentor: Cujuscunq; quies planè miraculosa est, id nullam potentiam naturalem ad quietem habet. Solis & aliarum stellarum quies planè miraculosa est. Ergò Sol & aliæ stellæ nullam potentiam naturalem ad quietem habent. Major patet, quia miracula sunt supra potentiam naturalem, non verò juxta eam. Minorem è Scripturâ novit Autor. *Hæc ille.*

§. 30. *Resp. Minimè ineptа aut mala mea est sententia, sed verè philosophica, in rectа ratione fundata; ineptum verò argumentum, quod contra eam affertur. Noto 1. non manere Autorem in thesi, dum mutat phrasin. Hæc est mea thesis*; in cœlestibus est potentia quiescendi: *ratio, quia in illis est Natura; Autor concludit*, in cœlestibus non esse potentiā ad quietē. *Videt autem, distincta esse*, habere potentiam

quiescédi, et, habere potentiã ad quietẽ; vel maximè, quòd posterius ambiguitatẽ involvat, nec eundẽ omninò cõceptũ gignat. Verùm 2. utrovis modò accipias terminũ majorem in propositione, nego eã. Sanè quod actus aliquis est miraculosus in aliqua re sive subjecto, non impedit, idẽ secundum se habere ejusmodi potentiam, quæ aliàs naturaliter ad talem actum ordinatur; vel, idem ad talem actum habere naturalem potentiam, quamvis naturaliter non obtineatur. Sic receptio visus, auditus, loquelæ est miraculosa in illis, quos Historia Evangelica describit, & tamen illi habuerunt naturalem videndi, audiendi loquendiq; potentiam, quia habuerunt animam, quæ ipsa potentiam videndi, audiendi, loquendi formaliter includit; quin & ad visum, auditumq; recipiendũ, naturalem potentiam habuerunt. Actus extraordinarius in re nihil officit naturali ejus potentiæ. 3. Major propositio non probatur per illa, quæ probationis locô adscripta sunt. Verum est; Miracula sunt supra potentiam naturalem sive naturaliter agentem; sequiturne inde; Ergo id, quod miraculosè quiescit, non habet naturalem potentiam quiescendi? Minimè sequitur; sicut nec sequitur, Ergo ille, qui miraculosè accipit visum, non habet naturalem potentiam videndi &c.

§. 31. *Aliter quoq; posse formari argumentum* Autor ait, h. nimirum m. Ad quodcunq; Sol suopte ingeniô inclinat, id soli naturale est. Sed ad quietem Sol suopte ingeniô inclinat. Er. quies Soli naturalis est. *Resp. hoc argumentum non ex meis, sed ex Dd. Connimbr. verbis modò ex* Disp. meæ 8. §. 17. *allatis formatum est. Ubi quãvis rẽ ipsam teneã, & sententiã Connimbricensium probẽ, verba tamen, quibus ea declarata est, cũ insolentioria sint, minimè probo. Quid. quid autẽ ejus sit, dico ad argumẽti Majorem propositionẽ 1. Ad quod Sol suapte naturâ inclinat, id soli naturale est secundum quod ad id inclinat; & sic conceditur illatũ. Ad quietem enim suopte ingeniô inclinare, est potentiã movendi in se habere. Ista ergo phrasis est reducẽda ad principalẽ thesin, & ad primos fõtes, ad illosq; cõformãda. 2. Ad quod Sol suopte ingeniô inclinat, ejus actus vel actualitas est Soli naturalis, resp. si naturaliter actum illũ habet, vel obtinet. Si vero naturaliter non habet aut obtinet actũ, nec poterit ille eidẽ naturalis esse. Interim tamen, quãvis Sol non habeat naturaliter actualem quietem, ad eam tamen recipiendam potest naturalem propensionem habere & retinere, nec obstat, quòd propensio illa ad actum naturaliter non perveniat. Neq; enim aptitudinis actus in quavis re est necessarius.*

§. 32. De-

§. 32. *Deinde ad Minorem quoq; Syllogismi propositionem respondendum est. Illa aut loquitur de quiete Solis, quæ ex naturali propendeat causa, aut de tali, quæ supernaturaliter ei insit, cujusmodi est statio Solis, quam Scriptura S. describit. Si posteriori, ut videtur, accipiatur modo, ea negatur. Tali autem modo Minorem propositionem ab ipso fuisse intentam, ex sequentibus videre est. Quando enim posui ego in* Disp. 10. §. 19. quòd non quiescat Cœlum, inferioris mundi salutem in causa esse; interim quin habeat principium quietis, (*adeoq; potentiam movendi*) negari non posse; *excipit ille* p. 118. omninò non frustrà movetur Sol, sed ob finem certum. At principium quietis, si naturale est, statio etiam naturalis fuit. Aut ergo mutanda sententia, aut abneganda Scriptura. *Resp.: principium quietis si naturale est, quies naturalis est; recte. Principiũ verò illius quietis sive stationis in Sole non fuit naturale sed fuit supernaturale. Non, inquam, propriâ & & insitâ vi Sol stetit, sed à principio superiori ipsi statio injuncta fuit. Statio illa Solis non est quies ejusmodi, cujus principium Aristoteles dicit esse Naturam, & cujus respectu potentiam inditam esse rebus naturalibus asserimus. Aristoteles loquitur de quiete naturali, & de interno quiescendi principio, quò res suapte vi quiescere potest.*

§. 33. *Atq; sic nihil contra fidem, ut Autor temerè scribit, defenditur. Et quî ista assertio erit contra fidem, cum alteram, de potentia movendi in terra, contra fidem esse, nullibi Autor proclamet, cum tamen Scriptura terram in æternum stare attestetur. Imò similiter dicere possumus de corruptibilitate cœli, cœlum naturâ suâ inclinare ad corruptionem. Argumenteris jam; Ad quod cœlum sua naturâ inclinat, id cœlo est naturale. Atqui ad corruptionem cœlum sua naturâ inclinat. Er. &c. Resp. ad Majorem, id cœlo est naturale, si habet vel sustinet illud. Similiter: Ad quod terra habet naturalem inclinationem, id eidem naturale est, nimirum si habet illud. Ac proinde hæ propositiones: Cœlum habet naturalem inclinationem ad corruptionem; Sol habet naturalem propensionem ad quietem; terra habet naturalem propensionem ad motum; & similes; in idem recidunt, & pari passu ambulant. In illis autem inclinatio intelligenda & exponenda de prima & radicali, non de proxima potentia, ut alibi monitum. Et quamvis res illæ non sustineant actum, retinent tamen potentiam. In verbis, sæpiùs Autore monente, simus faciles, quando constat de re.*

§. 34. *Pergit Autor, & dicit*, p. 119. *me motum excludere,*

&

& non excludere. *Pergitq;*. Dicit, Aristotelem definitione suâ non tribuere Naturæ motum & quietem primò. Tribuat modò, sive primo, sive secundo. Adhuc ergo de actu explicanda sunt definitionis verba, & adhuc Interpretum manent dubia. An scilicet natura in cœlo sit, in quo non est quies? An natura sit in terrâ, in quâ non est motus?

§. 35. *At contrà; 1. Quî motum ego excludam & non excludam? Ego dico cum Aristotele, Naturam esse principium movendi in omnibus rebus naturalibus, quamvis non omnes moveantur actu. Er. motum excludo & non excludo? Dico, animam vegetativam esse principium generandi in omnibus viventibus, quamvis non omnia viventia generent actu; ergo generationẽ excludo, & nõ excludo? &c. 2. Dicta rectè intelligat Autor. Intelligat, quid vox* primò *significet in Scholis Aristotelicis. Nimirum Aristoteles non tribuit Naturæ primò i.e. immediatè motũ. cum omnes res, antequàm actu moveantur, potentiam movendi in se habeant, & actus potentiam præsupponat. 3. De actu explicanda esse definitionis verba, Autor non probavit, nec probabit. Interea consulat, Cl.* Scheibleri Topic. ca. 30. num. 156. p. 776. D. Finckii p. m. Sched. par. 2. Sched. 48. p. 254. *Porrò 4. Dubia Autorũ non mutant substantiã dogmatum, nec sensum dictorum. Deniq; 5. quæro similiter, an anima sit in homine, qui non generat, qui non videt, qui non loquitur; an ratio sit in homine, qui non discurrit, qui non utitur ratione? Quî negaverit id Autor? Quî igitur negaverit, in Cœlo & Terrâ esse naturam, quamvis illud non quiescat, & hæc non moveatur?*

§. 36. *Nunc scribit Autor, quòd coner ego augere dubia, quando scribo*: Mirum certè est, quod ii solùm in cœlo & terrâ difficultatem quærunt. Quâ carentiam enim motus non solùm terra non movetur, verùm & alia corpora multa, in locis suis naturalibus subsistentia, immota manent. Prima & simplicia spectemus corpora; certè aër sibi & potestati suæ relictus, ut & elementũ ignis suis è locis non moventur; spectemus lapides, metalla, aliaq; mineralia, & corpora subterranea omnia, quæ in suis sedibus & habitaculis immota subsistunt, an in illis natura non erit principium motus, sed tantùm quietis? Quâ perpetuitatem motus, aquas fluviales contemplemur; aspiciamus Rhenum, Danubium, Albim &c. in hisce fluviis aquæ in perpetuo sunt motu. Ergò in illis natura non erit principium quietis? *Hæc ego in* Theor. C. N. Disputat. 10. §. 19.

§. 36. *In-*

§. 37. *Insit Autor*, p. 119. 120. Ita Peripateticis dubia auget Autor, de quibus viderint ipsi. Nos argumentamur: Quicquid natura secundò habet, id etiam habet. Motum & quietem natura secundò habet. Ergò etiam habet. Ergò adhuc non sola mobilitas, sed motus ipse concedendus terræ; non solum principium ad quietem, sed quies ipsa adsignanda Soli.

§. 38. *Nulla ego his meis creo dubia, sed dubia tollo. Ita nimirum argumentor: Si aliæ sunt res, præter terram, in Naturæ theatro, quæ non moventur actu, & tamen principium, adeoq; potentiam movendi habent, neq; mirum erit, terram non moveri actu, quidquid sit, quod principium movendi in se habeat. Item: Si aliæ sunt res in mundo, quæ non quiescunt actu, principium tamen quiescendi habent, nec mirum erit, cœlestia non quiescere actu, quidquid sit, quod principium quiescendi habeant. Utrumq; prius verum est; (quis enim principium movendi negaverit corporibus subterraneis? quis principium quiescendi negaverit aquis fluvialibus?) Er. & posterius.*

§. 39. *Ad argumentum resp. 1. quod supponat falsum. Falsum est, Naturam habere motum & quietem. Res naturales habent motum & quietem; Natura verò communicat. 2. Argumentum non concludit contra me. Argumentor similiter: quidquid anima secundò habet, vel dat, id etiam habet, vel dat. Atqui risum, discursum, & alios actus, anima dat secundò. Er. illos actûs etiam dat. Concedo sicut hoc, ita quoq; Autoris illatum. Sed hoc nihil derogat definitioni Naturæ, ejusq; sensui genuino. Aliud est, loqui de essentia & definitione animæ, aliud, loqui de illis, quæ anima dat rei viventi, cujus est anima. Multa dat anima, multos actûs edit in vivente, quæ certè ad definitionem ejus non spectant. Similiter se res habet cum Natura, & aliis similibus. Manet nihilominus, res naturales, quæ moventur, habere motum mediatè; & quæ quiescunt, habere quietem mediatè, i. e. mediante potentiâ movendi & quiescendi, quæ in ipsis est. 3. Jam concedit Autor id, contra quod hactenus militavit, statuendo, contra Aristotelem & contra veritatem esse, quòd verba in definitione Naturæ de potentia intelligenda esse statuerim. Superiùs quoq; multis argumentis probavit, non mobilitatem (potentiam movendi) sed motum pro actu secundo in definitione Naturæ esse intelligendum. Et* pag. antec. 119. *de quietis principio contra nos disputans, inquit;* adhuc ergo de actu explicanda sunt definitionis verba. *Hîc verò, h. e. in verbis* §. 37. *productis ita concludit:* Ergo adhuc non sola mobilitas, sed mo-

cui ipse concedendus terræ, non solum principium ad quietem, sed quies ipsa assignanda Soli. *Certè, quidquid non solum est assignandum alicui, id non omnino non est assignandum illi. Atqui principium movendi & quiescendi, adeoq; potentia movendi & quiescendi non sola est assignanda terræ & cœlo. Er. non omninò non assignanda eisdem, id quod est contra priora Autoris asserta. 4. Non sequitur: Natura secundò dat (loquamur cum Autore) motum, secundò dat quietem. Er. Natura motum & quitem dat omnibus rebus naturalibus. Er. etiã Terræ dat motũ, & Soli quietẽ. Sicut non sequitur: anima secundò dat risum, loquelam. Ergo risum, ergo loquelam dat omnibus hominibus. 5. Concedit Autor, potentiam movendi & quiescendi primò attinere Naturam, actum verò movendi & quiescendi, vel actualem motum & quietem secundò ad eam spectare; Concedat igitur, oportet, potentiam movendi & quiescendi, quæ primò in Natura spectatur, primò quoq; & ante omnia, in ejus definitione attendi debere, non vero actum movendi & quiescendi. Et cum actus cum potentia simul in definitione Naturæ locum habere non possit, h.e. utrumq; unà in Natura, ut definito, concipiñ possit, nec etiam motus, uti nec quies omnibus rebus naturalibus conveniant, Natura autem in omnibus rebus naturalibus sit, relinquitur, potentiam movendi & quiescendi in definitione Naturæ intelligendam esse, id quod ex Autoris concessione habemus.*

§. 40. *Hactenus Autoris rationes & argumenta, quibus meam explicationem oppugnavit, consideravimus, illisq; nihil virium inesse deprehendimus; considemnda in posterum ea, quæ ad meas rationes respondit. Ita incipit* p. 120. Rationes Autoris pro mobilitate, nullæ sunt. In inexplicabilem labyrinthum plurimos Interpretes lapsos esse ait, dum non intellexerint, Aristotelem per motum mobilitatem intellexisse. *Ubi moneo, Autorem non servare meam thesin, sed confundere mobilitatem, quæ rerum naturalium affectio est, cum potentia movendi ex parte Naturæ. Nec ullibi dixi ego, Aristotelem per motum mobilitatem intellexisse, nec ego rationes dedi pro mobilitate; sed ἀρχὴν τῆς κινεῖσθαι καὶ πρώτην primò de potentia accipiendam esse, rationibus probatum dedi. Ad totum complexum ego respicio, non ad unam solam vocem. Vid.* Theor. C. N. Disp. §. §. 12. *Nec enim Natura solùm principium mobilitatis est, sive ut res moveri possint, sed quoq; motivitatis, h.e. ut movere possint & agere. Est enim Natura principium activum & passivũ motus in rebus naturalibus.*

§. 41. *Ita autem probavi d. l.* (1.) quia Aristotelis fontes

ubi

ubi inspiciuntur, legitur, quod natura sit ἀρχὴ καὶ αἰτία τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν, qui Infinitivi Græci respondent Gerundiis Latinorum, ut proinde ad literam ita verba reddenda sint: Natura est principium movendi & quiescendi. Hæc autem phrasis, tam Græcè, quàm Latinè accepta, primò denotat potentiam, non actum. Sic principium loquendi, principium ridendi, ratiocinandi &c. primò de potentiâ intelliguntur. Similem igitur & hîc rationem esse putemus. *Quibus in verbis, probationis locò adductis, ad duo respici velim; 1. quòd de tota phrasi loquor*; hæc phrasis, *inquio*; 2. *quod adhibeo vocem* primò, *& phrasin illam primò de potentia sumendam esse dico.*

§. 42. *Respondet Autor seq. modò* p. 110. Verùm fontes si inspicimus, invenimus κίνησιν καὶ στάσιν. *Producitq; (1.) in hanc rem aliquot textûs, miraturq;, quod illa verba, quæ textu primò & secundo habentur, neglexerim; quin imò in tertio textu Aristotelem adhibere vocabulum ποιήσεως, quod actũ denotat, &c. ait. (2.) hunc formare syllogismum* p. 121. Quem sensum Aristoteles insinuat, is ab Aristotelicis captandus est. Sed motum ipsum, non mobilitatem tantùm, Aristoteles insinuat. Ergo motus ipse tenendus est.

§. 43. *Contrà 1. Non opus erat ista monere, siquidem omnia nobis satis nota erant. Ad principalem textum, qui hanc rem de professo exponit, & ad quem cæteri reducuntur, & cui alii multi in Libris Aristotelicis respondent, quemq; ipsa Naturæ indoles monstrat, respeximus. 2. Non juvant Autorem citati textus. Nec enim continent illi totam definitionem; aut, si continere dicas, illi quoq;, juxta præceptum Logicorum, de potentia intelligendi. Id quod omnium clarissimè & optimè perspicitur ex verbis è* text. 3. *citari solitis, quæ definitionem Naturæ continere asseveramus. Et confirmatur hæc res exinde, quod Aristoteles plurimis in locis hanc rem de potentia explicet, quodque ipsa lex Naturæ id monstret, præcipiat, injungat. Potentia præcedunt, actus sequuntur, ut mox pluribus dicetur. 3. Minor in syllogismo proposito, quamvis 1. non rectè subsumat sub Majori propositione; 2. nec aliàs legitimè se habeat, negatur. Ita debet subsumi:* Sed sensum de motu ipso Aristoteles insinuat *&c. Nec aliàs propositio illa rectè se habet. Ita enim debet constitui:* Sed motum ipsum, non mobilitatem Aristoteles insinuat; *Aut sic:* sed motum quoq;, non mobilititatem tantùm Aristoteles insinuat. *Rationem hujus rei ipse videt Autor.*

§. 44. *Pergit exceptionem formare his verbis* p. 121. sed inquias, tertiô autem textu formare Aristotelem definitionem Naturæ; illum ergo textum potissimum urgendum esse; & *respondet* p. 122. negando, *propterea, quod ego posuerim*, Philosophum more suo definitionem occultare, & contextui immiscere. E contextu ergo, *pergit*, judicandus Aristoteles, non ex una linea. *Resp. 1. Rectè*; *in* text. *3. non formatur, sive ponitur formalis definitio, sed ei implicatur, ut formaliter exinde sumi possit. 2. consentitq; totus contextus*; *Aristoteles omnia priùs dicta revocans ad textum tertium, eũ incipit:* Quæ cum ita sint, patet, naturam esse principiũ quoddã & causam movendi & quiescendi *&c. & eundem textum 3. finit his verbis*: Id igitur est Natura, quod dictum est; φύσις μὲν οὖν ἐστὶ τὸ ῥηθέν. *Ut sic manifestum sit, Philosophum* text. h. 3. *essentiam & quidditatem Naturæ manifestâsse.*

§. 45. *Nunc rationem meam taxat Dissertationis Autor, meq; honorificis excipit verbis. Non piget me, nec pudet verba ipsa, ut posuit is, adscribere. Ita habent* p. 122. Sed ad Autoris verba quid dicendum, qui persuasum sibi esse ait, non actum, sed potentiam quiescendi & movendi significari, quia Infinitivi Græci respondent Gerundiis Latinorum. O puerilem errorem! E Grammaticâ diluenda puerilis hæc objectio. Verba sunt hæc: Natura est ἀρχὴ καὶ αἰτία τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν. An frustrà particula & posita? Grammaticorum regula est: *Infinitivi cum articulis ponuntur pro Nomine.* Proverbium est: ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν. Redditur, ex visu (non, expotentiâ videndi) oritur amor. Plato ait: βέλτιόν ἐστι τὸ ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν, præstat injuriam pati quàm facere. Ita quoq; hoc loco, natura est ἀρχὴ ἢ κινεῖσθαι, per principium motus, non potentiæ ad motum, reddendum. Mitto puerilia. Nulla ergò est prima Autoris ratio.

§. 46. *Resp. Sed seipsum notat Autor, suamq; ignorantiam prodit. Dico I. Autor meâ discerpit & mutilatè proponit. Non ego ita rationem primam proposui*, in Naturæ definitione non actum, sed potentiam significari, quia Infinitivi Græci respondeant Gerundiis Latinorum; *non, inquam, sic ego*; *sed, præsupponens ego, Infinitivos Græcos respondere Gerundiis Latinorum, probavi, quia* Infinitivi Græci, & Gerundia Latina ita constructa cum voce ἀρχῆς, vel simili, primò designent potentiam. *Et id exemplis quoq;*

declа-

declaravi, quando dicimus animam principium loquendi & ratiocinandi in homine; &c.

§. 47. *II. Puerilem errorem notatum consideremus. Duo autem agit Autor; 1. regulam à me positam rejicit, & 2. aliam in ejus locum substituit. An puerilem in utroq; inscitiam Autor prodiderit, an vero virilem ἀκρίβειαν adhibuerit, charta hæc monstrabit. Quà primum; si puerilis est error, dicere,* Infinitivos Græcorum respondere Gerundiis Latinorũ, *puerilem errorẽ errárunt Viri in Græca Lingua humaniorib; literatura versatissimi. Ita* Plur. Rever. Dn. D. Wellerus Gram. Gr. p. 239. Infinitivis cum vel sine Articulis utuntur Græci pro Gerundiis & Supinis. Isocrat. ad Nicocl. *τὸ λέγειν ὡς δεῖ, τῆς φρενῶν σὺ μέγιστον σημεῖον ποιήμεθα; i. e. dicere ut decet, maximum sapiendi judicium facimus.* Golius Gram. Gr. p. 292. Gerundiorum loco Græci utuntur Infinitivis &c. *ut: οὐκ ἔστι καιρὸς τοῦ λέγειν. Non est tempus dicendi.* Gualterius Gram. Gr. p. m. 301. Articulus Genitivi Casus cum verbo Infinitivo exprimit Latinorum Gerundium in DI. *Idem, ibid. de Gerundiis in DO & DUM regulas format.* Frider. Sylburg. ad Gram. Clenard. p. m. 466. *item ponit regulam:* Infinitiva sæpè usurpantur pro Latinorum Gerundiis & Supinis. Conf. Rhenii Gram. Gr. Major par. 2. p. 280. *Alios, quos potenam producere, Autores plures mitto.*

§. 48. *Sed inquit Autor;* An frustrà particula τοῦ posita? *Respondet* Plur. Rever. Dn. D. Wellerus, *quòd* Græci utantur Infinitivis cum vel sine (*N.B.* sine) articulis ad Gerundia & Supina denotanda. *Respondet* Rhenius l. d. *sic:* pro Gerundiis & Supinis Græci Infinitivis utuntur, cum & sine Articulo præpositivo. *Et mox:* Infinitivi cum vel sine Articulo Genitivi Casus usurpantur pro Gerundiis in Di &c. *Et* Frider. Sylburg. l. d. *absolutè ponit regulam, nullius q; mentionem injicit Articuli;* Infinitiva, *inquit,* sæpè usurpantur pro Latinorum Gerundiis & Supinis.

§. 49. *Alteram, quam ille subjungit, regulam, ut non nego, sic eam non esse universalem, superiores regulæ ostendunt, & præterea sequentia docent. Legimus* Luc. 5. vers. 1. *sic:* τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, audiendi (*causâ*) *verbum Dei; non verò:* auditus *verbum DEI. Demosthenes:* περὶ τοῦ τιμωρήσασθαι τοὺς κακοὺς βουλεύεσθαι δεῖ, *i. e. de* puniendo *malos deliberandum est, non: de* punitione *malos. Alia congrua exempla cùm ex Sacris, tùm ex prophanis Scriptoribus vid. in*

Rhenji Gram. l. d. p. 281. *Quin denique legat Autor Orationem Isocratis ad Nicocl. ubi hæc inveniet verba:* αἰρῶ καλῶς τεθνάναι μᾶλλον, ἢ ζῆν αἰσχρῶς. *Ubi videt Infinitivos poni pro Nominibus, non obstante, quòd nullus adsit Articulus. Videt igitur & agnoscit, non præcisè Articulo id adscribendum esse, sed indoli istius Linguæ, quæ Infinitivis pro Nominibus uti consuevit.*

§. 50. *Exempla, quæ Autor in Dissertatione sua posuit, mihi non adversantur. Nec enim ea ita sunt constructa, sicut in Aristotelis textu videmus. Videamus.* Aristoteles ait, τὴν φύσιν εἶναι ἀρχὴν (N.B. ἀρχὴν) τοῦ κινεῖσθαι, principium movendi, &c. Autor asserit: ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται τὸ ἐρᾶν, redditur, *inquit*, ex visu (non, ex potentia videndi) oritur amor. *Sed quis non videt, hanc egregiam esse cavillationem? Etenim* 1. *non est simile exemplum; in Aristotelis textu Infinitivus jungitur præcedenti Nomini substantivo, in Autoris exemplis nullum Nomen substantivum præcedit, cui Infinitivus, ad modum similem gignendum, jungatur. Ita par esset ratio, & idem prodiret modus; si dixisset:* ψυχή ἐστιν ἀρχὴ τοῦ ὁρᾶν καὶ ἐρᾶν, *anima est principium videndi & amandi; 2. Non reddo ego textum Aristotelicum, quantum ad vim vocum Grammaticam, per potentiam movendi, sed, per principium movendi; principium vero movendi primo potentiam importare & designare statuo.*

§. 51. *Atq; sic* 1. *ex Grammaticis diluenda fuit puerilis Autoris responsio. Aut igitur ille ab Autoribus citatis discat, sicut nec ego detrecto, hîc, sive hac in re à Grammaticis discere; aut cum illis transigat, & interea mea assertioni suam integritatem relinquat. Atq; sic* 2. *non est nulla prima mea ratio, quæ ne quidem tacta, multò minùs fracta fuit ab Autore. Manet ergo* 1. *hoc:* Infinitivi Græci juncti nominibus substantivis repræsentant Gerundia Latina in DI.; *sic:* ἡ ψυχὴ ἐστὶν ἀρχὴ τοῦ αἰσθάνεσθαι, ἀρχὴ τοῦ γελᾶν, τοῦ λαλεῖν, &c. *Anima est principium sentiendi, loquendi, ridendi, &c.* 2. Hæc phrasis & hic modus loquendi primò potentiam importat atq; designat, *est ergo sensus, ob animam homo potest sentire, ridere, loqui &c. Similis est ratio de Natura.*

§. 52. *Pergit Autor ad* 2. *meam rationem* p. 122. Sed nulla etiam est, *inquit*, secunda ratio. *Ea est hæc, in* d. Disp. 10. §. 12. probat id Naturæ institutum, quæ primò dat potentias, pòst actûs; de se omnis actus, qui ut complementum potentiæ se habet, potentiam præsupponit. *Ait ille* p. 123. Nulla est probatio. Non valet

à pri-

à prioritate naturæ ad prioritatem sensus. Per operationes, quæ in sensus incurrunt, describenda Aristoteli erat natura, ut ab arte hanc distingueret. Nihil ad rem hanc potentiæ, ut ut præcedant actus.

§. 53. *Ast isthæc est firmissima & efficacissima probatio. Quidquid Naturæ primò cõpetit, vel, secundùm quod primò rebus Naturalibus inest, id primò in ea concipitur, adeoq; in ejus conceptu quidditativo sumendum venit. Atqui potentia movendi Naturæ primò competit, vel, secundũ potentiã Naturæ rebus naturalibus primò inest. Er. &c. Ad hoc argumentum non respondetur per illa, quæ Autor proposuit. Imò falsa sunt ea omnia. Falsum est, per operationes, quæ in sensus incurrunt, Aristoteli describendam fuisse Naturam, ut superiùs patuit. Falsum est, nihil ad hanc rem attinere potentias, ut ut ea actûs præcedant. Falsa isthæc omnia. Nec quidquam eorum, quæ Autor dicit, probat; nec ea unquam probare poterit.*

§. 54. *Ut autem hæc res manifesta reddatur & difficultas tollatur, noto,* duo *esse* Naturæ momenta; primum & secundum. *Primum est positum* in potentia, *secundum* in actu. *Et hoc pactô instructa est universa Natura à Conditore suo, ut res naturales variis potentiis præditæ sint, quas demũ actus naturaliter insequi possint. Imo sive insequantur actus, sive nõ insequantur naturaliter & juxta Naturæ legẽ sive tenorem, potentiæ illæ in rebus naturalibus salvæ manent. En! Norma & cynosura hujus rei Natura est, hujus primum momentum non in actu, sed in potentia positum esse, qui non agnoscit, ille, omnes res naturales moveri, omnes quiescere, omnes generari, omnes corrumpi statuat, oportet, cũ omnes prima movendi & quiescendi, generandi item & corrumpendi principia habere, fateri cogatur.*

§. 55. *Tertiam meam rationem adoritur Autor. Ita illam* d. l. *proposui.* Idem haud obscurè ex definitione motus colligi videtur. Definitur enim actus entis in potentiâ, quat. in potentiâ, i. e. mobilis in qnantum mobile est. Sunt autem res naturales mobiles propter materiam. Cuncta, quæ, mutantur & moventur, materiam habent, in quocunq; genere motus id sit, l. 12. Phil. Pr. c. 2. t. 20. Sic l. 8. Phys. c. 4. t. 23. in gravibus & levibus dicitur esse causa, quâ ipsa apta sint aliquò moveri; eaq; mox exponitur, quòd sit materia, quæ est principium patiendi in rebus naturalibus. Estq; in eo materia potentia receptiva, & forma potentia effectiva

motus

motus in rebus naturalibus, & motus nihil aliud esse videtur, quàm id, quò potentia activa & passiva in actum deducuntur.

§. 56. *Excipit Autor.* p. 125. Contrarium prorsus definitio motus probat. Fiat argumentum. Quo modo definitur motus, eo etiam modo in definitione naturæ sumitur. Sed motus ut actum secundum notat, definitur. Ergo etiam ut actum secundum notat, in definitione naturæ sumitur. Major est Autoris. Minor partim è verbis, partim è doctrina Aristotelis constat. κίνησις ἐστὶν ἐντελέχεια ἢ δυνάμει ὄντος ἦ τοιοῦτον, i. e. Motus est actus entis in potentiâ, quatenus in potentiâ. Κίνησις quid notat? &c.

§. 57. *Ast velim, Autor mea diligenter intueatur. Dixi, idem haut obscurè (N. B.) ex definitione motus elucescere. In quo autem probationis vis posita sit, verba adposita monstrant. Nimirum 1. motus definitur per suum subjectum, quod est mobile; (est enim actus entis in potentia, i. e. mobilis, prout tale) 2. omne id, quod moveri potest, propter materiam moveri potest, quodq; movere potest, per formam id habet; est siquidem materia principium passivum, forma principium activum movendi. 3. Mobilis igitur conditio monstrat quòd Natura in eo, quod mobile est, sive moveri debet, requirat principiũ activum motus, & principium passivum ejus, quæ sunt duæ illæ Naturæ* lib. 2. Phys. c. 1. t. 10. & 12. *definitæ. Hinc 4. motus est exercitium & actus Naturæ, mobile verò est id, in quo exercitium illud peragitur & perficitur, ejusq; natura sive ratio in eo posita est, quòd in ipso potentia activa & passiva movendi in actum deducenda sit. Hinc fluit argumentum: Cujuscunq; potentiæ in actum deductio indigitatur in definitione motus, qui est Naturæ exercitium, ea potentia Naturam attinet, eamq; Naturæ ratio & essentia implicat. Atqui potentiæ activæ & passivæ in actum deductio indigitatur in definitione motus, qui exercitium est Naturæ, Er. &c.*

§. 58. *Autoris argumentum quod attinet,* 1. *in eo sunt quatuor termini. Medius terminus in majori propositione loquitur de definitione,* (quomodo definitur motus) *in Min. propositione de definiti acceptione,* (ut actum secundum denotat, definitur) *Im Propositiones in legitima structura syllogistica ponendæ:* Quomodo sumitur motus, quando definitur, ita quoq; in definitione Naturæ sumitur. Sed motus, quando definitur, sumitur, ut notat actum secundum. Er. ita quoq; in definitione Naturæ sumitur.

2. Neg.

2. *Neg. Majorem propositionem utrovis modò formatam, ut Autor temere dicat, eam meam esse; ego de* definitione motus *loquor, quæ in hoc est*: esse actum entis in potentia *&c. Autor de motus, ut* definiti, *acceptione. 3. Ita Autor potuisset & debuisset formare argumentum:* Quò modò definitio motus indigitat principium motus in definitione Naturæ intelligendum esse, eò procul omni dubiò in ea accipiendum est. Atqui definitio motus indigitat, principiū motus in definitione Naturæ de potentia intelligendū esse. *Tr. &c. Ita Majorem, & totum argumentum concedo. Fundamentum argumenti, & ratio Majoris est, quia in motu est exercitium Naturæ, ut anteà dixi. Subjectum autem motus (ut Sol, qui in orbem fertur, vivens, quod augmentatur &c.) illud est, in quo est potentia movendi, seu principium, quò id moveri potest. Potentia illa adscribitur Naturæ, quæ est ipsum illud movendi principium. Exercitium ergo & actus ille ex potentia illa fluit, quam Natura formaliter involvit, quæq; est de ejus essentia.*

§. 59. *Sequentia, quæ Autor* p. 114. *contra me proponit, omnia frustrà dicuntur, & nihil aliud efficiunt, quàm quòd ostendunt, Autorem hanc rem capere non posse. Videamus ea.* Autor suprà dicebat, *inquit*, in definitione Naturæ mobilitatem intelligendam esse. Dabat rationem, quia non habeatur κίνησις, sed ἀρχὴ τοῦ κινεῖσθαι. Ergò nunc non mobilitas intelligenda, sed motus, quia κίνησις definitur. Ἐντελέχεια notatne actum primum, sicut in definitione animæ? Falsissimum hoc. Imperfectus actus notatur, seu tendentia, progressio, successio. Unde in motu aliquid formæ adesse, & aliquid abesse, cum tendentiâ ulteriori, dicunt. Unde motum etiam affectionem successivam vocant, non permanentem. Ut prorsus falsam habeat explicationem Autor.

§. 60. *Quomodo* ἀρχὴ τοῦ κινεῖσθαι *sive* principium movendi *in definitione Naturæ accipiendum sit, & quid notet, non solum in* Theor. C.N. Disp. 10. *verùm in* hac Disp. *pluribus dictum fuit. Ut in propatulo sit, Autorem istà mihi minimè opponere, sed inania verba profundere.* 1. *Frustrà inconstantiæ me accusat, quòd priùs dixerim, per illa verba mobilitatem esse intelligendam, nunc verò velim, de motu eadem accipienda esse. Frustrà quærit, an actus in definitione motus significet actum primum, sicut in definitione animæ. Aliud est, loqui de* motu, *qui est actus, aliud, de* principio motus in mobili, *quod, quantum ad hoc, non est actus, vel, non dicit actum, sed potentiam*

movendi, eamq; partim activam, si formam, partim passivam, si materiam spectes. Sic augmentatio est actus augmentabilis, anima verò propterea non est actus ejusmodi, nec actum talem formaliter includit. Sic discursus est actus secundus, anima rationalis est principium discurrendi; quis autem velit dicere, actum secundum attinere ad essentiam animæ, adeoq; ipsam per actum secundum debere definiri? Sicut actus secundi sunt extra essentiam animæ, ita actus movendi & quiescendi extra essentiam Naturæ. Denique, sive perfectus, sive imperfectus actus in definitione motus intelligatur, id Autorem nihil juvat; nihilq; huc facit. Nihil quoq; ipsum juvant reliqua, planè impertinenter prolata, de quibus quid sentiam, in Notis ad Jacch. Inst. Phys. l. 3. c. 1. pluribus exposui. Tribus verbis: ea mihi non probantur. Nec ea sunt ad mentem Aristotelis dicta.

§. 61 Reliqua, quæ Autor subjungit p. 114. non solum me non tangunt, (neq; enim per illa respondet ad meam probationem, nec contra meam sententiam opponit,) verùm quoq; se non rectè habent. Præcipuè ultima verba planè sunt frustranea. Legat verba sua Autor, inquit. Hæc nimirum: motus nihil aliud esse videtur, quam id, quò potentia activa & passiva in actu deducuntur. Hæc ego. Addit ille ἐπίκρισιν, in actum deductio, inquiens, nonne ipsam notat motionem? Resp. verum est; Sed quæro; an non illa in actum deductio in mobili præsupponat potentiam recipiendi, & potentiam activam, à qua motus procedat? Omninò. Et hoc volo, quòd nimirum motus est consequens potentiæ utriusq;. Atq; huc facit argumentum meum sup. §. 37. propositum. Volo igitur, quòd definitio motus aliquid in se habeat, quod ad declarandam Naturæ definitionem faciat. Quod sic constare arbitror.

§. 62. Nunc ad 4. meam rationem respondet. Ita eam proposui in Disp. 10. §. 13. Eadem res patet ex aliis Aristotelis locis, quibus partim primò ad potentiam respicit, partim potentiam sine actu dari asserit. Inquit ille p. 125. Non his opus est. De hoc loco quæritur, ubi Naturam esse, ex operationibus patere ait: ubi Naturam arti motione & impetu contradistinguit. Hæc ille.

§. 63. Contrà I. Omninò his opus est; Aristoteles siquidem ex Aristotele explicandus est. Primò eum potentiam movendi & quiescendi respicere, adeoq; illam in definitione Naturæ intellectam velle, ex ipso ostendendum est. Facit huc, præter ea, quæ l. d. attuli, (1.) locus l. 2. Phys. t. 2. (quem quidem Autor pro se allegavit,) ubi sic ait: id, quod ab arte est, δδεμίαν ὁρμὴν ἔχει μεταβολῆς, h. e. artefactum nullam

nullã habet vim seu potentiam movendi, contrà verò naturalia habent ὁρμὴν i. e. inclinationem ad motum, &c. (2.) *Aristoteles Naturæ species per potentiam explicat. Materiam nuncupat naturam susceptivam,* l. 5. Phil. Prim. c. 4. t. 6. *primum susceptivum generationis,* l. 1 Ort. int. c. t. 24. *Formam principium motivum salutat,* l. 9. Phil. Prim. c. 8. t. 13. *Sic anima vegetativa, quæ est pars Naturæ, finitur generativa,* l. 2. de an. t. 49. *II. Nec hoc loco, ex quo Naturæ definitio desumitur, eam esse, ex operationibus patere Aristoteles ait, sed, Naturæ quidditatẽ insinuans, ejus existentiam præsupponit. Nec etiam sequitur; Natura cognoscitur ex operationibus, ex motu; Ergo per operationem definienda est. Sic, anima cognoscitur per operationes. Er. anima per eas definienda. III. Minimè per motionem Philosophus Naturam Arti contradistinguit, sed per internum movendi & quiescendi principium, ut supr. monstratum.*

§. 64. Ait porrò Autor, nullam esse in illo meo consequentiam: quædam non moventur, & tamen habent principium motus. Er. in Aristotelis definitione potentia ad motum intelligenda est. *Ast i. ego non sic procedo; sed sic:* Er. in Aristotelis definitione potentia movendi intelligenda est; *potentia enim ad motum est in mobili, potentia vero movẽdi, ut hæc spectatur, formaliter Naturæ est* 2. *Omninò bona est illa cõsequentia. Nec enim rationẽ negationis apposuit Autor. Nunc formo sic: Si principium motus in definitione Naturæ de actu movendi intelligendum, sequitur illa, quæ actu non moventur, principium illud movendi, adeoq; Naturam in se non habere. Quod cum dici non possit, relinquitur, definitionem Naturæ de potentia movendi esse intelligendam. Fundamentum consequentiæ est hoc, quia definitio Naturæ & corporis Naturalis debet omnibus corporibus competere. Similisq; ratio illius est consequentiæ, quam Autor non vult tolerare, ac est hujus: Quidam homines non loquuntur, non audiunt, & tamen habent potentiam loquendi, audiendi. Er. Animæ natura non in actu secundo est posita, sed in primo. Neget hanc consequentiam Autor!*

§. 65. Pergit Autor d. p. 125. Interim, illis quæ ordinarie moveri & quiescere non debent, prorsus negamus potentiam illam activam, aut actum primum. Argumentum repetimus in Institutionibus datum. Cuicunq; natura primum dedit motus actum, illi etiam dare laborat secundum. Sed non laborat terræ motus actum dare secundum. Ergò terræ etiam non dedit motus

tus actũ primũ. Aut: Cuicunq; natura primum dedit quietis actũ, illi etiam dare laborat secundum. Stellis non laborat quietis actum secundum dare. Ergò stellis etiam non dedit quietis actum primum. Major utriusque Syllogismi probatur. Primus actus propter secundum datus est, & hac ipsâ ratione primus dicitur, quia principium & causa secundi est. Frustrà ergò primus fingitur actus, ubi nunquam intendit natura secundum.

§. 66. *In utroq; syllogismo nego propositionem Majorem. Subsumo: Natura non laborat dare homini infœcundo actum secundum generandi, nec homini muto actum secundum loquendi. Er. homini infœcundo non dedit actum primum generationis, nec homini muto actum primum loquendi. Probatio Majoris nulla est. Quamvis enim verum sit, quòd actus primus sit causa secundi; non tamen in omnibus, in quibus est actus primus, in illis esse quoq; actum secundum consequitur. Nonne novit Autor Canones Philosophicos. 1.* à negatione actus secundi ad negationem actus primi nonvalet consequentia. *Ita Autor in* Defes. l. 1. c. 12. p. 292. 2. à positione actus primi ad positionem actus secundi non valet consequentia. *Ut proinde non, ubi actus primus est, ibi secundus quoq; sit, vel esse debeat.*

§. 67. *Deniq; meam 5. rationem examinat, quam his verbis proposui* d. Disp. §. 14. Accedit deniq; 5. quod res naturales plurimæ per vices mutantur & quiescunt, nunc in hoc, nunc in illo motus & mutationis genere. Hic certè ubi moventur, potentiâ quiescendi non distituuntur, sed illam latentè habent, & si quiescunt, potentiam movendi non amittunt, sed suspensam tenent, vel occultant, vel etiam movendi vis aliunde, quò minus ad actum procedat, impediri potest, non autem tolli. Si enim ea tollatur, ipsam naturam tolli necesse est.

§. 68. *Respondet Autor* p. 126. De his nulla est controversia. Istis negamus potentiam naturalem ad motum, quæ naturaliter & ordinariè moveri non debent. Quo fine enim haberent potentiam? Istis negamus potentiam naturalem ad quietem, quæ naturaliter & ordinariè quiescere non debent. Cui bono enim illa potentia? *Resp. Qui illis denegat potentiam movendi & quiescendi, quæ naturaliter & ordinariè moveri & quiescere non debent, non verò illis, quæ naturaliter moveri & quiescere debent, cum tamen ratio ab Autore adjuncta æquè hîc, ac ibi valeat? De omnibus enim, in quibus deficit actus, quæri potest, quo fine ea habeant potenti-*

am

am. Cui bono potentia loquendi in mutis, potentia audiendi in surdi, potentia generandi in infœcundis & sterilibus? Ut proinde responsio Autoris nulla sit, & ratio mea salva maneat.

§. 69. *Hisce peractis considerandа venit secunda probatio syllogismi principalis, ab Autore propositi, & supr. §. 3. adscripti. Ita ille in* Disser. p. 101. Quô pactô tandem etiam non amplius indigebimus canone illo Logico. Conditio est: *In definitione nil desit, nil superfit.* Ratio conditionis est, quia rem debet ponere, explicare, & menti repræsentare, ut est: non autem aliquid rei, quod habet detrahere, aut aliquid, quod non habet, addere. At data definitio motum & quietem naturæ adscribit, cum tamen dentur etiam, quæ carent quiete. Si dicant, Copulativam in disjunctivam esse mutandam, nihil nisi definitionem vitiosam esse dicunt. Si ad accommodam confugiunt applicationem, malè Aristotelem sibi accommodant, & se seAristoteli. Contrà, eadem definitio naturæ detrahit quantitatem, figuram, qualitatem, affectionesq; similes, cum tamen nulla detur res naturalis, quæ careat hisce. Si dicant, potissimam affectionem in naturæ definitione fuisse spectatam; dicimus nos, longè potiorem affectionem esse qualitatem, quàm motum. Examinent definitionem motus, & manus dabunt victas.

§. 70. *Ad hanc probationem respondi in* Theor. C. N. Disp. 10. §. 47. 48. *gemino modô. Utramq; responsionem produxit Autor in* Disser. p. 105. seq. *Respondi ad primam partẽ duo §. 47. sic:* 1. Aristoteles definitione suâ non tribuit naturæ motum & quietem primò, verùm dicit, quòd sit internũ principiũ movendi & quiescendi, uti satis clarè in superioribus expositum fuit. Naturam autem esse internum movendi & quiescendi principium, Clarissimus Vir nobis non negaverit. Aut si natura negatur esse internum movendi & quiescendi principium, detur aliud, vel alia res, quæ sit movendi & quiescendi principium in rebus naturalibus. 2. Potiùs, an definitio à Clarissimo Viro data ad conditionem illam quadret, dubium videtur, cum naturæ tribuat talia, quæ in omnibus corporibus naturalibus non reperiuntur. Dicit enim in definitione naturæ, quòd ipsa sit causa, quâ corpora naturalia suas actiones & passiones habeant. Jam verò dantur corpora naturalia, quæ carent passionibus, imò in quæ nullæ passiones cadunt, e. g. in corpora cœlestia, sive in cœlum & stellas nullæ

cadunt passiones, nec est aliquod corpus, quod in cœlum agat, ipsique passionem inferat. Qua in re videtur, ac si memorata definitionis verba vel disjunctivè explicanda veniant, vel eô modô, quô Averroes & Thomas Aristotelis definitionem reddiderunt vel exposuerunt, nimirum, quòd natura sit causa actionum & passionum in illis, quæ agunt & patiuntur; actionis autem solius in illis, quæ tantùm agunt; & passionis solius in illis, quæ tantum patiuntur; qui tamen utetq; modus Clariss. Viro in definitione Aristotelis non probatur. Sed interpretatio sit penes Autorem.

§. 71. *Excipit Autor Dissertationis duo.* Ad *primum dicit.* p. 126. Nihil ad rem. Ut natura in genere sumta non est principium generationis, non est principium augmentationis: ita quoque ea ipsa in genere sumta non est principium motus, non est principium quietis. Particulares tamen naturæ, nunc generationis, nunc augmentationis, nunc motus, nunc quietis, causæ sunt. *Resp. Cogitet* Autor, *quod in* Instit. Phys. l. 1. c. 1. p. 23. causas corporis naturalis *definiat*, quæ in esse illius influunt; & materiam primam, quæ sit substantia generalissima ad constitutionem corporis naturalis primi concurrens, ibid. c. 2. q. 3. p. 61. *Certe causa in genere non est principium ullius rei naturalis in particulari, sed causæ omnes in communi causæ notione conveniunt. Simili ratione particulares naturæ in communi Naturæ ratione conveniunt. Sic forma cœli est principium movendi in cœlo; sic anima sensitiva est principium locomotivum in animalibus. Confundit igitur Autor motum in genere cum motu in specie, adeoq; & principium motus in genere & in specie. Verum est, aliqua natura est principium generationis, aliqua principium augmentationis, aliqua principium motus localis, &c. hæc autem omnia referuntur ad communem rationem Naturæ, & sub ea comprehenduntur.*

§. 72. Ad *alterum, quod definitionem Naturæ, ab Autore in Instit. Physicis propositam, concernit, excipit, & inquit* p. 127. Non tribuit Naturæ talia definitio nostra, quæ in omnibus corporibus naturalibus non reperiuntur, *&c. Verùm cum Disputationes & tractationes non sint confundendæ, ideò hic in Aristotelica Naturæ definitione defendenda tantùm occupabor, novam Autoris definitionem alio die, σὺν θεῷ, examinaturus, & argumentatiunculas ejus refutaturus.*

§. 73. *Respon-*

§. 73. *Respondè 2. ad alteram probationis partem in §. 48. duo, his verbis*: 1. nego, quod naturæ definitio detrahat rebus naturalibus quantitatem & alias, quibus gaudent, affectiones, quippe quæ teverâ in illis dantur, suasq; in illis causas, ex quibus proficiscuntur, habent. 2. quantitatem, figuram & qualitatem (aliàs figura sub qualitate, tanquam species sub genere, continetur) item locum &c. à natura, in quantum quidem natura est, fluere, negamus. Nec evincit id ratio addita, quod nimirum nulla res naturalis istis careat. Nec enim procedit collectio: quidquid in rebus naturalibus invenitur, & quô istæ non carent, illud à natura, ut principio primo & adæquato fluit, vel ejus causa est natura. Potest siquidem quid dari in rebus naturalibus, ut tamen à naturâ, in ratione naturæ, seu, in quantum natura est, non fluat. Sic, ut alia mittamus, & in præsente negotio maneamus, e.g. quantitas sequitur materiam præcisè in ratione materiæ, non in ratione naturæ; estque & manet quantitas individuus materiæ comes, præcisô ab ea officiô & munere illô, quô ut natura fungitur. Ita docent Scholæ Metaphysicæ, quæ consulantur; Ita ipse Vir Clariss. in Inst. Phys. Procem. p. 4. ad Præc. 1. & q. 6. p. 17. lin. 12. Similiter locus, qui rebus naturalibus competit, naturæ ut causæ internæ non potest adscribi, cum 1. sit affectio externa rerum naturalium, ut vulgò putatur; nobis verò ne quidem affectio est; 2. cum non omnibus rebus naturalibus competat, ut s. l. ostendetur; imò 3. naturam, ut natura est, non consequatur. &c. Qualitatem affectionem corporis naturalis esse, operosâ indiget probatione & deductione. Nos hactenus credere id non potuimus. Quin etiamsi qualitas esset in numero & ordine affectionum physicarum, eam ad naturam, ut primum & adæquatum principium referendam esse, quomodo nobis persuaderi possit, hactenus non videmus. Nec necessum est, ut omnes, quæ sunt in re aliqua, affectiones, unam habeant causam, propter quam ei insint, & unam rationem, ex qua deducantur & ostendantur, cum possint ex diversis, uti accuratior Philosophia monstrat, & Clarissimo isti Viro haut ignotum est.

§. 74. *Excipit Autor in* Disser. p. 129. Deest omninò aliquid communi Naturæ definitioni. A naturâ corpora naturalia habent esse naturale. Unde Autor etiam corpus naturale desiit, substantiam, in quâ natura per se ineat. A naturâ etiam habens

bent affectiones naturales, actiones naturales, passiones naturales. Uno verbo, omnia naturalia proximè à naturâ sunt. Nihil de his in definitione vulgata, præterquam quòd motum urgeat atque quietem. Peccat ergò definitio, quæ aliquid rei, quod habet, detrahit. *Hæc ille.*

§. 75. *Resp. 1. Rectè ait* Autor, *quod* à Natura res naturales habeant esse naturale; *Sed quid inde concludit, quod præsenti ipsius inserviat negotio? Ego cum aliis ex Aristotele definio* corpus naturale per substantiam, in qua natura per se inest; *quid inde concludit* Autor? *Definitionem hanc reddo & expono per hanc*, Natura est substãtia, in qua principium movendi & quiescendi per se inest, *in* d. Disp. 10. §. 52. *Quid juvant* Autorem *hæc nostra? 2. Minùs verò rectè ait* Autor, *quòd* res naturales à natura habeant affectiones naturales, actiones & passiones naturales, *loquendo (1.) de omnibus affectionibus, actionibus & passionibus, (2.) intelligendo, quòd à Natura habeant, adeoq; ipsa det & conferat proximè &c. Non omnia naturalia proximè à Naturâ sunt.* Audiat Autor *seipsum.* Asserit enim, *quòd quantitas sit proximè à materia*, Inst. Phys. Proœm. p. 4. & l. 3. c. 3. q. 1. p. 470. & q. 2. p. 473. *it.* l. 4. c. 6. ad præc. 1. p. 706. *in* Differ. de princ. ca. 2. p. 49. *qualitas est à formâ*; Instit. Phys. ll. jam dd. *Motus est à formâ sive à Natura*, Inst. Ph. l. 4. c. ul. q. 13. p. 779. *locus est à materia*, Inst. Phys. l. 3. c. 3. c. 3. p. 477. Differt. de princ. p. 49. *Alia taceo. Non igitur omnia naturalia proximè & primò sunt à Natura.*

§. 76. *Sed esto! 3. an verò omnia, quæ à Natura sunt, ad ejus definitionem pertinent? Certè si omnia, quæ Natura dat, in ejus definitionem venire debent, non definitio erit, sed descriptio, & multarum rerum coacervatio. Sic ab anima res viventes habent proprietates & operationes, seu actiones. Er. illæ in animæ definitionem venire debeat, vel, per illas anima definiri debet? Sanè sicut plurima ab anima procedunt, & tamen in ejus definitionem non veniunt, nec venire possunt aut debent, ita quoq; multa à Natura procedere cogitemus, quæ ejus definitioni immiscenda non sunt. Non ergo mirabitur Autor, quòd nos nihil de illis in vulgata (scilicet Autori omnia Aristotelica sunt vulgata!) definitione posuimus. 4. Nec definitio Naturæ, eidem detrahit affectiones, actiones, passiones; imò nec affectiones, actiones aut passiones sunt Naturæ propriæ, sed rebus naturalibus competunt. Et quæ, quæso, consequentia; in Naturæ definitione non fit mentio affectionum*, cor-

corporis naturalis, non actionum, non passionum; Er. definitio Naturæ detrahit (vel sibi, vel corpori naturali) affectiones naturales? Nulla. Audiamus similes consequentias: in definitione elementi non fit mentio qualitatum primarum. Er. ejus definitio detrahit ipsi qualitates primas; in definitione animæ non exprimuntur proprietates & operationes viventis. Er. ejus definitio detrahit ipsi (aut corpori viventi) easdē. Quid de his sentit Autor? Denique 5. Peccat illa definitio, quæ rei alicujus, quod ad ejus essentiam pertinet, detrahit. Id quod non facit Naturæ ex Aristotelis textu depromta definitio. Affectiones, actiones & passiones rerum naturalium non pertinent ad essentiam Naturæ, uti nec ad essentiam corporis naturalis.

§. 77. *Quinq; nunc Autor ordine proponit, & ex responsione meæ 2. excipit. Potissima & huc spectantia videamus 1. Dixi,* definitonem Naturæ non detrahere rebus naturalibus quantitatem & alias, quibus gaudent, affectiones, quippe quæ revera in illis dantur, suasq; in illis causas, à quibus proficiscuntur, habent. *Excipit Autor* p. 129. Verùm, detrahuntur illa, eo ipso, quo non ponuntur. Canon est: *In definitione nil desit.* Desunt autem hîc multa, quæ tamen natura æquè dat ac motum. Definitio est imperfecta, quia non habet ea, quæ dat natura rebus naturalibus. Non saltem motum naturalem habemus, sed etiam naturalia corpora, naturales qualitates, quantitates; &c. alia. Unde hæc? Quatenus talia à naturâ. Desunt ergò non pauca illi Naturæ definitioni.

§. 78. *Resp.* (1.) *frustrà Autor ad ista mea verba excipit, cum idem, quod ego, statuat, ceu ex modò dictis constat, nimirum quantitatem, qualitatem, locum, motum &c. esse à determinatis causis proximis;* vid. §. antec. 75. (2.) *Detrahitur aliquid rei, eò ipso, quo non ponitur, ubi poni debet.* (3.) *Non solùm falsum, sed & planè absonum est, affectiones, actiones, passionesq; detrahi Naturæ, eò ipso, quò non ponuntur in definitione, ex dictis.* (4.) *Canonem allegatum quod attinet, ille ita intelligendus:* In definitione nihil desit eorum, quæ ad essentiam rei definiendæ, primumq; ejus cōceptum pertinent. *Affectiones verò rerum naturalium, item actiones & passiones earundem non spectant ad essentiam Naturæ, non exprimunt primum ejus cōceptum. Id enim quod posterius Naturâ, quòd à Natura fluit, quomodo ad essentiam Naturæ spectabit? Ut proinde nulla insit vis consequentiæ argumento, quod repetit, nimirum: Quæcunq; definitio non habet sive exprimit ea, quæ res, quæ definitur, dat, illa definitio est imper-*

fecta. Etenim 1. neg: Major propositio, ex dictis. 2. Minor supponit falsum; Natura siquidem proximè non dat affectiones omnes; quædam enim aliis causis adscribendæ, sicut ex §. 75. patet, & s. l. pluribus monstrabitur.

79. Reliqua Autoris verba planè sunt frustranea. 1. Non solùm enim verum est, nos non saltem habere naturalem motum, sed etiam naturalia corpora; verùm quoq; hoc illud præsupponit. Non enim est motus naturalis nisi corporum naturalium. Sed quid juvat hoc Autorem? De primo principio movendi interno, quo Natura ab arte discernitur, loquitur textus Aristotelicus. 2. Res naturales habere naturales quantitates & qualitates, benè conceditur; illas autem à Naturâ esse, ut h. l. sumitur & definitur, nego. Pluribus modis vox naturæ accipitur, ut notavi Theor. C. N. Disp. 10. §. 2. hoc locò strictim sumitur pro interno movendi & quiescendi principio. Ab hoc, ut tale est, nec quantitas, nec qualitas propriè profluit. 3. Nihil ergo deest Aristotelicæ Naturæ definitioni, quippe quæ definiti sui essentiam & quidditatem perfectè explicat. Definitum hic est Natura, pro principio motus & quietis sumta; hæc est acceptio vocis in textu Arist. l. 2. Physic. sic definitur per principium movendi & quiescendi in re naturali, cui primò & per se inest. Acceptionem ergo vocis respiciat, & consilium Aristotelis perpendat Autor.

§. 80. Dixi II. in 2. Resp. quantitatem, figuram, & qualitatem, itemq; locum à Natura, in quantum Natura est, non fluere. Excipit ille sic p. 130. Falsum hoc est. Argumentor: Omnis affectio naturalis à naturâ, in quantum natura est, fluit. Quantitas, figura, qualitas, & locus, sunt affectiones naturales. Ergò à naturâ, in quantum natura est, fluunt. Major patet, quia contradictio est, affectionem esse naturalem, & à naturâ non fluere. Minor per se constat.

§. 81. Resp. (1.) Maj. propositionem negando. Imò ipsum Autorem aliàs aliter de hac re statuere, §. 75. aperui. Imò multa sunt, quæ certâ naturalis appellatione gaudent, & tamen â natura, ut h. l. sumitur, non pendent. Sic corruptio, putredo &c. sunt naturales, & tamen à natura, juxta præsentem acceptionem, non fluunt. Majoris probatio nulla est; Vox siquidem naturæ & naturalis ibi aliter, ac fit l. 2. Phys. sumitur. (2.) Not. corpus, quod subjectum Physicæ, est, dupliciter posse spectari; 1. ut corpus est, & ex materia atq; forma, ut principiis intrinsecis constitutivis, constat; 2. uti naturale est, &

natu-

naturam, quæ est principium movendi in ipso, in se habet; de qua distinctione vid. Theor. C. N. Disp. 2. tot. *Hinc dico, corpus ut corpus quantum est, finitum est, localile est; ut naturale est, mobile est vel moveri potest.* (3.) *Reliqua, quæ Autor subjungit, cum partim ex dictis, partim ex propriis Autoris hypothesibus refutari possint, nec etiã directè huc spectent, (de affectionibus corporis naturalis, earumq; causis & principiis, ea disquirunt) hîc mitto, alio locô & tempore de illis disputaturus.*

§. 82. *Tertia sequitur Autoris probatio*, Disser. p. 102. Conditio est: *In definitione non sint* ταυτολογίαι. Ratio conditionis est, quia ut ubiq; tædiosum, crambem bis coctam apponere, ita vel maximè in definitionibus, quæ sint brevissimæ, absolutissimæ. Jam verba ista, *non secundum accidens*, idem esse quòd per se, ipsimet ajunt Interpretes. Tautologicè ergò unum idemque bis dicitur. Sic & verba principium & causa, à multis pro uno eodemq; habentur, quod iterum tautologiam sapit.

§. 83. *Respondi in* Theor. C. D. Disp. 10. §. 49. *h. m.* Nego, tautologias in definitione Aristotelis esse commissas. Nec sufficit, quod dicant Interpretes, vocabula quædam in definitione pro iisdem accipi, aut idem significare. Certè tautologia non ex Interpretibus, sed ex ipso Aristotelis sermone ostendenda erat. Primum quod attinet, (1.) τὸ per se, & τὸ non secundum accidens; ea Aristoteli inpræsentiarum idem denotare, non omnes dicunt Interpretes; nec reverâ idem denotant, ceu suprà exposuimus th. 40. Suntq; plurimi τῷ per se, & τῷ per accidens modi. imò (2.) quamvis idem certo modo exprimerent, ταυτολογία tamen nondum esset evicta. Certè per oppositas rationes aliquid explicare non est ταυτολογίαν cõmittere. Imò si istis verbis, vulgato modo expositis, ταυτολογία est commissa, idem quoque per idem probatur in hac argumentatione. Quicquid alicui per se inest, id non inest ei per accidens. Atqui natura per se inest corpori naturali. Ergò natura corpori naturali non inest per accidens. Quis verò hîc asseverabit, idem per idem probari? Ergò nec in illis Aristotelis idem per idem explicari, atq; tautologiam committi sequetur, si vel maximè ultima verba priora explicare statuantur. Aliud ergò est, idem significare, aliud significando ad idem collimare, vel in idem coincidere. Alterum quomodo se

habeat,& quid hîc respondendum sit, ex th. 17. liquet. Dicimus brevissimis 1. non ex Interpretibus,sed ipso Aristotele hoc negotium dijudicandum, & quid ipsi in more positum sit, perspiciendum esse. Sæpissimè Philosophus definitiones contextu involvit, sicut & alii Autores non pauci,in hoc illove disciplinarum genere versantes, passim facere solent. Pertexuit Aristoteles tractationem suam de discrimine naturalium & artificialium, continuæq; suæ tractationi naturæ definitionem inseruit, quæ facilè à quovis erui, & Logicè formari poterat. 2. Nec omnes Interpp. isto modo exponunt, ut ipse rectè dicat, à multis pro uno & eodem haberi. Quibus nos non adstipulamur,sed 3. statuimus,duo ista vocabula,principium & causa, in Aristotelis textu unum idemq; non significare; nec tale quid Philosophum hic intendisse, persuasum nobis habemus. 4. In legitimâ definitionis formulâ alterum vocabulum omittendum esse censemus.

§. 84. *Excipit Autor in* Disser. p. 134. esse omninò tautologias in communi Naturæ definitione, easq; hos terminos, principium & causa, per se & non secundùm accidens facere *ait. Et quando ego respondi*, non ex Interpretibus, sed ex Aristotelis textu hanc rem dirimendam esse, *excipit ille, & instat* p. 134 Nil opus labore hoc. Non formavit Aristoteles definitionem illam: ergò nec contra istum, nec ex isto, in hoc puncto agendum. Interpretes autem definitionem hanc nobis obtrudunt, ergò ex Interpretibus contra Interpretes meritò argumentamur. Fatetur Autor, communiter Interpretes statuere, non secundum accidens idem esse, quod per se. Stat ergo invicta nostra ratio, contra communem illam sententiam. Argumentor: Quicunq; in definitione Naturæ non secundum accidens idem esse quod per se concedùt, illi ibidem tautologiam commissam esse concedant necessum habent. Plerique Interpretes in definitione naturæ non secundum accidens, idem esse quod per se concedunt. Ergò plerique Interpretes ibidem tautologiam commissam esse concedant necessum habent.

§. 85. *Resp. Concludit Disputator, contra Aristotelem in h. negotio non esse agendum, cum is definitionem illam non formârit. At 1. mirum est, quod Aristotelem mittit, cum tamen Interpretes ex Aristotele definitionem isto modo proponant, ut propterea & cum Aristotele, & cum Interpretibus ipsi litigandum sit. 2. Distinguendum inter*

textum

textum Aristotelicum, ut lib. 2. Phys. cap. 1. *jacet, & definitionem Naturæ. Verba, contra quæ ille opponit, sunt Aristotelis, minimè Interpretum; hi ex Aristotele depromunt & proponunt, & proponendo Philosophi verba retinent, modò quòd in exponendo ejus mentem non assequuntur. Igitur 3. aliud est loqui de textu Aristotelis, aliud, de explicatione Interpretum. Per hoc, quod Dissertationis Autor explicationem Interpretum impugnat, nihil imputare Aristoteli videtur. Ast 4. Omninò is per latus Interpretum Aristotelem pungit. Id quod ostendo. Intentio argumenti, quòd ultimò profertur, est contra priùs dicta. Si enim plerique Interpretes concedunt, ibidem, h.e. in verbis Aristotelicis tautologiam esse commissam, tunc vitium tautologias in Aristotelem cadit, non in Interpretes, siquidem hi saltem concedunt, tautologiam esse commissam; commissa igitur fuit ab alio, qui non potest esse alius, quàm Aristoteles. Id quod etiam illa verba testantur, quibus dicitur,* ibidem, *nimirum in textu Aristotelis. Et res ipsa loquitur. Aliud siquidem est, committere tautologiam, aliud, concedere tautologiam ab aliquo commissam esse. Hoc ad Interpretes spectat, illud ad Aristotelem. Sed hoc est contra priora, quibus dixit, hîc non contra Aristotelem, sed contra Interpretes esse agendum. Certè si tautologian is impugnat, uti omnino impugnat, cum illo ipsi negotium erit, qui tautologiam commisit, non, qui illam concedit. Et. tautologias autorem notat. Ille non est Interpres Aristotelis, sed ipse Aristoteles. Denique 5. quidquid hujus rei sit, ego patrocinium Interpretum non suscipio, sed ut in aliis, ita & in hoc puncto ab ipsis dissentio, ut proinde Autor hactenus contra me non disputet.*

§. 86. *Progreditur Autor & expositionem meam taxat.* Duo sumit probanda, *inquit de me;* 1. verba per se & non secundùm accidens, in definitione non gignere tautologiam; 2. verba, principium & causam, etiam tautologiam non sapere. *Resp. Ast respondens fui, argumentum, quo tautologia probabatur, dissolvens, & rem ex Aristotele explicans. Ita autem explicui* τὸ non secundùm accidens in Theor. C. N. Disp. 10. §. 43. Notamus, communiter ista verba, non secundum accidens accipi, quasi sint declaratio priorum, & unum idemq; significatione importent; verùm alii, iiq; pauci, hîc differentiam faciunt inter τὸ per se, & non secundùm accidens, distincta duabus istis particulis determinantibus significari censentes. Et rectè. Etenim si juxta exemplum ab Aristotele in textu positum, τὸ nō per accidens speciali ratione ex-

ponatur, quemadmodum omnium primò ab Averrhoe h. l. factum, non saltem ultima illa verba non declarant priora, sed omninò peculiare quid denotant. Distinctim quoq; explicat Nic. de Orbell. in l. 2. Phys. c 1. in plus est, inquiens, non secundum accidens, quàm per se; id quod d. l. exemplis manifestum fecit. Patet autem discrimen inter ista duo sic: quia aliquid alicui inest primò & per se; accidit autem, ut in eodem sint principium efficiendi, & ipsum opus effectum sive productū; igitur ut ab illo distinguatur, adjecit postremò Philosophus καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός. Sic, licet Medico insit principium sanandi, ipsa puta Medicina, primò, (quia non καθ' ἄλλο, sive propter aliud) & per se (quia de essentia medici est sanare, vel saltem sanare posse) accidit tamen Medico, ut in eodem subjecto ars sanandi & sanitas restituta concurrant, cum se non curet Medicus quatenus Medicus, sed quatenus ægrotus. Atq; sic natura etiam differt ab illis artibus, quæ quandoq; operum suorum productione Naturæ sunt simillimæ. Nam ars & natura etsi in hoc differunt, quod ars sit principium effectivum in alio, videtur tamen eatenus cum naturâ convenire, quatenus & ipsa quandoq; in eodem cum effectu est subjecto. Sed uti hoc fit per accidens; ita adhuc discrimen est inter illas & naturam, ut quæ non per accidens motus in illis, in quibus inest primò & per se, principium existit.

§. 87. *Hanc explicationem dignè non excipit Dissertationis Autor, sed scommota evomit, & naturæ sive indolis suæ specimen edit. Scilicet Aristotelicum acumen ipsum fugit, & cum capere recessâs Philosophi nostri non possit, ex indignatione in ista prorumpit verba. Ipsum autem hanc rem non capere, testatur cum verborum Aristotelicorum perversio, tum inanis ejus argumentatio. Ita verba Aristotelica, vidatæ meæ explicationis, reddenda esse scribit* p. 137. Natura est principium & causa motus & quietis ejus, in quo inest primò per se non motus, sed principium motus, aut ipsa Natura, & non secundum accidens, motus nempe, non principium motus aut Natura. *Minùs rectè, quia nimirum hanc rem non intelligit. Ita Aristotelica, quantum ad hoc, exponenda:* Natura est causa movendi in eo, in quo primò, per se, & non per accidens inest; *id quod ex dicendis manifestum evadet.*

§. 88. *Syllogismum quoq; Autoris videamus. Ita ille* d. p. 137. De quocunq; subjecto dicitur in definitione naturæ τὸ per se, de

eo

eo etiam in eadem dicitur τὸ non ſecundum accidens. Atqui de natura ipſa dicitur in definitione Naturæ τὸ per ſe. Ergò de eâ etiam in eadem dicitur τὸ non ſecundum accidens. Major patet, quia luſus eſt, deceptio eſt, ad aliud referre per ſe, ad aliud non ſecundum accidens. Qualis enim ibi cohæſio? Cur ultima demum vocabula ad motum, & non æquè cætera? Aut, cur cætera ad naturam, & non æquè ultima? Ne ſcilicet fiat tautologia. Minor in Syllogiſmo ipſius Autoris eſt, qui laceravit definitionem, quàm defendere laboravit.

§. 89. *Reſp. argumentum, modò rectè formatum, & legitimè ex textu Ariſtotelis depromtum ſit, non concludit contra nos, ut illud totum concedamus. Minor, uti poſita eſt, non eſt mea. Notetur autem*, τὸ per ſe, & τὸ non ſecundum accidens, *non eſſe divellenda ab eo, quod determinant. Non autem determinant naturam, ſed motum ineſſendi illius. Nec ibi ſubjectum eſt natura, ſed corpus naturale. Ita argumentum formandum: De quocunq; ſubjecto dicitur, quod ei natura per ſe inſit, de eo quoq; dicendum, quod natura ei non inſit ſecundum accidens. Atqui de re naturali, non de artificiali dicitur, quod natura ei per ſe inſit. Er. de re naturali quoq; dicendum, quod ei natura non inſit ſecundùm accidens. Scilicet* τὸ per ſe & non ſecundùm accidens *non cadunt ſuper naturam, accuratè rem penſitando, ſed ſuper corpus naturale. Ita enim res habet*; Cui natura per ſe ineſt; cui natura non ineſt per accidens. *Quodnam eſt illud? Corpus naturale eſt.*

§. 90. *Sed in gratiam Autoris rem à capite ad calcem, quod dicitur, repetemus, & breviter explicabimus. Tres particulas adhibuit in textu Philoſophus, quibus hanc rem determinavit;* primò, per ſe, non ſecundùm accidens. *Has tribus diſtinctis exemplis diſcernere monſtravit.* Primò *quidem* quædam *ſunt, quæ motus & quietis principium in ſe habent, quod tamen illorum natura non eſt, cum eis non inſit primò & quat. talia ſunt, ſic e.g. Statua lignea fertur deorſum, & internum iſtius motus principium habet, at non primò & quat. ſtatua eſt, ſed ſecundariò & mediante lignô, cui id primò competit, propter lignum autem ſtatuæ.* Deinde quædam *ſunt, quæ internum motus principium habent primò, quod tamen illis non per ſe competit, cum non pertineat ad eorum naturam,* (per ſe hîc idem eſt ac eſſentiale, vel, ad eſſentiã & rationem formalem pertinens) *ſic e.g. ſe habet nauta reſpectu navis. Nauta ſane, ut nauta eſt, ineſt navi primò, nõ*

ſecun-

secundariò & per aliud, non tamen inest navi per se. Conditio enim per se hîc significat, Naturam ad essentiam illius, in quo principium movendi est, pertinere, & primô modô per se inesse. Jam cum nauta navi per se primô modô non insit, quippe qui navis essentiam non constituit, (assistit enim ei, & non dat ei esse intrinsecè) perspicuum evadit, ipsum ad essentiam navis non spectare, adeoq; ei per se non inesse. Deniq; quædam *artes ita sunt comparatæ, ut aliquando ars, ut principium motus, & motus sive effectio in eodem subjecto concurrant, ac proinde cum natura, quæ principium motus est in eo subjecto, in quo ipsa existit, (juxta definitionem enim naturæ principium motus & motus in eôdem subjecto concurrere debent; est enim natura principium motus in eo, in quo ipsa est, notanturq; hic vel maximè motus immanentes, qui in eodem cum principio suo sunt subjecto) convenire videantur. Propterea, ut Aristoteles naturam ab his quoq; artibus, & naturales motûs ab hujusmodi effectionibus discerneret, addidit* τὸ non secundùm accidens. *Talis ars est Medicina sive ars sanandi. Hic quamvis ars sanandi Medico, seipsum sananti, insit primò & per se, (sanat enim quat. Medicus est, & sanare pertinet ad essentiam Medici) ex accidente tamen fit, ut in eodem subjecto ars & opus, h.e. Medicina & sanatio concurrant, quat. scil. accidit, ut idem & Medicus sit & æger atq; sanandus, quia Medicus sibi adhibet medicinam non quà Medicus est, sed quà æger est. Accidit proinde Medico, ut se ipsum curet.*

§. 91. *Atq; hac ultimâ particulâ Philosophus Naturam voluit discriminare ab illis artibus, quæ naturæ videntur quàm similimæ.* Duplices *siquidem sunt artes*; quædam *nimis à naturæ indole dissident, ut ars statuaria, &c.* quædam *proximè ad eam accedunt, ut ars sanandi, &c. utramq; hîc excludere voluit Philosophus. Poterat enim quis dicere; natura est principium movendi in eo, in quo ipsa est, ut proinde natura & motus ab ipsa effectus sint in eodē subjecto, sicut in motu cœlestiū, in motu item graviū, leviū, animalium &c. videre est; Est & aliqua ars principium movendi & efficiendi in eo, in quo est, e g. Medicina, estq; æquè sanatio in illo subjecto, e g. in Medico se ipsum sanante, in quo est ars sanandi, adeoq; proindè* 1. *id jam non soli naturæ proprium erit & essentiale, cum etiam aliis conveniat, &* 2. *Aristoteles isto pactô Naturam ab Arte non satis discriminavit. Hic opus perspectissima illa Philosophi nostri cautione, quâ docuit nos, magnum ibi intercedere discrimen, cum id, quod ex parte Medicinæ & Medici seipsum sanantis est,*

per-

per accidens sit, (accidit enim Medico in seipso exercere Medicinam) id verò, quod ex parte naturæ & rei naturalis est, non sit per accidens, (non enim accidit cœlestibus, e.g. soli, naturam in ipso edere motum, vel naturam, ut principium motus, & motum in ipso concurrere.)

§. 92. *Respondi* 2. d. Disp. §. 49. quamvis τὸ perse, & τὸ non secundum accidens, idem certô modô *(NB. certô modô)* exprimerent, ταυτολογία tamen nondum esset evicta. Nam per oppositas rationes aliquid explicare non est ταυτολογίαν committere. *Declaraviq; rem argumentatione aliqua:* Quicquid alicui per se inest, id ei non inest per accidens. Atqui Natura inest rebus naturalibus per se. Er. Natura rebus naturalibus non inest per accidens. *Vel sic: Quicquid alicui competit, & tamen ei non competit per se, id ei competit per accidens. Hic subsumi & concludi potest de rebus quibuslibet. Ubi non potest dicere Autor, idem per idem probari. Qui igitur asseverabit, idem per idem exponi in oratione aliqua, quando expositio sit per rationes oppositas? Nec ibi est unus idemq; conceptus, cum unus in affirmatione, alter in negatione positus sit. Aliud est, idem formaliter exprimere, aliud, significando ad idem collimare.*

§. 93. *Ad hæc duo dupliciter is regerit. Ad primum sic p.* 138. Verùm idne in definitionibus agendum, ut per oppositas rationes aliquid explicetur? Hoc forsan modo: Homo est animal rationale, & non irrationale. Manet Canon: Quo ablato definitio manet integra, illud est superfluum. Neque certo saltem modo ibi unum exprimitur, sed in totum. Hoc omne quod dicit per se, dicit etiam non per accidens. *Ad alterum* p. 139. *sic:* Disputent ita, quibus nugari, est disputare. Sed quid hoc ad Definitionem, quæ sit brevissima & absolutissima? Non sanè in Definitione ipsâ unum verbum explicare debet alterum.

§. 94. *Ad I. resp.* 1. *Cur non in definitionibus per oppositas rationes aliquid explicabitur? Recolat Autor suas definitiones; definitionem* causæ externæ, *quam dicit esse,* quæ corporis naturalis essentiam non ingreditur, sed extrinsecus illud constituit, Instit. Phys. l. 1. c. 1. p. 23. *Hic certè oppositæ sunt rationes, (corporis naturalis essentiam non ingredi, & extrinsecus illud constituere) per quas causa externa ab ipso definitur. Alia mitto.* 2. *Canonem allatum quod attinet, valet ille de Autoris definitione, ut subsumere queas; Atqui sublatis in causæ externæ definitione, his verbis:* sed extrinsecus

illud constituit, *integra manet definitio, & quidditatis ipsius explicatio.* 3. *Nego, omne id, quod dicit* τὸ per se, *dicere quoq;* τὸ non secundum accidens; τὸ per se *dicit positionem, quam non dicit* τὸ non secundum accidens; τὸ per se *hîc dicit id, quod essentiale est rei naturali, quod non dicit* τὸ non secundum accidens, &c. *Ad II. resp. 1. quid Autor in argumento isto desideret, non video. Et, si ita disputare est nugari, nugabitur, qui ita concludit: Quæcunq; causa rem non constituit intrinsecè, sive rei constitutionem ingrediendo, illa eam constituit extrinsecè, sive extra eam (ejus constitutionem) manendo. 2. Ad definitionem facit argumentatio illa hoc, ut ostendatur, non idem per idem exprimi, adeoq; non tautologiam committi, si aliquid per oppositas explicemus rationes. 3. Si definitio debet esse brevissima, ut Autor hîc requirit, non inveniet locum naturæ definitio ab ipso tradita, quæ justo est prolixior. 4. Ut absoluta & perfecta sit Naturæ definitio, autumo, verba illa,* & non secundum accidens, *ei inserenda esse, sicut ex §. 90. & 91. liquidum est.*

§. 95. *Quantum ad duo illa vocabula,* principium & causa, *attinet, ego in responsione mea §. 83. repetita persisto, nec contra eam quid excipere potest Autor, quam hoc:* hoc est, quod volumus; in Dissert. p. 139. Adegit ergo, *pergit*, prima definitionis vox eò Autorem, ut Logicè eam factam esse negaret. *Ast ego illam vocem unquam pro prima definitionis formalis voce habui, cum textũ illum Aristotelicum non ipsam formalem Naturæ definitionem esse, sed eam conjicere sentiam, vel, sicut in responsione, ex* Theor. C. N. *nuper adscripta, explicui, definitionem verbis, textu illo contentis, esse involutam, adeoq; exinde eruendam esse velim.*

§. 96. *Quando pergit Autor* p. 140. Interim contra eos, qui ita sumunt, evicta est tautologia. *Resp. 1. non autem evicta est contra Aristotelem; Aristoteles enim ibidem loci de professo non fuit definitor, sed id nobis exhibuit & proposuit, unde definitionem Logicam sumeremus. 2. non est evicta tautologia in ipsa definitione; si enim definitio rectè ex textu formetur, & altera vox, ut dudum respondi, omittatur, nullum ipsi vitium accrescit. 3. Interpretes quod attinet, illi nihil præjudicare possunt definitioni. Non ad Interpretes respiciendum, sed ad rem ipsam.* 4. Extra definitionem igitur, *ut habet* Autor l. d. *in textu nimirum Aristotelico,* stabunt verba; principium & causa, sed non in definitione. 5. *Non invitus ego hanc sententiam professus fui, sed hanc rei præsentis explicationem ante multos*

annos

annos vidi, & inculcavi, ut ultima Autoris verba: ita quandoque veritas dicitur ab invitis, p. 141. *in me non cadant.*

§. 97. *Reſidua eſt quarta & ultima Autoris probatio, quam ex Inſtit. ſuis Phyſicis repetit & proponit in* Diſſert. p. 103. *his verbis*: Conditio eſt: Definitio præbeat materiam dubia ſolvendi, non cumulandi. Ratio conditionis eſt, quia definitio definiti naturam & eſſentiam menti repræſentat, quam qui habet, nec propriis, nec alienis agitatur dubiis. At quantus ex hac definitione jamdudum proſiliit, ac jamdum proſilire pergit, dubiorum cumulus.

§. 98. *Reſpondi in* Theor. C.N. Diſp. 10. §. 50. *ſic* 1. Nulla fermè eſt definitio, cujuscunq; etiam Autoris fuerit, circa quam non poſſint dubia moveri. Quid, quæſo, & quanta dubia moveri poſſunt circa definitiones hodiernorum quorundam Philoſophorum! Id non ſemper definitionibus, ſed quandoq; diverſis ingeniis adſcribendum, quæ facilè inveniunt, quod objiciant. Not. non ſemper, dico. Interdum enim definitiones nullius ſunt momenti, ut ſponte etiam ſua difficultates circa illas oriantur, nec ex definitione diſſolvi poſſint & tolli; interdum verò circa optimas definitiones quædam in medium afferuntur, quæ tamen ex fontibus definitionum facilè expediri poſſunt & amoveri. 2. Abſit definitionem naturæ Ariſtotelicam non præbere materiam dubia circa ipſam exorta ſolvendi. Tam profunda, & tàm dives eſt iſta definitio, ut fundamenta ſolvendi dubia ſuppeditet illi, qui oculos mentis ſuper ea vult intendere; nec ullum dubium motum eſt, quod ex ipſa non fuerit ſolutum, aut etiamnum ſolvi poſſit.

§. 99. *Excipit Autor in* Diſſer. p. 141. *ſic*: Ratio reſpondendi per Inſtantiam per ſe infirma eſt. Definitionem communem ab ipſo Autore etiam nunc caſtigatam, præbere materiam non tàm ſolvendi, quàm cumulandi dubia, dixi. Et dicet mecum quicunq; dicta hactenus candidâ ponderaverit mente. Autor regerit, nullam fermè eſſe definitionem, cujuscunq; etiam Autoris fuerit, circa quam non poſſint dubia moveri. *Quot, quæſo, ait, & quanta dubia moveri poſſunt circa definitiones hodiernorum quorundam Philoſophorum?* Sed falſæ aliorum definitiones hanc ne quicquam reddent veram.

§. 100. *Resp.1. Ratio respondendi per instantiam per se non est infirma; admit sanè ea propositioni illum splendorem & valorem, quò pollere videbatur, & quem habere debebat, imò eam evanidã reddit & nullam. Sumas hanc propositionem: Quidquid habet materiam, id est in loco; nulla est hæc propositio; subsumo enim & concludo: corpora glorificata habent materiam; Er. corpora glorificata sunt in loco. Videmus, quanti roboris sint instantiæ. 2. Ubi dixit Autor, definitionem communem, quam hic dicit, (alibi vulgatam vocat; ita* seq. pag.142.) *à me etiam nunc castigatam, præbere materiam non tàm solvendi, quàm cumulandi dubia? Nullibi dixit hoc Autor. Nec potuit ullibi dicere, cum nuperrimè ex* Theoria Corp. Nat. Disp. 10. id perspexerit, *ut h.l. primum id dicat. Probet nunc, quod dicit hic autor. Non enim sufficit, quod addit:* Et dicet mecum, quicunq; dicta hactenus candidâ ponderaverit mente. *Ajo ego,* non dicet, quicunque hactenus dicta candidâ ponderaverit mente. *Penes doctum & candidum lectorem sit judicium. 3. Non est,* ut falsæ (*malæ, vel, vitiosæ, voluit dicere:*) aliorum definitiones hanc nostram reddant veram, (*bonã, intelligit; non enim probare voluit, hanc definitionem esse falsam, sed eam esse vitiosam; vid.* sup. §.3. ex Dissert. p.100.) *quam nec bonam nec malam præstare potest Autoris animadversio, quæ nulla est.*

§. 101. *Pergit Autor sic* p. 141. Magnus est Autor rerum à se gestarum jactator. Huc illucque definitionem torsit hactenus, à qua pulcherrimè mãceratus est. Nunc gloriatur & jactanter scribit: *Absit definitionem naturæ Aristotelicam non præbere materiam dubia circa ipsam exorta solvendi &c.* Verba sunt, atque ineptiæ. Formo argumentum è dictis, ut quam nervosè & accuratè disseruerit, videat Lector. Quæcunq; definitio & verbis & rebus peccat, ea vitiosa est. Vulgata Naturæ definitio & verbis & rebus peccat. Ergò vulgata Naturæ definitio vitiosa est. Minor ut constet, repeto eam atque repono. *Natura est principium & causa motus & quietis ejus, in quo inest primò, perse, & non secundum accidens.* De verbis *principium & causa* fatetur Autor, alterum horum esse superfluum. Quidni & de illis, *per se & non secundum accidens?* De similibus idem judicium. Bis ergò peccat definitio.

§. 102. *Resp.1. Quî jactator ego sim rerum à me gestarum, qui definitionem Naturæ Aristotelicam commendo? Scilicet, qui commendat*

mendat definitionem Aristotelicam; ille est jactator rerum à se gestarũ. Judicet lector. Non videt Autor manticæ, quod in tergo est. Nonne jactantia magis ex ipsius Dissertatione eluceſcit, quando hac ipsa paginâ scribit: dixi, & dicet mecum, quicunq; dicta candidâ ponderaverit mente. *Quasi scilic. dicta Autoris sint Oracula! Et mox*; si verò forsan contra meas definitiones tot & tanta habet dubia, promat ea, habebit Respondentem. *Sed poterat Autor consistere & secum morari, ipsius sunt verba* sup. c. 1. p. 4. *Nonne novit is, refutare & qualitercunq; respondere distinctissima esse? Optàrim sanè Hominem, ut doctorum & clarorum Virorum de doctrinis suis Physicis judicia ipsi innotescerent.* 3. *Nec maceratus fui adeò à definitione Naturæ, ut is sibi imaginatur. Sanè in arduis cognoscendis versari, & veritatem solicitè indagare non est macerari. Et, si hoc est macerari, non dicam ego, quàm is macerabitur à suo traduce, ab atomis, à semine animato, aliisq; absurdis suis dogmatibus. In syllogismo prolato, si voces*, principium & causa, *excipias, nego Minorem propositionem, quæ isto modo non probatur. Et ad omnia, quæ Autor hîc profert & tædiosè repetit, superius responsum fuit.*

§. 103. *Sed videamus, quomodo probet. Primò inquit* p. 142. me de verbis, *principium & causa*, fateri, alterum istorum esse superfluum. Quidni & de illis, *per se & non secundum accidens?* De similibus idem judicium. Bis ergo peccat definitio. *Resp.* 1. *Quà verba*, principium & causa, *res rectè se habet. Non pertinet ad definitionem utraq; vox. Cui ergo opponit? Nihil contra definitionem opponit, nihil contra Aristotelem, nihil contra me opponit; aliquos Interpretes notat. In* p. antec. 140. contra eos, *inquit*, qui ita sumunt, evicta est tautologia. *Non ergo contra definitionem, non contra Aristotelem, non contra me.* 2. *Non est simile judicium de* τῷ perse & τῷ non secundum accidens, *sicut* Autor ex §. 89. 90. 91. *perspicere potest. Ut proinde ita definitio completè ponenda:* Natura est principium movendi & quiescendi in eo, in quo primò per se & non secundùm accidens inest.

§. 104. *Deinde de verbis probat sic Minorem* p. 142. motum explicat per mobilitatem, quietem per potentiam quiescendi. Insolentiæ hæ vocum sunt. Omnes audito motu ipsam motionem intelligunt, auditâ quiete ipsam in loco permanentiam concipiunt. Bis ergo peccat definitio. *Resp.* 1. *omnia hæc superiùs fuêre discussa. Imò & ex* Theor. C. N. Disp. 10. *responsio patet. Falsum est,*

quod motus explicetur per mobilitatem; sed principium movendi explicatur de potentia movendi, & principiū quiescendi de potentia quiescendi, sicut principium sentiendi de potentia sentiendi, principium discurrendi de potentia discurrendi &c. Et, sicut omnes, auditō motu, (audita voce motus) ipsam motionem intelligunt, & audita quiete (audita voce quietis, quies enim non auditur) ipsam a motu cessationem (plus enim includit, & latius se extendit quies, quàm ad motum localem) concipiunt, ita omnes auditō hoc, principium movendi, *& hoc*, principium quiescendi, *potentiam movendi & quiescendi primò concipiunt. Nec aliter se res habet cum definitione Naturæ, ac cum definitione animæ, à Sennerto p. m. tradita. Ita in* Epit. Nat. Sc. l. 6. c. 1. p. 46. *&* Inst. Med. l. 1. c. 8. p. 53. anima est principium, per quod vivens insitam potentiam habet omnes vitæ actiones obeundi. *Sic*, Natura est principium in rebus naturalibus, per quod eæ insitam habent potentiam exercendi motum &c.

§. 105. *Deniq;*, rem cum spectamus, *inquit*, p. 143. non omnibus naturalibus corporibus competit motus, quod fatetur Autor. Nec omnibus competit quies, quod fatetur idem. Ipsa quoq; potentia naturalis ad quietem in stellis non est, neq; ad motū in terra. Bis ergò peccat definitio. *Resp.* 1. *Inanis est repetitio. Ad hoc, sicut & ad alia omnia in* Theor. C. N. Disp. 10. *fuit responsum. Nihil novi affert Autor, nihil contra responsa opponit. Ita ibi responsum fuit:* quamvis non omnibus corporibus insit motus, ineſt tamen omnibus principium movendi, quod est natura; & quamvis non omnibus rebus naturalibus insit quies, ineſt tamē omnibus principiū quiescendi, quod est natura. Naturaenim principiū movēdi & quiescendi est in omnib9 rebus naturalib9. *Sic quāvis nō omnib9 viventib9 competat actualis generatio, ineſt tamē omnibus potētia generandi, ob animam vegetativam, quæ omnibus ineſt. 2. Maneat Autor in phrasi nostra; nec enim phrases permutandæ sunt. Ita ex definitione Naturæ ego:* in stellis est natura; *Er.* in stellis est principium, adeoque potentia naturalis quiescendi. In terra est natura; Er. in terra est principium, adeoq; potentia naturalis movendi. *vid.* sup. §. 30. *Ne semel ergo petcat naturæ definitio.*

§. 106. *Ultima Autoris in h. capite sequuntur verba, quibus, scribit* p. 143. Et ut non ponenda ponuntur, sic non omittenda omittuntur. Non solùm motum dat natura, sed etiam esse naturale, omnes affectiones, actiones & passiones naturales. His nullæ tributæ in Definitione partes sunt, cum motus & quies

præ-

præoccupassent primas, medias, ultimas. Tot ergò vitia & in verbis & in rebus sunt, ut Definitionem hanc non emerem vitiosâ nuce.

§. 107. *Verùm, primum falsum est. Nec positum quid, quod non ponendum, nec omissum quid, quod ponendum erat, ceu ex dictis de utroq; constat. Quæ adjungit Autor, cædiosæ & inanes sunt repetitiones; nihil in recessu habentes. Nec enim omnia, quæ dat res, quæ definitur, in ejus definitione ponenda esse, superius monstratum. Nec motus, nec quies, ut affectiones putantur corporis naturalis, ullum in definitione Naturæ locum habent; sed principium movendi & quiescendi in ea exprimitur, sive* supr. §. 104. & alibi de definitionem animæ dixi. *Denig; temerè & frivolè definitioni Naturæ, quam is nondum perspexit, tot tantaq; vitia tribuit, quot quantaq; vix in ulla alia reperire liceat. Scilicet, sicut ægrotantibus omnia apparent amara, ita optima Aristotelis dogmata Autori, videntur esse pessima.*

§. 108. *Quæso tandem, ut Autor consilium Aristotelis, non solùm in definienda natura, sed constituenda Scientiâ Naturali, aliisq; rebus naturalibus considerandis, nobiscum perspiciat & perpendat, & ex eo de Aristotelicis judicet. In eo is est unicè, ut respiciat ad* motum (*tanquam potissimum & manifestissimum naturæ effectum*, lib. 3. Physic. cap. 1. init.) *& motus principium. Nec enim frequentius quid est in Naturæ theatro, ac sunt motus, mutationes & transmutationes rerum naturalium, ut, hujus rei intuitu, Philosophus omnia ad motum, & principium motus in rebus naturalibus retulerit. Etenim* (1.) *subjectum Physices per τὸ habere principium motus & quietis determinavit,* l. 6. Ph. l. Pr. c. 1. lib. 11. Ejusd. c. 1. (2.) *idem* (*corpus naturale*) *per internum principium movendi & quiescendi definivit,* l. 2. Phys. c. 1. &c. (3.) *à doctrina de entibus naturam habentibus & de interno motus atq; quietis principio; quod est natura, partem generalem Physicæ auspicatus fuit, in* dict. l. 2. Phys. c. 1. *vid.* Theor. G. N. disp. 4. §. 8. 9. ex Zabarel. l. de N. S. C. ca. 9. col. 21. (4.) *definitionem naturæ & corporis naturalis sub initium partis specialis repetivit, & in generali doctrina speciali fundamentum quæsivit & posuit,* l. 1. cœl. c. 2. t. 5. l. 3. Cœl. t. 28. 50. (5.) *causas efficientes per motum discriminavit,* l. 2. Phys. c. 7. t. 71. *& illa agentia, sive moventia, quæ movent & moventur, ad Scientiam Naturalem revocavit, moventia verò immobilia inde excluſit;* vid. supr. Disp. 2. §. 36. seqq. (6.) *suâ intentione ductus, causam efficientem per motum de-*

definivit, l. 2. Phys. c. 3. t. 29. 31. *quod Physico, in quantum Physicus, nulla alia causa efficiens considerandа, vel ea non aliter spectanda, quam prout motus & mutationis physicæ est principium, vel, permotum producit, quidquid producit; quidquid enim naturaliter fit sive producitur, per motum producitur;* (7.) *de motu omnium amplissimè scripsit, uti* libb. 3. 5. 6. 7. & 8. Physicor. *abundè testantur.* (8.) *sicut ignorato motu ignorari naturam scribit* l. 3. Phys. c. 1. t. 1. *ita ridiculum ait esse, demonstrare, quod natura sit,* l. 2. Phys. c. 1. t. 6. *quod nimir. ea per motum, tanquam potissimum suum effectum, sit notissima, & ad sensum manifestissima.* (9.) *Eandē naturæ & corporis naturalis quidditativam rationem, quam* l. 2. Phys. c. 1. *proposuerat, repetiit* l. 2. de an. c. 1. t. 9. *animam talis corporis actum finiens, quod in se motus & quietis principium habet. Quæ notatio, Aristotelis intentionem in conscribenda Naturæ historia manifestat, & ad totam ejus Physicam januam quasi aperit.*

§. 109. *Re igitur ita se habente, cum motus & mutationes physicæ sint genuinus & intimus Naturæ effectus, intuitu earum Aristoteles meritò hanc definivit,* principiūq; movendi pariter & quiescendi (*æquè enim quies, ac motus consequitur naturam*) *esse* inculcavit. *Insuper cum Philosophus non tantùm naturales conspiceret motiones, verùm quoq; artificiales, ut, e. g.* ἀνδριάντων, *variasq; variorum artificum effectiones perpenderet, naturam ab arte discriminare voluit, additis reliquis particulis, ajens, Naturam esse principium movendi & quiescendi* in eo, cui ipsa primò per se & non secundùm accidens insit.

§. 110. *Videtur hujus rei fundamentum Sacra suppeditare Scriptura, quæ in* 1. cap. Genes. *attestatur, Deum Naturam primò & omnium maxime motu instruxisse, per eumq; ipsam nobis cognitum & manifestam reddere voluisse. Ut enim de luminaribus in firmamento positis nihil dicam, cogitemus, quod ibid.* vers. 21. *dicitur,* Deum creâsse omnem animam viventem & motabilem, & vers. 26. reptilia & volatilia, quæ moverentur in terra &c. *& mox* vers. 27. *jussit Creator creaturas* crescere & multiplicari, *ut numerosâ generatione terrā replerent; jungantur* versus 28. 29. *Sic Spiritus S. in limine libri* 1. *Geneseos Naturam introducit, & describit per* κινητικὸν & κινητὸν, *ut juret quis, definitionem Naturæ Aristotelicam ex Sacris fontibus esse, depromtam. Tantum hac vice.*

DISP.

BONO CUM DEO!

DISPUTATIO VIII. & ULTIMA

De Naturæ divisione.

Aristoteles naturam constituit geminam, l. 2. Phys. c. 1. t. 10. materiam & formam; *quarum* illam *principium motus passivum*, hanc *activum Doctores salutant, sicut* in Theor. C. N. Disp. 1. §. 1. & 2. *exposui*-

§. 2. *Huic doctrinæ sese opponit Dissertationis Autor in* cap. ult. p. 144. *Primò ponit conclusionem*: non caret vitio Naturæ in materiam & formam divisio. *Probationem exhibet his verbis* ibid. Materiam & formam conjunctim notare naturam, asserunt ipsi. Cur ergò quæ conjunctim hîc spectantur, disjungunt? Taceo, tanta iterum illorum occurrere discrimina, ut hic carpat ac discerpat istum, iste alium, qui vicissim à suis. Veritas una & simplex, falsitas varia & multiplex.

§. 3. *Autori Dissertationis in* d. Disp. *duo reposui*: (1.) *eandem divisionem ex ipsius eorumq; qui cum ipso faciunt, scriptis monstravi* §. 63. 64. (2.) *ad ejus objectionem respondi* §. 65. *Quà primum*, *Autor Collegarum patrocinium suscipere recusat*, p. 147. amicus Socrates, *inquiens*, amicus Plato, amici Collegæ, sed magis amica veritas. *Scilicet Collegis suis, præprimis Magno Sennertò, oculatior is est & perspicatior! Rationibus agendum esse monet* p. 148. *non authoritatibus. Benè; sed nec illi sine ratione scripserunt, qui hanc doctrinam scriptis prodiderunt, & nobis reliquerunt.*

§. 4. *Sed quomodo ex Autore doctrinam Aristotelicam ostenderim, videamus. Ita* d. l. §. 64. Eandem Naturæ partitionem ex ipsius Physica monstrabimus, tandemq; difficultati satisfaciemus. In Institutionibus partitio illa si non ad literam, tamen per manifestam nobis patet consequentiam. Ita 1. In Inst. l. 1. c. 4. p. 150. Neque natura à materia & formâ differt re, sed ratione. Hinc argumentari licet: Quicquid â materia & forma non differt re, illud reipsa est materia & forma. Natura à materia & forma non differt re. Ergò natura reipsâ est materia & forma. Et vicissim: Quicquid â natura realiter non differt, illud est natura. Materia & forma â naturâ realiter non differunt.

Ergo materia & forma sunt natura. 2. Probantur ipsi verba, quibus ait Basso, naturam esse internum illud principium, quo res quævis, cum est, & esse persistit, tum agendi patiendique, item ab iis cessandi habet potentiam. Quibus verbis natura principium activum & passivum clarè definitur. 3. Materia ipsi statuitur passiva, quia ejus indoles sit recipere, statuitur etiam causare subjectivè. Hinc ita: principium quô patiendi est natura, ex definitione Bassonis. Materia est principium quô patiendi. Ergò materia est natura. Formam pari modô statuit principium operandi, & ipsam constituit causam efficientem mistionis; id quod sanè forma non præstat, ut forma est, hoc enim pacto est causa, per quam corpus naturale in esse suo constituitur, quæque dat esse formaliter rei, cujus est causa. Præstabit igitur id forma, ut est natura. Fluitq; exinde argumentum: Principium substantiale internum activum est natura. Forma est principium substantiale internum. Ergò forma est natura. *Atq; sic 1. ex ipso, 2. ex Bassone argumenta duxi.*

§. 5. *Respondet Autor* p. 151. Nequè καθ' ὃ ῥητὸν, nec καθ' διάνοιαν Naturæ usitatam divisionem habent Institutiones. *Ast concessum est, quod καθ' ὃ ῥητὸν non habeant, ut his verbis opus haut fuerit. Sed quid ad priora ex ipso depromta argumenta responderit, videamus. Ita* ibid. p. *151.* Do instantiam. Quicquid à materiâ & formâ non differt re, illud reipsâ est materia & forma. Corpus à materiâ & formâ non differt re. Ergô corpus reipsâ est materia & forma. Et viciſſim: Quicquid à corpore realiter non differt, illud est copus. Materia & forma à corpore realiter non differunt. Ergò materia & forma sunt corpus. Ergò, si placet, materia est corpus, forma est corpus. Quicquid à corpore humano & animâ rationali non differt, illud reipsa est corpus humanum & anima rationalis. Homo à corpore humano & animâ rationali non differt. Ergò homo reipsâ est corpns humanum & anima rationalis. Et viciſſim: Quicquid ab homine realiter non difiert, illud est homo. Corpus humanum & anima rationalis realiter ab homine non differunt. Ergò corpus humanum & anima rationalis sunt homo. Ergó dicendum, corpus humanum est homo, anima rationalis est homo: sicut dico, materia est natura, forma est natura. Ut sint duo homines, si-

cut

cut duæ naturæ, duo partiales homines, sicut duæ partiales naturæ.

§. 6. *Verùm hæ instantiæ nullæ sunt, nulla responsio, non, quod responso per instantiam infirma sit, sicut Autor* ca. ant. p. 141. *dicebat, (scilicet quando ego respondeo per instantiam, est responsio per se infirma, quando verò Autor, firmissima ea est responsio) sed, quòd contra Aristotelica non opponat, & distinctissima confundat (1.) In tota hac disputatione confundit acceptionem vocis* naturæ *physicam & Metaphysicam vel Logicam. Nimirum Aristoteles & Aristotelici sumunt pro interno principio movendi in rebus naturalibus, Autor vero sumit pro essentia rei, sive pro eo, quòd res est, & per quod definitur; ita per tot. hoc caput, & expressâ litterâ infrà* p. 157. 158: *Sed hoc discrimen vid. expositum à* Zabarel. lib. de Nat. Sc. Const. cap. 3. col. 8. & lib. de Nat. c. 4. col. 237. *(2.) In specie, in propositis argumentis confundit totum Physicum cum toto Logico sive potestativo, cujusmodi est genus respectu specierum, & species respectu individuorū; de hoc ego in meis, de illo Autor in suis argumentationibus loquitur. (3.) Confundit conjuncta cum divisis; nimirum materia & forma junctim & unitim constituunt naturam sive essentiam corporis naturalis, non vero conjunctim constituunt naturam, ut est genus ad utramq; nec enim species uniuntur ad constitutionem generis, sed genus in species dividitur, & divisim de illis prædicatur. 4. confundit illa, quæ sunt à parte rei & Φσυικῶς, cum illis, quæ sunt per intellectus operationem. Nihil mihi cum priori modò, non quadrat ille ad præsens negotium.*

§. 7. *Nunc syllogismos instantiæ locò prolatos videamus, & non esse eos instantias ad meos syllogismos, patebit. Ad* 1. *Resp. neg. Minor. propositionem. Omninò corpus tam à materia, quam à forma, tanquam distinctis partibus essentialibus physicis, differt re; alia enim res est materia, alia forma, alia corpus, quod ex illis constituitur. Non verò sic cum natura in ordine ad materiam & formam comparatum est; non siquidem natura re tàm à materia, quàm à forma differt; neq; enim est alia entitas naturæ in materia, & alia in forma; sed materia & forma in essentia naturæ conveniunt, ut definitio naturæ & huic & isti competat; non verò natura corporis convenit materiæ & formæ. Ex hoc 2. declaro Majorē propositionem; ita habet, ita intelligi debet Major mea propositio: Quidquid à materia & formæ divisim & qualibet secundùm se, h.e. tàm à materia quàm à forma non differt re, illud reipsa est materia & forma. Nunc prosilit Mi-*

nor. Atqui Natura non differt realiter à materia, uti nec realiter differt à forma divisim & secundùm se sumtis. Non vero sic cum corpore, quia corpus realiter differt à materia, & realiter à forma. Fundamentum est, quod diversimodè se habent materia & forma ad Naturam & ad corpus; nimirum ad Naturam se habent ut partes subjectivæ, ad corpus ut partes essentialiter illud constituentes.

§. 8. Est3 discrimen inter totum essentiale physicum & totum potestativum Logicum 1. quòd totum physicum realiter differt à partibus constituentibus divisim & secundum se sumtis, (omninò enim materia & forma differunt à corpore, ut duæ entitates incompletæ à completa, ut potentia & actus ab eo, quod ex potentia & actu constitutum est; neq3 ulla est identitas corporis ad materiam & formam; neq3 enim materia sive potentia est corpus, nec forma sive actus est corpus, neq3 quoddam corpus est potentia, & quoddam est actus, &c.) totum verò potestativum sive Logicum non differt realiter à partibus suis divisim sumtis; sic animal nec ab homine, nec à bruto realiter differt; sic & in hoc negotio, natura nec à materia nec à forma realiter differt, unde prædico naturã de materia & de forma, & dico quoq3 quandam naturã esse materiam, quandam esse formam. 2. Est discrimen inter totum essentiale physicum & potestativum seu Logicum, quòd illud à partibus suis simul & junctim sumtis realiter non differt, siquidem partes simul sumtæ nil sunt aliud, quàm ipsum totum, ut materia & forma unitæ sunt corpus; hoc vero, totum Logicum sive potestativum non sic; non siquidem uniuntur partes subjectivæ, e. g. homo & brutum, ad animalis, ut tertii cujusdam, constitutionem; nec sic, quantum ad præsens, materia & forma constituunt Naturam sub qua comprehenduntur, sicut constituunt corpus, cujus essentiam physicè ingrediuntur.

§. 9. Atq3 ex hac notatione, & ex hoc fundamento respondetur ad sequentia argumenta omnia, ut sic una fideliâ tot dealbare queamus parietes. Cadit ergo illud illatum p. 151. Ergo, si placet, materia est corpus, & forma est corpus; & p. 152. Er. dicendum, corpus humanum est homo, anima rationalis est homo, sicut dico, materia est natura, forma est natura. Non sic, mi Domine; quia corpus se non habet ut conceptus communis ad materiam & formam, nec homo ad animam rationalem & corpus organicum, sicut se habet natura ad materiam & formam; Nec Natura ita se habet ad materiam & formam, ut corpus ad materiam & formam; nec enim materia,

&

& forma sunt partes essentiales, vel essentialiter constituentes naturam, prout hic sumitur, & l. 1. Phys. c. 1. explicatur, sicut materia & forma sunt partes corporis physici, corpus organicum & anima rationalis sunt partes constitutivæ hominis; ut proinde diversissima sit ratio, nec argumentatio à me adhibita in exemplis instantiæ locô adductis locum invenire possit, cum, ut modò dictum, respectus corporis ad materiam & formam sit ut totius essentialis physici ad partes physicas essentialiter constituentes, naturæ verò ad materiam & formam, ut ad partes subjectivas. Reliqua quæ Autor adposuit, omnia sunt inaniter posita, & vi dictorum, eâdem facilitate rejiciuntur, quâ fuêre prolata.

§. 10. Quid deinde ad argumenta mea ex Bassone formata responderit, considerandum quoq; nobis. Ita ille p. 153. Basso repudiat falsitatis patrocinium. Id dicit; naturalia corpora à naturâ esse: naturales passiones à naturâ esse: naturalem motum & quietem à natura esse. Non autem inde sequitur, materiam esse unam naturam, formam esse alteram naturam, & è duabus hisce partialibus naturis conflari tertiam totalem. Unam habet naturam homo, non duas, non tres. Una illa respectu actionum activum est principium; respectu passionum passivum.

§. 11. Resp. 1. Definitio Bassonis, quamvis aliis verbis prolata, tamen principium activum & passivum motus exponit. Hoc dicit Basso, quantum ad præsens; naturam esse principium rebus naturalibus internum, per quod istæ agendi & patiendi, & ab utroq; cessandi potentiam habent. Nonne hîc principium agendi internum notat formam, & patiendi materiam? Nonne isto pactô forma natura activa, materia verò passiva natura designatur? Omnium maximè. 2. Non autem est inconveniens dicere, materiam esse unam naturam, formam esse alteram naturam, & ex duabus hisce partialibus naturis existere tertiam totalem, si rectè intelligatur; nimirum, totam rei naturalis essentiam. Ex duabus enim naturis physicis, quæ sunt partes essentiales physicæ corporis naturalis, est natura corporis naturalis, eô modô, quô ipse Autor suprà p. 151. cõcedit, & infrà p. 157. 158. exponit. Concedit quidem, quando d. l. ait, corpus equinum non esse naturam equi, & animam equinam non esse naturam equi. Partes naturæ sunt, inquit, non natura ipsa, sicut & partes equi sunt, non equus ipse. Rectè; hoc volo; materia & forma sunt partes naturæ, id quod est contra illa, quæ hîc dixit. Negat enim hîc, ex

duabus partialibus naturis conflari tertiam totalem. Exponit vero inferius, ajens, naturam sive essentiam corporis materiâ & formâ absolvi, & intrinsecè materiam atq; formam includere. *Atquè sic vox* naturæ *aliter sumitur hic ac ibi; hic significat essentiam, h. e. conceptum primum & quidditativum rei, & id, cujus explicatio est definitio; ibi, in partibus essentialibus physicis, notat id, cui primò movendi & quiescendi principium in rebus naturalibus adscribitur. Proinde rectè dicitur homo e. g. unam habere naturam, si priori acceptioni insistas, i. e. unam essentiam, duas verò, nimirum naturam passivam & activam, si posteriorem acceptionem spectes. Deniq; falsum est, & planè incongruum, unam illam naturam, quá nimirum res est, & per quam ea definitur, esse principium activum & passivum. Sanè nemini sanorum hominum natura sive essentia rei dicitur principium passivum physicum, sed tantùm operationis principium reputatur. Sic ipse Autor in* cap. antec. p. 117. naturam in propria sua ratione connotare respectum ad operationes, *non ad passiones, professus fuit. Prætereà actio & passio physica non possunt ex uno fonte derivari. Unicus autē fons foret natura sive essentia corporis. Principium patiendi strictim est materia; unde id, quod materiæ expers est, expens quoq; est passibilitatis. Ob immaterialitatem Spiritus* ἀπαθεία καὶ ἀφθαρσία *gaudent, ut in Pnæcumaticis demonstratur, non ob negationem unionis materiæ & formæ. Non igitur ob unionem materiæ & formæ, non ob naturam corporis completam res naturales sunt passibiles; non ergo natura pro unione materiæ & formæ sumta est principium physicum patiendi, sed materia, quæ naturæ i. e. essentiæ Physicæ pars est.*

§. 12. *Sed ecce! Autor ex parte concedit id, in quo ostendendo laboramus. Ita scribit* p. seq. 154. Manet materia principium activum, (*N. B.* passivum *vult dicere*) & forma principium passivum, (*N. B.* activum *vult dicere*) licèt disjunctim non faciant duas naturas. Unio principia non tollit, sed infert. Manet anima in homine principium activum, corpus passivum, ut ut uniantur, & conjunctim naturam humanam constituant. Hinc limitanda propositio: *Principium quo patiendi est natura,* scilicet conjunctim, non disjunctim. Sicut & illa: *Principium substantiale internum activum est natura,* quatenus nempè cum principio passivo conjunctum est. Quot naturas habes, tot naturalia corpora habes.

habes. Natura enim ipsi quoque Autori ultima corporis ratio vocatur. *Hæc Autor,*

§. 13. *Contrà argumentor 1. Principium internum physicum patiendi est natura, ut sumitur* l. 2. Phys. c. 1. *Materia est principium internum physicum patiend; Er. materia est natura, ut sumitur* l. 2. Phys. c. 1. *Argumentor 2. Principium physicum internum agendi est natura, ut sumitur* l. 2. Phys. c. 1. *Forma est principium physicum internum agendi. Er. forma est natura, ut sumitur* l. 2. Phys. c. 1. *Hic habemus duas naturas, non eo vocis significatu, quem Autor habet, quamvis admittamus etiam unam corporis naturalis naturam, ex utraq; illa natura, ut partibus essentialibus, conflatam. In quo Autorem consentientem nuper audivimus.*

§. 14. *Autor propositiones limitavit. Sed limitatio est absurda. I.* Principium quô patiendi est natura scilic. conjunctim, non disjunctim; *falsô & absurdè. 1. In natura enim hoc pactô forma includitur; sed ei repugnat esse principium patiendi. 2. isto modô materia sola non est principium patiendi, quod tamen pro principio patiendi antè agnovit & declaravit. 3. contra propriam confessionem limitationem hanc profert, cum* sup. p. 117. *dixerit,* naturam, *quæ ex conjunctione harum partium est,* esse principium operandi. II. Principium substantiale internum activum est natura, quatenus nempe cum principio passivo conjunctum est; *falsô & absurdè; 1. nihil ad activitatem confert materia, quæ omnis activitatis expers, &, quanta quanta est, principium patiendi existit; 2. de se principium movendi & agendi est forma, etiam Autore confitente. Quoties legis in ipsius scriptis, formam dare tria; esse, distingui & operari.* III. *Distinguat igitur hæc duo;* 1. materia est principium patiendi in unione, &, forma est principium operandi in unione; *Et h. m. rem cum principio activo & passivo se habere, rectè dicitur, cum ne quidem in ordinario Naturæ statu materia & forma sint extra unionem;* 2. materia est principium patiendi, prout cum forma unita unam constituit naturam, &, forma est principium operandi, prout cum materia constituit unam naturam, *scilicet corporis naturalis; h. modo asserta admitti non possunt, ut ex modò dictis cõstat. Ut frustranea quoq; sint ultima Autoris verba, quibus inquit:* quot naturas habes, tot corpora naturalia habes; *conceditur, intelligendo de natura completa, ut toties dictum.*

§. 15. *At sic ex disputatis patere arbitror, argumentis olim, tum*

ex Autore, tùm ex Baſſone petitis, ſuum conſtare robur. Sed age, alia ex Autore, quibus id confirmem, monſtrabo. 1. Eôdem modo, quô Ariſtotelici, argumentatur in Inſt. Phyſ. l. 4. c. ult. q. ult. p. 779. Omnis motus naturalis à natura ſeu forma eſt. Motus ignis & aeris ſurſuum, terræ & aquæ deorſum, eſt naturalis. Er. à natura ſeu forma eſt. *Optimè! rectiſſimè! Nonne Autor* cum Sennerto *animæ in ſemine latescenti tribuit vivificationem & formationem corporis? Anima autem forma eſt, & forma natura eſt; unde Animam eſſe naturam, rectiſſimè in Scholis noſtris concluditur. In hanc rem B. Sennertus in* Hyp. 1. c. 3. p. 18. *citat Ariſt. verba ex* l. 2. gen. animal. c. 1. motus autem naturæ in ipſo eſt ab altera protectus natura, quæ actu obtinet formam. *Ubi per* alteram naturam *Sennertus cum Ariſtotele formam intelligit. Et ſæpius animam principium motus activum nuncupat in* Hyp. 4. ca. 6. & 9. *paſſim. Vid.* p. 215. 272. *Atq; proinde cum motus & actio ſint à forma, ut natura, non autem à materia, ſed in materiam recipiantur, & in eâ ſuſtineantur, formam diſtinctam eſſe naturâ à materia, conſequitur. 2. Ex Autore argumentor ſic: quidquid eſt cauſa qualitatis, id eſt natura; ex definitione Naturæ in* Inſtit. l. 1. c. 4. p. 148. in Diſſer. de princ. c. 4. p. 130. *ubi qualitatem à natura eſſe probat. Subſumo: Atqui forma eſt cauſa qualitatis; Autor in* Inſtit. Phyſ. Procem. p. 4. & l. 3. c. 3. q. 2. p. 473. & l. 4. c. 6. p. 706. *Concludo: Er. forma eſt natura. Hic omnes præmiſſæ ſunt Autoris; quidni & concluſio? 3. Argumentor: Ea, quæ junctim non ſunt cauſa affectionum, junctim non ſunt natura. Atqui materia & forma junctim non ſunt cauſa affectionum. Er. eadem junctim non ſunt natura. Major probatur ex Autore, qui naturam ſtatuit eſſe cauſam omnium affectionum naturalium. ll. dd. quô igitur modô eſt cauſa, cô modô quoq; eſt natura. Minor conſtat, ſiquidem Autor non tribuit naturæ, i. e. eſſentiæ rei naturalis quantitatem, qualitatem, locum; ſed materiæ quantitatem & locum; formæ qualitatem & motum. Nonne hic diſtinctæ cauſæ, adeoq; diſtinctæ naturæ? Omninò, ut rectè exinde argumentetur, qui ita argumentatur. 1. Interna quantitatis & loci cauſa eſt natura. Materia eſt interna quantitatis & loci cauſa. Er. materia eſt natura. 2. Interna qualitatis & motus cauſa eſt natura. Forma eſt interna qualitatis & motus cauſa. Er. forma eſt natura. 3. Quæcunq; ſunt diſtinctæ diſtinctarum affectionum cauſæ internæ, ea diſtinctæ ſunt naturæ. Atqui materia & formam ſunt diſtinctæ diſtinctarum affectionum cauſæ internæ. Er. materia & forma diſtinctæ ſunt naturæ. Atq; ſic iterum,*

&

& quidem pluribus, ex Autore assertio nostra offensa est, ut Autorem nolentem volentem nobis habeamus αὐόψηφον.

§.16. His expeditis, vindicanda est responsio, quam in Theor.C.N. Disp.II. §. 56. ad discursum sup. §. 2. ex Autoris Instit. Physicis repetitum, dedi. Ita respondi: Non disjunguntur duæ illæ naturæ ab Aristotelicis in re naturali, ut quæ ne quidem disjungi & divelli possunt, sed distinctim spectantur & considerantur, una ut principium patiendi, altera ut principium agendi. Suntque revera distinctæ naturæ, materia & forma, non verò disjunctæ physicè, sed conjunctæ in eo, cujus, vel in quo sunt naturæ, non aliter, ac sicut materia & forma distincta sunt principia, non autem sunt disjuncta in re naturali, aliàs rem naturalem non constituerent. Not. quod dixi: eas non esse disjunctas physicè; nec enim obstat, si dicas naturam in materiam dividi descensu disjuncto; id enim per intellectum est, sicut semper se habet res in divisione generis in suas species, quomodo dicimus, animal vel brutum, vel hominem esse. Non autem qui dicit, naturam vel materiam vel formam esse; dicit quoq;, in corpore naturali vel materiam inesse, vel formam, sive in re naturali vel principium motus activum inesse, vel principium passivum; (hoc enim ad constitutionem physicam, prius illud ad operationem Logicam pertinet; intellectus autem operatio constitutioni physicæ nihil præjudicat) sed hoc exinde deducit, quod non sola materia, nec sola forma sit natura, sed & hæc & illa sit natura, non aliter ac sicut ex eo, quod animal vel brutum vel homo esse dicitur, desumimus, quod non solus homo sit animal, nec solum brutum sit animal, sed quod & homo & brutum sit animal. Non autem solùm disjunctim, eo, quo jam dictum modo, sub natura spectantur materia & forma, sed etiam certo suo modo junctim spectari possunt, scilicet quæ sub propriis naturis, & vi differentiarum, sub genere sumuntur disjunctim; ea sub communi nomine & definitione ejusdem junctim, vel, ut unũ sumuntur: sic homo & brutum e.g. sunt unũ in animali; est n. & homo animal, & brutũ est animal; sic etiã materia & forma sunt unum sub nomine & definitione naturæ.

§. 17. *Inquit Autor in* p. 154. Nequit difficultati satis facere Autor. *At verò* 1. *à me satisfactum esse, testabuntur ea, quæ hactenus disputata fuere, si cum responsione hac conferantur.* 2. *Nequit Autor probare conclusionem suam. Ita ea habet*: Non caret vitiô naturæ in materiam & formam divisio. *Probat*, quia illa,

quæ conjunctim sunt sumenda, disjunguntur; *vid.* sup. §. 2. *Ast contrà 1. estne hoc probare probandum? Conclusio loquitur de divisione Logica, quâ Natura dividitur in activam & passivam, (non aliter, ac sicut principia vel causæ in internas & externas dividuntur). probatio loquitur de disjunctione principiorum. Et 2. quis, quæso, unquàm disjunxit materiam & formam, vel naturam passivam & activam, ut quæ ne quidem disjungi possunt? Cui ergo hic opponit? Cum quo pugnat?* 3. *Vocem* naturæ *aliter sumit, ut proinde contra nostram thesin, ceu quoq; aliàs fecit, non opponat. Subjectô enim quæstionis mutatiô mutatur & ipsa quæstio. Puto, vel ex pauculis his responsionem meam patere, ut reliqua omnia, quæ Autor in* cap. ult. *profundit verba, frustrà profundat.*

§. 18. *Sed videamus, quomodo explicet Autor & probet.* Ita p. 148. Exponam ergò rationem, quam forsan non satis capere potuit Autor. Ita verba mea habent: *Materiam & formam conjunctim notare naturam, asserunt ipsi. Cur ergò quæ conjunctim hîc spectantur, disjungunt?* Si scilicet natura nihil aliud est, quam materia & forma in unione, cur dividunt unita? Si causæ internæ conjunctim sumptæ constituunt naturam, cur disjungunt eas? Argumentor: Quæcũq; conjunctim naturam constituunt, ea non sunt disjungenda. Materia & Forma conjunctim naturam constituunt. Ergò materia & forma non sunt disjungendæ. Sicut, quæ conjunctim hominem constituunt, ea non sunt disjungenda. Anima rationalis & corpus humanum conjunctim hominem constituunt. Ergò anima rationalis & corpus humanum non sunt disjungenda. Hoc est, non dicendum, anima est homo; corpus est homo. Item. Quæ conjunctim corpus naturale constituunt, ea non sunt disjungenda. Materia & forma conjunctim corpus naturale constituunt. Ergô materia & forma non sunt disjungendæ. Non dicendum nempè, materia est corpus, forma est corpus. Similiter non dicendum, materia est natura, forma est natura. Non habemus partialia corpora, materiam & formam: non habemus partiales homines, animam rationalem & corpus humanum; sic etiam non habemus partiales naturas, materiam & formam. Totum est natura, quod materiæ & formæ unionem requirit. Cadit naturæ ratio, sublatâ unione partium.

§. 19. *Resp. Ast tàm difficilis & ardua ratio Autoris non est, ut eã capere non valeam. Nego statim Autori, naturam, hîc loci à nobis*

ex

ex Aristotele definitam, nihil aliud esse, quàm materiam & formam in unione, sive unitas. Ubi vel Aristoteles vel Aristotelici ita sumunt in hac doctrina vocẽ naturæ? Natura à nobis definita est id, quod continet sub se materiam, ut principium passivum, & formam, ut principium activum. Nec dividimus nos unita, quæ non, nisi interitu naturali dividuntur; sed Naturam in materiam & formam Logicè dividimus. Et si divideremus nos unita ratione & conceptu, corpus non corpus efficeremus. Estq; facilima responsio ad argumentum leviculum, quod, præterquam quòd ambiguitate vocis naturæ *laborat, non concludit concludendum. Conceditur totum argumentum. Quis enim unquam statuit, materiam & formam esse disjungenda? Contra quem opponit Autor? Et hunc lusum per totum ludit caput, quod 1. ignorationem elenchi committit, 2. ambiguitate vocis naturæ fallit 3. eandem crambem ter quaterq; coctam reponit tædiosissimè.*

§. 20. *Sed ecce! Autor nunc ex meis id probare conatur. Scripserã in* Theor. C. N. Disp. 10. §. 8. quòd quando naturam formam rerum naturalim dicimus, non queamus formam physicam, materiæ contradistinctam, intelligere, sed potius Metaphysicam. *Ex his argumentum parat ille, p. 149.* Forma Metaphysica corporis naturalis intrinsecè materiam & formam includit. Natura est forma Metaphysica corporis naturalis. Ergò natura intrinsecè materiam & formam includit. Major est Autoris. Minor etiam. Ut ergò unius corporis non habemus duas formas Metaphysicas; ita nec duas naturas. Humanitas forma Metaphysica hominis est. Hæc & corpus & animam includit. Hæc natura dicitur Autori. Ergò includit pariter utrumq; principium. Ut igitur non dico, corpus humanum est humanitas, anima humana est humanitas; ita nec dicendum, corpus est natura, anima est natura: aut, materia est natura, forma est natura.

§. 21. *Resp. concedendo totum argumentum; nihil contra me isto concluditur. Ego statuo, naturam, physicè acceptam & definitam, sub se continere materiam & formam, ut partes subjectivas, quæ naturæ nomen & definitionem sibi vendicent; Autor infert: Er. natura pro essentia accepta, intrinsecè materiam & formam includit. Hæc conclusio 1. non contra me; 2. nihil præjudicat meæ assertioni; sumitur enim ibi vox naturæ aliter, ac ab Aristotele sumitur, quando naturam definit, atq; in materiam & formam partitur. Quantum autem ad rem ipsam, meis verbis significatam, dico, benè posse aliquid esse principium physicum, & tamen certâ ratione formæ Metaphysicæ appella-*

tionem nanciſci. Sic vita eſt phyſicum quid, & actus primus corporis viventis, & tamen vita non incommodè dici poteſt forma Metaphyſica viventis, quatenus nimir. per vitam, quæ formaliter non eſt forma phyſica, dicitur eſſe vivens. Simili ratione natura illam appellationem ſibi vendicat, ſiquidem largitur formalitatem corpori naturali, & corpus naturale per naturam eſt naturale.

§. 22. Nimirum ad duo hic attendenda. I. quòd in talibus duo habeo; 1. quid phyſicum, quantum ad rem ipſam, 2. quid Metaphyſicum, quantum ad conceptum. Phyſicæ res ſunt natura, vita, ſi in ſe ſpectentur; quatenus verò per illas alia cognoſco ut formaliter talia, iſtæ horum formæ dicuntur, quod certe non poteſt intelligi de formis phyſicis; nec enim natura eſt forma alicujus corporis, nec vita eſt forma alicujus corporis; nulla enim iſtarum informat ullam materiam. Quam enim materiam informat vita, quam natura? nullam. II. Forma ergò Metaphyſica, quæ ultimum & intimum conceptum gignit, intelligitur. Dicit enim ea ipſam rei quidditatem ſive eſſentiam. Et æquipollent hîc, atq; promiſcuè ab Autoribus adhibentur ſequentes termini; eſſentia, natura, quidditas, forma, formalitas, formalis ratio, ratio, &c. Sic dico, ratio unius in eo poſita eſt, ut in ſe ſit indiviſum; quæ omnia ex Scholis Metaphyſicorum ſunt petenda.

§. 23. Simile eſt judicium de aliis, quæ ad alia mea excepit. Poſueram d.l. intelligitur igitur ultima ratio ſive formalitas, quæ in re naturali concipitur, eſtq; naturalitas, ſive τῷ naturâ conſtare, quod eſt rerum ex materia & forma compoſitarum. *Ad hæc ille p. 150.* Fiat applicatio. Eſtne materia ultima ratio corporis? Ipſa quidditas corporis naturæ nomine involvitur. Eſtne materia quidditas corporis? Eſtne forma quidditas corporis? Corpus humanum eſtne quidditas & ultima ratio ac formalitas hominis? Patet ſanè, non disjunctim, ſed conjunctim notare naturam notare materiam & formam. Ut prorſus dicere non liceat, materia eſt natura, forma eſt natura. Sicut non dicimus, corpus equinum eſt natura equi, anima equina eſt natura equi. Partes naturæ ſunt, non natura ipſa. Sicut & partes equi ſunt, non equus ipſe.

§. 24. *Sed quis non videt, inania verba profundi, nec ſolidi quippiam ſubeſſe. 1. Materia non eſt ultima ratio corporis naturalis. (NB. addendum,* naturalis) *Er. materia non eſt forma Metaphyſica illius. Forma ſubſtantialis informans non eſt quidditas corporis naturalis. Er. forma ſubſtantialis informans non eſt forma Metaphyſica*

illius.

illius. Rectissimè omnia. Sed cui bono ista? Fortean exinde concludetur, naturam physicè acceptam & definitam non dividi in materiam & formam? Hactenus id non video. 2. Non licet dicere, materia est natura pro essentia acceptæ; forma est natura pro essentia accepta; quis enim Aristotelicorum unquam id dixit? Licet tamen dicere, materia est natura, i.e. principium internum movendi; forma est natura i.e. principium internum movẽdi. 3. Partes naturæ i.e. essentiæ sunt materia & forma, non ipsa natura sive essentia rei naturalis. Rectè. Sed quid his efficitur? Nonne id dicit, quod omnes Scholæ affirmant? Ex materia & forma, tanquam ex partialibus naturis, exurgit tota corporis physici natura.

§. 25. Sed videamus tandem, quid directè Autor ad meam responsionem excipiat. Hæc est summa meæ responsionis, suprà §. 16. adscriptæ; non distingui in re naturali duas naturas, materiam & formam, sed distinctè eas considerari. Excipit ille p. 154. Nihil hæc ad rem. Realiter in corpore constituto non disjungi materiam & formam, neminî ignotum. Et posse distinctim considerari principia illa, sole clarius est. Sed an duæ inde formandæ naturæ sint, hoc est, quod controvertitur.

§. 26. Resp. 1. concedit ergò id, quod respondi; & hoc sufficit mihi. 2. Non, qui distinctè consideramus materiam & formam, principium patiendi & agendi, disjungimus principia illa, vel divellimus. Nec enim ea, quæ ad essentiam alicujus rei spectant, disjungi invicem ab intellectu nostro possunt. Nec enim in corporis essentia considerandâ solam spectamus materiam formâ sublatâ, aut solam formam, seclusâ materiâ. Et quî intellectus potest disjungere, quæ physicè & realiter unita sunt? Ut sic constet, neq; realiter, quod ab Autore concessum fuit, nec ratione nostrâ disjungi materiã & formam in corpore naturali, vel unionem, illam partium, adeoq; essentiam corporis naturalis tolli per hoc, quod Naturam in materiam & formam dirimimus. 3. Nunquam id controversum fuit, nec etiam in initio Autor id proposuit, an duæ sint formandæ naturæ? Hæc quæstio planè ignota est, & nunquam audita. Et, ubi, quæso Aristotelici formant duas naturas sive essentias corporis naturalis? Duas partes naturæ atq; essentiæ agnoscunt, non duas naturas sive essentias. Quæso, benevolus Lector ex hoc & similibus Autoris ingenium cognoscere, & quid ipsi in more positum sit, observare velit.

§. 27. Sed repetit argumentum p. 155. Ad cujus rationem unio materiæ & formæ requiritur, id disjunctioni repugnat.

Ad naturæ rationem unio materiæ & formæ requiritur. Ergò naturæ ratio disjunctioni repugnat. Aliud itaq; est, distinctim considerare materiam & formam; aliud distinctas inde formare naturas. Sicut aliud, distinctim considerare humanum corpus & humanam animam; aliud duos inde fingere homines. Debent distinctim considerari, quatenus distincta sunt principia: at non debent pro distinctis naturis venditari. Uniri debent ambo ista principia, ut una ex unitis surgat natura. Nõ datur humana natura, ubi per morté facta est separatio animæ à corpore. Neutiquam illa separata anima hominis natura est. Intrinsecè includit humana natura materiam & formam. Et idem de cæteris corporum naturalium naturis ferendum judicium.

§. 28. *Repeto responsionẽ meam; 1. contra quem cõcludit? quis disjunxit materiam & formam? quis distinctas exinde formavit naturas sive essentias? 2. Rectè ait in sequentibus*, debere distinctè considerari, quatenus distincta sunt principia; *rectè, hoc nos facimus; igitur* materiam *consideramus ut principium passivum movendi atq; exinde passivam naturam nominam* formam *vero ut principium actus; vum, quam exinde activam salutamus naturam; minus verò rectè ait, quando subjungit,* at non debent pro distinctis naturis *(i.e. essentiis)* venditari. *Hoc enim nos non facimus, sed hoc, quod Autor sup.* p. 151. *indigitavit, partes naturæ sive essentiæ decernimus, partiales naturas, ex quibus essentia corporis naturalis conflata est, designamus. 3. Frustrà reliqua omnia. Uniri debent ambo ista principia, ut una ex unitis surgat natura, Id autem est à parte rei, nec quidquam huc, ubi de distincta naturæ consideratione agimus, facit. Nec enim uniuntur duo ista principia per intellectum cognoscentem, nec ab intellectu est, quod una ex unitis surgit natura; sed intellectus illa in corpore naturali ut unita considerat, & tamen proprias utriusq; naturas (naturam formæ, ut principii activi, naturam materiæ, ut principii passivi) perpendit.*

§. 29. *Pergit contra mea excipere, quando posui;* sicut materia & forma distincta sunt principia, ita etiam distinctæ sunt naturæ. *Inquit ille* pag. 156. Non est instituta probè comparatio. Totum quid est natura: ergò cum toto comparanda. Hinc inverto rationem. Quo pacto se habent materia & forma ad corpus, eo pacto etiam se habent ad corporis naturam. Sed materia & forma ad corpus se habent, ut ambo constituant unum, non duo. Ergò ambo etiam constituunt unam naturã, non duas.

§. 30. *Resp. 1. quidni probè instituta comparatio? Respiciat antè dicta. 2. Ipsi totum quid est natura, notans totum essentiale, ut sic ipsi cũ toto comparetur 4. Nil contra nos; vid. §. 23. 24. nobis natura instar generis est, totius potestativi rationem habens ad materiam & formam, de quibus, ut sibi subjectis, prædicatur. 4. Argumentũ nõ concludit contra quæstionem; nec n. de natura sive essentia corporis est quæstio, sed de naturæ, quæ est principium Physicum internum, movendi & quiescendi, tanea in naturam activam & passivam, rectè dividatur. 5. Nonne potius ita argumentum ducendum: Quorumcunq; unum est agens vel motum efficiens, alterum vero motum recipiens, illa, ut talia, non sunt una natura, sed duæ distinctæ naturæ, quidquid sit, quod ad unam rei naturalis essentiam constituendam ordinentur. Atqui forma & materia ita se habent, quòd illa est effectiva motus, hæc ejusdem receptiva. Er. forma & materia, ut motus principia, non sunt una natura, sed duæ distinctæ naturæ, quidquid sit, quòd ad unam corporis naturalis essentiam constituendam sint ordinata.*

§. 31. *Ad illud impugnandum Autor se accingit, quô dictum fuit à me & statutum,* naturam habere se ad materiam & formam, ut genus ad species. *Contrà ille* p. 156. Natura ad materiam & formam non se habet, ut genus ad species. Nullum genus actu includit suas species. Natura actu includit materiam & formam. Ergò natura non est genus, neque materia & forma sunt species. Major est Canon. Minor patet è dictis. Confirmatur etiam Autoris verbis. *Corpus naturale,* inquit, *est substantia ex naturis per se constans. Cum enim materia sit natura, & forma sit natura; certè eo ipso, quo corpus naturale per τὸ constare ex materiâ & formâ definis, idem per duas naturas definis, vel quod ex duabus naturis (intellige, partialibus & consubstantialibus) constet, dicis atq; exponis.* Natura autem corporis naturalis ab essentiâ ejus realiter non differt. Ut ergò essentia materia & formâ absolvitur, ita & natura. Argumentor porrò: In omni specie plus est, quàm in genere. In materiâ non est plus, quàm in naturâ. Er. materia non est species naturæ. In formâ pariter non est plus, quàm in naturâ. Ergô forma etiã nõ est species naturæ. Unde & cadit Autoris cõparatio, cum naturam cõparat cum animali, materiam & formã cum τῷ rationali & irrationali. Nulla hæc cõparatio est, & absurda perquàm. Unio materiæ & formæ naturam infert: at non infert unio rationalis & irrationalis animal. Actu habentur materia & forma in corporis essentia & naturâ: at non dantur actu rationale & irrationale in animali. *Hactenus ille.* §. 32.

§. 32. Ad resp. ad 1. Syllogismum, neg. Minor. propositionem; natura siquidem, ut ex lib. 2. phys. c. 1. definitur, non includit actu principium passivum motus, nec principium activum motus, sed ab utroq; præscindit, adeoq; potentiâ continet. Non est verum quod ait Autor, Minorem è dictis patere, patere item ex meis. Ad dicta Autoris responsum fuit. Mea quod attinet, non sunt pro Autore, sed contra ipsum. Repetamus & perpendamus: cum enim materia sit natura, & forma sit natura, (N. B. hic pono duas naturas) certè eô ipso, quô corpus naturale per per constare ex materia & forma definis, idem per duas naturas (N. B. duas naturas hic nomino) definis, vel quòd ex duabus naturis (intelligepartialibus & consubstantialibus) constet, dicis atque exponis. Quî hæc faciant pro Autore, contra quæ is hactenus acerrimè disputavit? Quæ Autor inserit, contra me non sunt, nec huc quadrant, cum alia significandi potestate vox naturæ ibi sumatur. Aliàs naturam & essentiam corporis absolvi materiâ & formâ, libenter concedo. Ad 2. Syllogismum resp. similiter Minor. propositionem negando. Contrarium est verum, in materia siquidem est τὸ passivum, quod non est in natura ut sic; in forma est τὸ activum, quod similiter non est in natura ut sic. Suntq; hæ ejus differentiæ, quæ minimè in ejus conceptu includuntur, sicut natura generis & differentiæ requirit. Non igitur cadit mea comparatio, cum naturam comparo cum animali, τὸ passivum & activum cum rationali & irrationali, ut differentiis divisivis. Quæ Autor de unione materiæ & formæ in ordine ad corpus & corporis essentiam iterum subjungit, hic nihil probant.

§. 33. Hanc nostram doctrinam ego ex Logicis porrò explicavi, & descensum disjunctum, quem in Scholis Logicis nominamus, hîc obtinere, dixi. Autor de descensu quædam proponit, quibus non erat opus. Res ipsa spectanda est. Dicit, p. 158. applicationem non succedere, cũ hæc propositio; natura vel est materia, vel forma; sit falsa. Sed quomodo id probat? Im probat: ut non dico, corpus vel est materia, vel forma, ita nec dicendum, natura corporis vel est materia, vel forma. &c. Verũ quæ hæc est probatio? Quis unquã dixit, quod natura (i.e. essentia corporis) sit vel materia vel forma? Ludit voce naturæ. Ita dicimus natura, quæ est in corpore naturali, in eoq; principiũ movẽdi existit, est vel materia, vel forma, hæc quidẽ activa, illa passiva natura; vel sic partiũ essentialiũ corporis naturalis una est natura passiva, altera est natura activa.

§. 34. Sed alio modô Autor divisionem naturæ proponendã monstrat. Cui volupe est, p. 151. inquit, descensum disjunctum formare, ita,

pro-

procedat. Natura vel est cœlestis, vel elementaris. Hic disjunctionis fundamentum habet. Hic naturam venditare potest pro genere, cœlestem & elementarem pro speciebus. Quanquã non inficias eam, esse naturas, quæ nec cœlestes sunt, nec elementares. *Ast contrà 1. In alio vocis significatu iterum alia fieri potest naturæ divisio. Aliæ autem & aliæ naturæ, juxta aliam & aliam significandi potestatem, divisiones nostram divisionem Naturæ, prout principium movendi & quiescendi in rebus naturalibus designat, non tollit. 2. Non est adæquata illa divisio, ut Autor ipse fatetur.*

§. 35. *Autor, Dissertationi huic colophonem impositurus*, de malo principio, *infit* p. 158. malus exit finis. Materiam & formam cõjunctim notare naturam, dixêre Interpretes. Dixit idem Autor, cum naturam formam Metaphysicã esse asseruit. Unde argumentum: Forma corporis Metaphysica & materiam & formam involvit intrinsecè. Natura est forma corporis Metaphysica. Ergò natura & & materiam & formam involvit intrinsecè. Major per se nota. Minor Autoris est. *Resp. 1. Inane Autoris est solatium. Triumphum agit ante victoriam. Recolat sua placita, & conferat mea responsa, & tũ demum, si putat, de victoria clamet. 2. Inanes & tædiosæ hæ sunt repetitiones, nihil in recessu habentes. Hoc idem argumentum* sup. p. 149. *proposuit. 3. Præmissarum probationem quod attinet, ait hic, Majorem esse perse notam*; sup. p. 150. lin. 1. *eam mihi attribuit. Sed ad argumentum 1,0 suprà responsum fuit.*

§. 36. *Mea quædam subiungit Autor, inquiens*; sed quomodo aliter explicari possit sententia, tandem meditatur secum. *Ast non aliter explico, ac superiùs indigitavi. Una explicatio in antecedentibus & sequentibus invenitur. Ex natura generis & speciei desumta est ulterior explicatio, ex quo fonte derivavi priora omnia. Sic scribo eád.* th. 65. quæ sub propriis naturis & vi differentiarum sub genere sumuntur disjunctim, ea sub communi nomine & definitione ejusdem junctim, vel, ut unum sumuntur: sic homo & brutũ sunt unum in animali; est enim & homo animal, & brutum est animal; sic etiã materia & forma sũ unũ sub nomine & definitione naturæ.

§. 37. *Excipit Autor* p. 159. Hæc illa explicatio recentior, cum applicatione ineptâ. Participant quidem species de genere, atq; sic dicuntur unũ genere. Sed non sunt duæ contradistinctæ species naturæ, materia & forma. Conjungi debent instar partium, ut ex unitis istis surgat tertiũ, seu natura. Quod sanè de bruto & homine nemo dixerit. Non enim ex cõjunctione hominis & bruti ani-

mal oritur, sicut ex conjunctione materiæ & formæ essentia & natura corporis. Et materia Autori est partialis natura: forma etiã partialis est natura: & è duabus partialibus fit una totalis. Permittitne id natura speciei? Ut homo sit partiale animal, brutum partiale animal, & cõjunctione utriusq; fiat animal totale. Aut concedenda hæc absurda, aut negandum, materiam & formam esse species naturæ, velut uniusgeneris.

§. 38. *Resp. 1. Ultima hæc Autoris verba testantur, eandem esse explicationem, siquidem eius dem explicationis deductio illis meis verbis continetur & absolvitur; omnia illa, quæ superius de descensu disjuncto dixi, idem, quod hîc dico, intendunt & exponunt. 2. Omnia ea, quæ Autor vel non capit, vel ad ejus palatum non sunt, inepta proclamat. Sed videamq. Statuit*, non esse duas contradistinctas naturas, materiam & formam. *Probat*, conjungi debent instar partium, ut ex unitis istis Surgat tertium, seu natura; quod sanè de bruto & homine nemo dixerit. *Ast probatio nulla est.* (1.) *de distincta cognitione & considerationem materiæ & formæ, item naturæ activæ & passivæ est negotium; Autor de conjunctione & unione materiæ & formæ physica garrit. A parte rei, & nullo intellectu cogitante, conjunctio illa est inter partes essentiales physicas, nec intellectus beneficiô illæ conjunguntur. Quid est igitur, quod tædiosè ingeminat, materiam & formam conjungi debere instar partium? Conjungat Physicus ille materiam & formam, & naturæ generantis partes viresq; sibi tribuat. 2. Non obstat physica materiæ & formæ, ut partium essentialium, conjunctio distinctæ isti, quam ex Aristotele inculcamus, cognitioni. Quasi verò non possint quædam physicè esse conjuncta, ad unam naturam sive essentiam constituendam, quæ & ipsa, propterea, quod in uno aliquo conceptu communi conveniant, ut species distinctæ ab intellectu cognosci possint. Utrumq; hîc locũ invenit. Nec illud hoc, nec hoc illud impedit.*

§. 39. *Quod ut perspicuum fiat, notet*, materiam & formam, *quantum ad præsens*, ad duo comparari, *& ad duo respectum dicere*; ad totum essentiale physicum, *sive ad compositum, cujus sunt partes essentiales constitutivæ*; 2. ad naturam, ut ad totum potestativum sive Logicum, *cujus sunt partes subjectivæ; prius Autor hîc urget, & idem à me observatum in* Theor. C. N. Disp. 4. 7. & 8. *posterius cum Aristotelicis Doctoribus proposui in* d. Theor. C. N. Disp. 11. *Vel, potest eadem res exponi sic*; 1. *Si* natura *sumatur* pro essentia rei naturalis, *ut Autor sumit, tunc materia & forma sunt duæ partes essentiales naturam sive essentiam corporis naturalis constituentes; hunc respectu m*

hîc

hîc, sive in doctrinâ de Natura urget Autor, qui tamen ad tractationem de corpore naturali ejusq; definitione pertinet, ubi ego eundem observavi, sicut modò aperui. 2. Si vero Natura sumatur pro interno movendi & quiescendi principio in rebus naturalibus, ut nos cum Aristotele sumimus, tunc duo sub se habet principia specialia, de quibus in quid prædicari potest, quibusq; adeò natura definitio cõpetit, materiam scilic. & formam. Utrumq; enim est principium movendi & quiescendi in eo, cui primò, per se & non secundum accidens inest, sub hoc discrimine, quod forma est activum principium movendi, sive motus in re naturali effectivum, materia vero passivum movendi principium, sive motus receptivum in ea. Sit Syllogismus: quæcunq; participant naturã & definitionem naturæ, illa ut species subjectæ sub ea continentur. Atqui materia & forma participant nomen & definitionem naturæ. Er. materia & forma ut species subjectæ sub natura cõtinentur. Propositio major de se cõstat; Minoris probatio est in dictis. Ad Autoris argumenta in contrarium suprà responsum fuit.

§. 40. Quantum ad exemplum declarationis locô ab Autore allatum, impertinentissimum illud est. Videt enim, sermonem nobis esse de entibus incompletis, & ille opponit de completis. Et confundit iterum negotium Physicum cum Logico. Quæ enim consequentia: homo & brutum non possunt componi ad unum tertium constituendum. Er, materia & forma non possunt componi ad unum tertium constituendum. Ratio est, quia natura speciei id non permittit. Ratio hæc nulla est. Quamvis enim non permittat natura speciei in homine & bruto, ut homo sit partiale animal, & brutum sit partiale animal, adeoq; uniantur ad tertii essentialis constitutionem; tamen id non de omnibus, quibus notio speciei imponitur, dici potest. Magna enim latitudo generis & speciei est, nec in completis tantum substantiis notio illa locum invenit, sed ad completas quoq;, imò ad alia se accommodari patitur. Et si mitio Autoris procedit, tunc ne quidem ex materiâ & formâ, ut causæ internæ sunt, unione constituetur compositum physicum, siquidem & ibi materia & forma sunt species causæ internæ, sicut efficiens & finis sunt species causæ externæ. Quod ergo Autor de homine & bruto dicit, id non est ex natura speciei, sed ex conditione particulari hominis & bruti, quæ in eo est, quòd sunt species completæ & perfectæ, quæ non possunt ordinari ad tertium essentiale constituendum, cum ipsæ in specie sua perfectæ sint ob materiam suam & formam suam, ex quibus intrinsecè constitutæ sunt & constant.

§. 41. Diversitas ergò in eo est, quòd homo & brutum sunt entitates completæ, in certa & perfecta specie, materia verò & forma

sunt

sunt entitates incompletæ. Jam verò ex completo & completo non potest confici una natura, sed ex incompleto & incompleto, altero quidem ut potentia, altero verò ut actu, una natura constituitur. Sicut autem non obstante eo, quod materia & forma sunt entitates incompletæ, nihilominus tamen substantiæ nomen & definitionem, item causa internæ appellationem & rationem sibi vendicant, ita benè quoq; naturæ, ut lib. 2. Phys. c. 1. sumitur nomen & definitionem sibi vendicare, adeoq; speciei nomine venire possunt, quod est, ea in cõmuni conceptu cõvenire, & specie sive specificis & propriis conceptibus differre; quamvis hic non sit ille rigor, quem Porphyrius in Prædicabilibus, & Aristoteles in Prædicamentis requirunt, est tamen ibi communitas in aliquo conceptu, & differentia per conceptus proprios, quod sufficit. Videantur de hac re Philip. Du Trieu Manud. ad Dialect. tr. 2. par. 2. ca. 1. ar. 1. Petr. Hur. de Mendoza Disp. Log. 4. sect. 2. §. 9. p. 102. Conf. ejus Disp. 10. s. 2. §. 6. p. 160. Zanard. l. c. de Anim. q. 1. not. 4. p. 3. vid. emplic, ex Autore allatis, ostendi. Scilicet unumquodq; concipitur pro modo suæ conceptibilitatis, & unumquodq; definitur pro modo suæ definibilitatis; unumquodq; dividitur pro modo suæ divisibilitatis. Hic non una omnium est conditio.

§. 42. Nulla ergo concedenda absurda, nec neganda divisio naturæ in materiam & formam, tanquam generis in subjectas species. 1. Nec enim uti se habet natura ad materiã & formam, & utraq; ad illam, ita se habet corpus ad materiam & formam, & hæc ad illud, sed ut se habet animal ad hominem & brutum, uti actus ad actum primum & secundum, uti actus primus ad formam inanimati & formam animati corporis, quæ est anima &c. ita, quantum ad rem, se habet natura ad naturam activam & passivam. Quantum ad rem dico; quantum ad modum enim conceditur, eminentiorem generis & speciei essentionem in conceptibus prædicamentalibus, ac est in non prædicamentalibus. 2. Nec oportet, ut propterea homo sit partiale animal, & brutum sit partiale animal; siquidem nec id dicitur de materia & forma, uti sunt partes subjectivæ naturæ, ut generis, sed prout partes constitutivæ sunt rei naturalis; non, ut Logicè æstimantur, sed ut physicè se habent. Vbi adeò incongruum non est, eas dicere partiales naturas, in ordine ad corpus naturale, cujus essentiam constituunt. Non verò homo & brutum sunt partes essentiales physicæ animalis, sicut materia & forma sunt corporis naturalis. Nec homo & brutum geminum induunt respectum, sicut induunt materia & forma, quæ corpus naturale ut totum physicum, naturam verò, ut totum Logicum sive potestativum respiciunt, ceu §. 36. dixi. Nec etiam homo & brutum sunt entia incompleta, ad tertium essentiale completum constituendum, unde nullum alium, quam totius Logici & partium ei subjectarum respectum in illis videre licet, secus ac cum materia & forma comparatum esse vidimus

§. 43. An verò Autor ex priori Theoria, quæ erat de corpore naturali, confirmatus fuerit, ut gloriatur in conclusione Dissertationis p. 160. an verò confutatus, videbunt boni omnes. Loquuntur hæ prioribus superadditæ, Disputationes, & confutatum Autorem non confirmatum testabuntur.

DEO GLORIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786449799/phys_0300
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786449799/phys_0304
DFG

Si consilium vis,
es ipsis expendere numinibus, quid
at nobis, rebusque sit utile nostris.
o iucundis aptissima quæque dabunt Dii
st illis homo quam sibi.

craticis: (s) ἠύχετο πρὸς τὸν Θεὸν ἁπλῶς τὰ ἀγα-
θὰ καλλίστα εἰδότας, ὁποῖα ἀγαθά ἐστι, hausit) non
salis mitiorique interpretatione capien-

oc præceptum Lucilio suo ex Epicuro (t) * 2. *Imperatis s. Effectu. Cultus enim internus operatur* * 1. *Assimilationê ad normã divinam, tum in universum*
Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante
ic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tan-
iamus. mox. *Illum semper tibi ostende, vel custo-*
Opus est, inquam, aliquo ad quem mores nostri se-
d regulam prava non corriges. Exemplar tale
stat, quam ipse, qui se nobis ad hoc propo-
um perfectissima. *Platone* (u) *auctore* Deus
mnium bonorum cum proposuisset, humanam vir-
is Dei aliquo modo saltem redditur parandam con-
equi possint. Excell Calovius (w) inde
onum id, quod per essentiam tale est, reli-
, quæ per participationem eiusmodi sunt,
sse debeat. Idem ex Platonis & Trisme-
educit. Inde Θεοειδὴς ap. Homer. virtutis
rcho interprete. Huc id Diogenis (y)
Θεῶν εἰκόνας εἶναι. Principi ministri imita-
dicula blandiuntur, imitatio divinæ bo-
sanior. Et quamvis infinitam hanc in-
ullo modo adsequi valeamus, sit tamen
enus. Virtuti autem soli hæc patet via:
nfinitæ bonitati necti licet. Ea (z) *ho-*
(a) *eadem certe virtus in Deo & homine*, A-
sa hæc genera legitimè instituta. Summa
est apud ἀπομν. s. apud Xenoph. l. pag. 450.

pud Plutarch. de sera vindict. pag. 179. vid. ibi seq. vv. 100-
n. 14. x. de Homero pag. 98. y. apud Laert. l. 6. in
cad. 2. pag. 139. a Cic. l. de LL. n. 25.